
SPE
JUSTITIA FUNDAMENTUM REGNORUM
SUAVITER IN MODO FORTITER IN RE
R.L.P
[redacted]



G. Hultman
N:108 Sylvob f 1:--

C'est l'Exemplaire de M. L'abbé de Rothelin, dans le Catalogue de qui il se trouve au N°. 705, et où il a été vendu 6.tt

M. Charles d'Orléans de Rothelin Membre hono=raire de l'Acad. des Inscrip. et de Belles lettres né 1691 mort 1744. Voyez Saxe Onomast. T. VI. p. 481 & 738. et catalogue des livres de feu M. l'Abbé d'Orleans de Rothelin par G. Martin Paris 1746. 8°.

G. H. M. D.

Confer. Paquot Mem. Litt. T. XII. 222.

BAPTISMA INFANTIUM IN UTERIS EXISTENTIUM TERTIO' ASSERTUM:

DISPUTATIO MEDICO-THEOLOGICA

AUCTORE

ANGELO CUPETIOLI

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

In hac Tertia Editione correctior, & auctior.


Accedunt Disputationes olim excusæ de metu Inferni, an expellat voluntatem peccandi; de absolutione peccatoris statim facienda post Confessionem; de Auctoritate D. Augustini; de veritate naturali, an sufficiat ad recte Theologicas quæstiones dirimendas. Adduntur duæ aliæ non amplius editæ, quarum altera est de Probabilitate, an scilicet auctoritates Patrum allatæ a Probabilioristis eam revera oppugnent; altera de pœna peccati originalis, an scilicet multi Recentiorum ab opinione communi Antiquorum negante peccato originali pœnam sensus deberi jure, & merito discesserint.

Opus ab eodem Auctore Dicatum

ILLUSTRISSIMO, ac REVERENDISSIMO D.

STEPHANO FULIANI

EPISCOPO MUTINENSI.



VENETIIS, MDCCXXIII.

Apud Josephum Corona.

SUPERIORUM PERMISSU.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul.



Iù, multumque cogitanti mihi utrùm antiquæ conſuetudini adhærere debeam ab iis obſervari ſolitæ, qui Opus aliquod in lucem edituri illud viro alicui præſtantiſſimo dicare ſolent, ut ejus præclaro nomine, & patrocinio, quam per ſe conſequi nequit, exiſtimationem aliquam ſibi poſſit comparare; nunquam tamen ad ſequendum hunc morem trahi poteram; cum talem, ac tantam Operis imperfectionem eſſe cognoſcerem, ut ipſum alicui viro; quamvis non excellentioris meriti, atque opinionis, offerre animi nimiùm audacis eſſe mihi videretur. Cum nuper Mutinam me conferens, egregiam quidem Urbem, cui meritiſſimò Præſides, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Antiſtes, tuam adire præſentiam propero, ut eam, quæ par eſt, reverentiam, meumque obſequium tibi exhiberem, cujus bonitatem, benignitatem, atque incredibilem humanitatem in ore omnium pervagari audieram. Quanto cum amore, atque benevolentia me exceperis, non eſt, cur hìc enarrare oporteat. Illud non prætereundum, quod tantam eſſe animi tui amabilitatem reipſa expertus ſum, ut longè minor ſit fama. Quapropter hac tua eximia affabilitate, atque facilitate vehementer permotus, poſthabitis quibuſcumque, quæ me in contrarium impellere poterant, hæc mea, qualiacumque ſint, Opuſcula tibi ſiſtere audeo, tuamque humanitatem ſuppliciter oro, atque obteſtor, ne ea pollenti tuo patrocinio indigna cenſeas. Infirma quidem, & abjectiſſima, nulliuſque, ut ita dicam, ponderis eſſè perſpicies, ſi Auctorem, ſi artificium, ſi rerum denique ordinem ſpectes; magna tamen, ſi illorum materiem perpendas; quin etiam adeò magna, ut ſine comparatione majora eſſe præ hac, quam minora præ illis, ut opinor, inveneris. Tractant hæc de rebus Divinis. Tractant de ſaluberrimo Baptiſmi Sacramento. Tractant de Sacra Pœnitentiæ expiatione. Tractant de ſaluberrimo Gehennæ timore. Tractant de certis conſcientiæ regulis. Tractant denique de aliis his non minùs neceſſariis; De iis inquam, quæ Recentiorum Theologorum ingenium omne, omneque ſtudium occupant; de iis adeò neceſſariis, ut vellem in tantâ rerum occupatione totam noſtrorum

Episcoporum, ad quos Evangelicas veritates disquirere jure Divino attinet, sollertiam invigilare. Quanto Tu studio, quantaque diligentia hoc munere perfungaris, certum perbibebit testimonium Carpensis Ecclesia, cujus regimen summa cum laude multos annos cum tenueris, ut Divinis Doctrinis populus ille institueretur, operam omnem, atque curam assiduus impendisti. Sed meliora, & majora hujusce tuæ virtutis specimina a Mutinensi Ecclesia licebit inquirere, ubi sollertiam hanc tuam in dies magis, ac magis universo gregi notam facere non desistis. Hanc tamen animi tui præclarissimam dotem oratoriis ornamentis hic describere opus non est, dum adeo illa per se elucet, ut eam amplificando potiùs diminui, & illustrando obscurari videatur. Quemadmodum si quispiam facibus solem illuminare contenderet, obscuraret potiùs, quàm illustraret. Multò autem minùs cæteras tuas nobilissimas dotes, eximiasque virtutes longa enumeratione percurrere debeo; quem enim hæ latent, cum omnium penè Gentium aures tui nominis fama pervaserit? Hinc eas admiratus Romanus Pontifex, iisque impensè captus ab illustri Carpensis Ecclesiæ Abbatia ad amplissimum Mutinensis Ecclesiæ Episcopatum transferre te voluit. Hic tandem, ut te laudem, morem communem non sequar Mæcenatis sui nobilitatem, ejusque Gentis antiquam originem commemorandi, atque illustria Majorum suorum facta recensendi. Id præstent ii, qui Mæcenatem propriis virtutibus destitutum, propterea que aliorum splendore indigentem, sibi eligunt imprudentes. Sed redeo jam ad Opuscula mea. Si ea placido vultu excipias; si grandi tuo patrocinio foveas; si suffragium tuum obtineant; quis Adversariorum, qui olim in ea tam altè obloqui solebant, non silebit; Cum improbari nequeat, quod à tanto Viro, & Patrono probatur? An sperare licet, sicut antiquitùs Africanis Patribus statuentibus pueros recenter natos baptizari posse, aliisque Patribus id recipientibus, Ecclesia Catholica deinde comprobavit; ita te primo approbante opinionem illam miserrimis infantibus tam salutiferam, quod nimirum baptizari possint etiam in uteris existentes, postea aliis Episcopis nobile, piumque exemplum sequentibus Romanum tandem Pontificem id decreturum?

Addictiss. & Obsequentiss. Servus
Angelus Cupetioli.

AD

AD
LECTOREM.

CUm viderim multos viros doctos, ac pios hoc meum opusculum de baptismo Infantium in uteris existentium vehementer desiderare, nec ullus secundæ editionis codex mihi superesset, quo tam pio desiderio satisfacere possem, hanc tertiam editionem parare studui. Accessit ad hanc accelerandam non minor mea desideratio, quæ mihi à juventute semper incessit, provocandi Theologos nostros ad hanc quæstionem tractandam non obiter, & strictim, ut factum fuisse etiam, atque etiam conqueror, sed de industria, sed copiosè, ut res tanta postulat. Agitur hìc de sempiterna salute miserrimorum omnium hominum, & tam infelicium, ut nec vel unicum verbum, vel lachrymam edere possint, quâ auxilium tantis miseriis procurent. Agitur de amplificanda Christi gloria, ejusque baptismi efficacia, & Theologi silebunt? vel duo verba vix proferent? Vel solùm ea exscribent, quæ Antiqui in medium adducunt? Communi Antiquorum opinioni summam reverentiam, atque existimationem deberi libentissimè fateor, præsertim si utriusque partis argumenta diligenter expendant, & ita diligenter, ut, si alia de novo objiciantur, hisce per ea respondere possemus. Hinc disputatione Septima Recentioribus quibusdam ostendere nitor eis propterea ab opinione communi Antiquorum in materia de pœna peccato originali discedere non licuisse. In hac quæstione ita non contigisse, si mens mea non me fallit, manifestum est. Dicunt illi infantem in utero

ablui non posse. Quid respondebunt Obstetricibus affirmantibus se quotidie, dum partus instat, non solùm infantem tangere, sed etiam volvere? Quid respondebunt Chirurgis aientibus infantem in utero mortuum in frusta cadi, vel integrum ex utero educi? Vide cap. 4. & 5.

An autem accuratè rationes ex locis Theologicis depromptas perpenderint, studiosè considerentur, quæ cap. nono in medium profero, atque inde statuatur, an adhuc permittendum sit hujusmodi miserrimos certò pœnas æternas subire; an adhuc dicendum sit Christum, qui copioso, imo infinito pretio nos redemit, sempiternæ salutis remedium omnibus non providisse; & Baptismum, qui per Patres ætatem non exigit, & omnibus omninò hominibus *prodest, locum exigere, extra quem suam efficaciam, atque efficientiam proferre non valeat. Illud etiam non diffitebor ad hanc tertiam editionem me multùm movisse cujusdam Theologi, olim mihi familiaritate conjuncti, disputationem, quâ è Cathedra bis hanc meam opinionem oppugnare voluit. Voluit, inquam, nam reipsa nihil effecit; cum nihil novi protulerit, sed solùm mea pronunciaverit; ut ipsi misso scripto latè ostendi; & in hac disputatione breviter indico. Disputationi de baptismo alias quatuor, quas antè separatim edideram, conjungo; tum quia id ab amicis rogatus fueram, tum quod faciliùs servari poterunt. Tandem duas alias nondum editas addo, quarum prima est de auctoritatibus Patrum, quas Probabilioristæ ad oppugnandam Probabilitatem adhibent, & quæro, an revera eam oppugnent. Hanc tum Probabilistis, tum Probabilioristis multùm placituram spero, quia sine labore, & quàm brevissimè primi objecta præcipua Probabilitatis eversa videbunt; Secundi verò præcipua fundamenta, super quibus moles majoris Probabilitatis construitur. Altera est de pœna peccato originali debita, ubi ostendo, ut supra innui, plures Recentiorum à communi Antiquorum opinione jure non discessisse.*

IN-

INDEX DISPUTATIONUM.

DISPUTATIO I.
De Baptismate Infantium in uteris existentium.

DISPUTATIO II.
An metus Inferni expellere possit voluntatem peccandi. 98

ALlatis in medium num. 1. Auctoribus utriusque Opinionis, mox num. 3. ad 26. memorantur argumenta partis

negantis, quæ præsertim in Patrum auctoritatibus consistunt. Quàm plurima à 3. ad 19. D. Augustini testimonia citantur in quibus affirmare videtur illum, qui metu ad agendum adducitur *invitè agere*, *& velle contrarium*, *quod facit*; hinc 5. concludit; *Inimicus ergo Justitiæ est*, *qui pænę timore* non peccat. Similia 19. D. Gregorius Magnus, D. Thomas 20. dicunt, ubi ait per metum voluntatem non se avertere ab eo, quod appetiverat.

A num. 26. ad 33. exarantur quædam ad quæstionem dirimendam necessaria; hinc traduntur definitiones *Contritionis*, *Attritionis*, Peccati *habitualis*, & Metus. Non solùm servi, sed etiam filii pœnas timere possunt, & thesis contraria ab Innoc. Duod. proscripta videtur 19. Timor Inferni comparari potest cum Fide Divina, non cum fide informi 31. Sententia affirmans pluribus confirmatur 33. Citatur 34 integer *articulus* D. Thomæ, ubi opinionem nostram sequitur, & rationibus tuetur, quæ 39. & seqq. accuratè expenduntur. Lex vetus suis pœnis animum cohibere non poterat; utique verò suis Lex nova 42. Duobus aliis testimoniis D. Thomas 44 & 46. Sacris verò canonibus 47. probatur.

Num. 49. & 53. argumentis Theologicis, num. 55. 56. 57. Patribus, num. 61. 66. Scriptura Sacra, num. 69. Bulla *Unigenitus* opinio nostra comprobatur. Explicatur 60. famosum illud D. Augustini effatum *Qui Gehennas metuit*, *non peccare metuit*, *sed ardere*. Num. 70. & seqq. auctoritates contrariæ explicantur. Non sola charitas peccata odit, & detestatur; sed etiam timor inferni, & Spes; quin etiam quælibet Virtus, sed solùm in sua materia, & genere id potest 79. 82.

DISPUTATIO III.

An liceat peccatores statim post Confessionem absolvere. 130

Rituale Alectense vetitum num. 2. à Clemente Nono plurima severissima sequitur. Inter alia absolutionem ad duos, aut tres menses differt, si peccata frequentia fuerint 3. Nec statim absolvit 4. si tempore dilationis pœnitens aliquoties in peccata incidisset. Subdit num. 6. Patres nihili æstimasse periculum hujus pœnitentis moriendi sine absolutione.

Jueninus etiam severissima docet. Ferè statim non absolvit 7. peccantes *ex consuetudine*; & eò magis absolutionem differt, quò consuetudo producta fuit 9. Nec etiam statim concubinum ab-

nos

eſſent,

Discutitur, an quidam ex Adversariis justè conqueratur me disp. 4. num. 33. dixisse Recentiorem quendam mentionem non facere de interpretatione, quam Antiqui Theologi faciunt de Auctoritate Libri de Fide ad Petrum c. 27.

QVidam ex Adversariis questus est de eo, quod in titulo quæstionis habeo. Voluit hanc suam querimoniam tribus ex nostra Congregatione viris manifestare ostendendo eis quemdam locum, ubi Recentior ille revera commemorat interpretationem tum D. Thomæ, tum D. Bonaventuræ, quam faciunt de auctoritate illa Libri de Fide ad Petrum: Hic locus habetur in Vindiciis Augustin. c. 3. §. 1. p. 9. col. 2. Quin de explicatione D. Bonav. loquitur etiam c. 5. §. 2. p. 76. col. 1. Quando ego disp. 4. nu. 33. nego Recentiorem illum de illis interpretationibus meminisse, ei objicio: *Num eas, licèt tantorum Theologorum, nullius firmitatis eße duxit?* Ex his Verbis constat me id simpliciter non negare; hoc enim mea nihil interest, cum nihil mihi obsit. Nego ergo de his interpretationibus meminisse ad eas refutandas; nam hoc permagni mea interest. Si enim eas non refellit, jam firmæ remanent, si firmæ remanent. Ergo Patres non affirmant pueros ob originale peccatum pena sensus torqueri, ut ibi contendo.

Divus Thom. ait auctoritatem Libri de Fide ad Petrum, quæ affirmat: *Pueros ob peccatum originale ignis æterni sempiterno supplicio puniri*, explicandam ita esse, ut in ipsa ponatur *species pro genere;* idest, ponatur nomen significans speciem, cum deberet poni nomen significans genus. Igitur per D. Thom. ea auctoritas hisce verbis exprimenda est: *Pueri ob peccatum originale pœna æterna puniuntur;* ignis enim speciem significat; Pœna verò genus. D. Bonav. affirmat auctoritatem illam non significare pueros pœna sensus puniri, sed puniri *pœna privationis Visionis Dei, & vilitatis loci, & hoc abundanter exprimit, plus dicens, & minùs volens intelligi*. Hasce interpretationes non refutat Recentior; Sed in primo loco ostendit, & quidem rectè, contra quosdam Recentiores, non significare Auctorem Libri de Fide ad Petrum *intellectu æquè, ac verbis falsum tenuisse*. In secundo loco notat D. Bonavent. credidisse Auctorem illius Libri non fuisse D. Augustinum. Per hæc non refutari interpretationem D. Th. & D. Bonav. quis non videt? Refutat revera interpretationem de *excessiva* loquutione; at in eo significato, quo utuntur Recentiores, non Veteres, ut lector doctus, & veritatis amans videbit ex iis, quæ suprà docet D. Bon.

Ad-

Addenda Disputationi quartæ.

NUm. 51. lin. 16. ubi habentur hæc verba, *At nego &c.* ita legenda sunt. At nego aliqua in illa universitate, in qua à D. August. prolata sunt, *& in qua intelligenda esse volunt Adversarii*, esse fidei dogmata &c. Hæc verba, *& in qua intelligenda esse volunt Adversarii*, quæ nunc addo, Lector benignus accipere poterat ex iis, quæ num. 54. contra Vindicias Augustinianas doceo, ubi volunt D. Augustinum aliam actionem bonam non agnovisse nisi eam, qua vitam æternam meremur. Hinc etiam cap. 4. §. 5. pag. 58. col. 1. dicunt Gentiles secundùm D. Augustinum actionem bonam non fecisse nisi adjutorio Gratiæ. Et cap. 3. §. 4. pag. 20. probant in sententia D. Augustini eosdem Gentiles nullas ex solius Liberi arbitrii viribus virtutes acquisivisse.

Hæc etiam ad majorem veritatis declarationem addenda puto nu. 55. fin. Et ita intelligi voluisse Sanctum Doctorem illam suam generalem fidei regulam *Gratia majoribus ad singulos actus datur*, penitus arbitror. Nam est certum fidei pronunciatum illud: *Gratia ad singulos actus, qui sunt sicut oportet, datur*, uti dicebam ex Tridentino; non est verò Fidei regula illa alia enuntiatio; *Gratia ad singulos actus bonos datur*, ut n. 54. probo. *In fine disputationis hæc subdantur*; Videantur, quæ num. 29. habeo pro recta hujusce regulæ intelligentia.

Secundùm hasce additiones intelligenda sunt, quæ supra in Indice disputationis quartæ de quarta quæstione commemoro.

Disp. 5. num. 37. lin. 14. ubi incipiunt hæc verba
Hæc verò quæstio, *ita legantur*.

HÆc verò quæstio, etsi in se naturalis est, & ad contemplationem expresse pertineat; tamen inservire potest ad quæstionem Theologicam moralem dirimendam; si enim Antipodes sunt; sequitur Pontifices obligari ad mittendos operarios Evangelicos ad baptizandos illos homines hæc autem veritas theologica, & moralis est.

Num. 42. a principio usque ad §. Quod si dicas *omnia deleantur. Secundùm has correctiones sunt emendanda, quæ habeo de his rebus in Indice Disp. quintæ.*

Addenda disp. 7. num. 99.

Hìc quidem nego cum communi opinione ad remissionem peccati originalis necessarium esse actum doloris, hoc est actum veræ, & propriæ pœnitentiæ, non verò impropriæ, qui est mera displicentia mali præteriti; hunc enim actum esse necessarium ad talem remissionem docuit D. Thom. 4. dist. 16. qu. 1. art. 2. quæst. 2.

Pag.	lin.	*Errata.*	*Corrige.*
119.	20.	c. 6.	c. 13.
122.	13.	ex Trident.	cum ex Trident.
130.	1.	ectum	cati est objectum
113.	1.	objectationes	oblectationes
221.	19.	qualiter	quamlibet
222.	42.	malæ	malè
246.	35.	hos	nos
250.	34.	illaque &	illaqueet
	36.	habet est.	habet
255.	41.	probabilem	probabiliorem
264.	18.	non deberi	deberi
265.	28.	separatis	separati
	35.	naturas	natura
277.	29.	culpas	culpa
281.	31.	exultabunt	exulabunt
287.	39.	uullaque	nullaque
	42.	pœnibus	penitus
288.	10.	parvam	partim
297.	11.	Qui judicantur	Qui non judicantur

Noi Refformatori dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P.F. Ambrogio Lisotti Inquisitore di Padova, nel Libro Intitolato: *Baptisma Infantium in uteris existentium, Auct. Angelo Cupetioli S.T. Prof. Accedunt aliæ Disputationes &c.* non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo Licenza à *Giuseppe Corona*, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 5. Novembre 1722.

(Carlo Ruzini Kav. Proc. Reff.
(Pietro Grimani Kav. Proc. Reff.
(

Agostino Gadaldini Secretar.

DIS-

DISPUTATIO PRIMA

DE BAPTISMATE INFANTIUM IN UTERIS EXISTENTIUM.

CAPUT I.

Finis Disputationis, Gravitas Materiæ, Plurimi Veterum, Juniorumque hisce infantibus baptisma negantes, pauci Recentiorum concedentes referuntur.

De hac re sermonem habui in meo Opere sub Amici mei nomine evulgato, cui titulus: *Tractatus Probabilitatis ex principiis Antiquorum compositus*. c.41. per totum. Finis illius dissertationis tunc fuit, ut quoddam *Probabilioristarum* argumentum, quod in Probabilitatem contorquent, penitus diluerem: Illorum ratio erat, quia nimirum communis antiquorum opinio sancit majorem probabilitatem à nobis in moribus esse sequendam, improbandamque probabilitatem. In cap. 18. attuli, quæ, & quanta prisci Doctores pro hac difficillima quæstione in medium proferant, quæ profectò sunt adeo pauca, & imbecilla, ut certè nemo posthac jure possit sententiam Probabilioristarum specioso communis opinionis titulo condecorare; si veritatis amans videri volet. Attamen, ne argumenti vim fugere viderer; hoc ipsis concedere volui, & in d. c. 41. allatis plurimis plurium sæculorum Auctoribus demonstravi fuisse plusquam communiter statutum non paucis verbis, ut in *Probabilioritatis* disputatione factum fuerat ab Antiquis; sed utriusque partis argumenta diligentissimè, & copiosissimè discutiendo; plusquam, inquam, communiter decretum fuisse, etiam à primis Theologiæ, & Facultatis Canonicæ Coriphæis, infantes in utero existentes baptizari non posse; nihilominus ostendi nos

posse hanc plusquam communem opinionem deserere, & pro virili parte contrariam sententiam propugnavi, intellexique Lectorum non paucos doctrinam hanc meam approbasse, ac propterea cognovisse argumenti Probabilioristarum imbecillitatem.

2. Recentiores morales, atque illi, quos Scholasticos vocant, non adeo frequenter, ut antiquitus facere consueverant, quæstionem nostram instituunt; nam vel de ea non loquuntur; vel ea tantum in medium afferunt, quæ à veteribus Theologis dicta fuerunt; cum verò decretum ab iis videant infantes in utero baptizari non posse, quasi quæstio jam decisa esset, auctoritatem potiùs, quam rationum momenta, Pytagoreorum more, æstimantes unanimi consensu eam negantem opinionem amplectuntur, ut patet præsertim in magno Suario, qui licèt in eorum numero sit, qui Theologiam plurimùm auxerint, atque ornaverint; tamen in re nostra, 3. par. q. 68. art. 11. D. Thomæ solùm verba refert nihil de suo addere aggressus.

3. Hanc quæstionem puto esse omninò magni ponderis, & majoris, quam multi credant. Agitur in hac de plurimorum infantium æterna salute, qui, cum in lucem prodire nequeant, præmoriuntur in utero; & gratia, ac sempiterna beatitudine in æternum privantur. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Joan. 3. v. 5. Agitur etiam De Christi Salvatoris Domini, atque ejus Sacramentorum honore; legislator siquidem est laudabilior, quò lege sua pluribus providet, & remedium, quod pluribus prodest, est perfectius. *c. majores* de baptism.

4. In hujusmodi ergo materia per plura sæcula antiqui tum Theologi, tum Canonistæ, tum *Casuistæ* unanimi consensu opinionem negantem tradiderunt, & Theologi quidem ita quæstionem pertractant, ut & argumenta pro sua opinione in medium adducant, & contrariæ opinionis rationes diluant; ac proinde faciunt tantam auctoritatem, quantam possunt. Negarunt igitur nostris infantibus baptisma Magister sent. in 4. dist. 6. c. 2. Albert. art. 9. D. Thom. in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. ad 1. & 2. & in 4. dist. 6. q. 1. art 1. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstion. 1. ad 1. & 2. & ad Anibal. dist. 6. art. 1. part. 3. q. 68. art. 11. Alen. par. 4. q. 8. membr. 7. ar. 1. §. 2. D. Bonav. in 4. dist. 6. par. 2. art. 1. q. 1. Petrus de Tarant. dist. 6. q. 6. art. 1. Richar. art. 2. q. 1. Ægid. in 3. dist. 3. part. 1. art. 2. ad arg. princip. ad 1. Palud. in 4. dist. 6. q. 1. Hervæus q. 1. Durand. q. 1. Scotus dist. 4. q. 3. Baccon. dist. 5. q. 2. Anton. Andreas dist. 4. q. 3. Rubion. q. 1. art. 2. Petrus de Aquila q. 1. §. *dico igitur*. Gregor. Arim. in 2. dist. 3. q. 2. art. 2. ad 1. Aureolus in 4. dict. 5. q. 1. concl. 4. Argent,

gent.q.1.art.4.Stephanus Brulifer dist.6.q.7.Mayron.dist.4. & 5. q 1. Marsilius Inguen.q 4.art.4.dub.4 Holcot.q.1.art.4. Nicolaus de Orbellis dist. 4. q. 1. Henrichus Gorichen dist. 6. q. 2.& forsan etiam Nicolaus Gorichen, seu Goram. Hi sunt Theologi antiqui, idest florentes ante annum 1500. & hanc opinionem secuti sunt.

5. Ex Summistis, seu Casuistis, ut vocant, antiquis illam docuerunt Joan. de Frib. Sum. lib. 3. tit. 24.q.31. Rainer.de bapt. c.5.casu 1. Asten.lib.4.tit.6.§.*circa secundum* q.5. Guido de monte Rocher.Manip.Curat.de baptism.c.5.Pisanella, & ejus Supplem. V.*Baptismus* 4.quæst.1.Albericus Rosate Diction.V. *Baptismus* 4. Gerson.Summ.Theolog.lib.4.q.6.D.Antonin.3.par.tit. 14.c. 13. §.1.vers.*immersio in aqua*. Angelus V.*Baptismus* 6.num.1.Rosella V.*Baptismus* 4.nu.2.& 6.Herp.in Speculo aureo præcep.1.serm. 13.quæst. ultim. & hanc esse veram credere videtur Nider in Præcep.3. c. 3.litt. E. ubi ait in periculo vitæ, etiamsi solùm aut pes, aut manus ex utero exierit, infantem baptizandum esse.

6. Ex Canonistis eandem sequuntur Gratianus in c. *qui in maternis* de consecr.dist.4.Glossa in c.*si ad matris* eadem. V.*si ad matris*. Hostien.Summ.de Baptism.§.*quid sit ejus forma*. ubi dicit, si solus pes infantis esset extra uterum, infantem non dici natum, ideoque nec renatum. Joan. Andreas in c.*debitum* num.5.De baptism.Archidiac.c.*baptizari*.5.dist.& c. *qui in maternis* de consecr. dist. 4. Bellamera ibidem. Zabarella Clement. Fidei §. *ad hoc* de Summ.Trinit.Geminianus c.*baptizari*. 5.distinct.num.2. Præpositus ibidem num.1.Turrecrem.c.*qui in maternis* de consecr. dist.4. Boic.c.*majores* de baptism.num.3.

7. Hi sunt Doctores viventes ante annum 1500.ac proinde, ut patet in meo Opere de Probabilitate c.9. inter antiquos sunt collocandi; quia verò, ut ibidem noto, multi ex Probabilioristis latiùs nomen gloriosum antiquitatis extendunt, unde etiam Navarrum in choro Antiquorum ponunt; ideò sequendo hanc sententiam afferam Auctores florentes eodem sæculo, pariterque iisdem infantibus salutare lavacrum denegantes, & sunt Sylvester. V.*Baptismus* n.4.q.1.Tabien.V.*Baptismus* 5.num.4.Armilla n.27. Joan. Chappuis in Glossa Summulæ Raym. de baptis. vers. *si puer egreditur*. Tataretus in 4. dist. 4.q. 3. Angles in flor. de baptism. q.2.art.3.concl.1.Tolet.lib.2.c.18.num. 10. March. Anton. Cucchi instit.juris Canon.lib. 5.tit.2.num.26.Matthias Alberti instit. Canonic.lib.2.c.18.Petrus Soto de Baptism.lect.1. Dominicus Soto in 4. distin. 3. art. 11. Arnaldus Albertini tract. de agnoscend. assert.Cathol.q. 19. num. 14.Alios Doctores hujus sæculi pro hac opinione invenire haud licuit; sufficiat tamen scire Sylvestrum

credidisse omnes Doctores ita sentire, & Victoria de baptism. nu. 31. dicit ex omnium placito nativitatem ex utero postulari ad baptismum, & Dominicus Soto asseveravit hoc esse decisum à sacris Canonibus, & habere rationem *evidentem*; hinc procul dubio judicavit apud omnes hujusmodi opinionem esse certam.

Quod attinet ad Doctores proximi sæculi, multi negantem, multi affirmantem opinionem sequuntur; ut patet apud Pasqualigum in Theor.& prax.morient. q. 20. qui tamen malè vocat affirmantem communem.

8. Gabriel Biel, quem certò obiisse anno 1495. constat ex dist. 23. in 4. ejusdem Auctoris, primus fuit, qui de prædicta antiqua, & tam communi sententia dubitare cœpit in 4 dist. 4. q. 4. art. 3. dub. 2. litt. N. & scripsit: *Si verò, ut aliquibus placet, puer adhuc latens in utero matris, quamvis matri conjunctus, aqua corpus ejus contingente ablueretur, vel aspergeretur cum debita intentione, & forma, verè baptizatur*. Eadem verba, & eandem opinionem tenuit in principio sequentis sæculi, nempe anno 1517. Joan. Altenstaig. in Lexi. Theol. V. *Baptismus* vers. *de parvulis in utero*. Eodem modo loquuti sunt Franciscus Victoria ubi supra, Gregor. Valentia tom. 4. disp. 4. q. 1. punc. 2. vers. *tertiò sequitur*. Ille obiit ex Labbæo anno 1546. hic scribebat anno 1597. ut legenti illum tomum patebit. Pro eadem a Molfesio in sum. tract. 4. c. 1. num. 37. citatur Maldonatus de Baptism. c. 1. q. 6. par. 1. Hic Auctor, si est Joan. Maldonatus Jesuita obiit anno 1583. ex Alegambe in Catalogo Scriptorum S. J. Alios Doctores sequentes hujusmodi opinionem hoc sæculo non reperi.

9. Sequenti sæculo eandem plures tradiderunt. Ita Diana par. 2. tract. 15. resol. 43. & par. 5. tract. 3. resol. 12. referens Joan. Præpos. Zambranum, Ledesmam, & Vivaldum, ita etiam Pasq. loco allato citans Philiarcum, Bonac. Laym. Capeavil. Naldum, Zambertum, & Lezanam, quibus addo Molfesium loco allato, Reginal. lib. 27. num. 16. Less. 3. par. q. 68. num. 31. & Coninch. 3. par. q. 68. num. 90. Mastrium in moral. disp. 7. num. 4. Tamb. de bapt. §. 3. num. 8. afferentem Hurtadum, & Leandr. ex Georgio Gobat de baptism. num. 56. Dicastillum, & Tannerum; ex Coninch. Candelabrum Aureum. Omnes ex his, quos vidi, docent equidem opinionem benignam, sed solùm sub conditione, si nempe *aqua possit tangere infantis corpus*. Hanc quoque opinionem, quod valde mirum est, sequitur Hiquæus Scoliastes Scoti in 4. dist. 4. q. 3. num. 8. & animadvertit Doctorem Subtilem baptisma hisce infantibus negavisse, eo quod ablui nequeunt; ac proindè baptizari posse, si ablui possint; cum contra-

rium

rium dicendum sit, si contraria ratio vera evadat. An verò ablui possint, ait *se nescire, & hoc spectare potiùs ad Medicos, & Obstetrices*. Hoc verissimum est. Sed, cum magis spectet ad Theologos, quàm Medicos salus Animæ æterna; profectò Theologi id ignorare non debent.

10. Pater Ludovicus Scildere anno 1664. in lib. de Princ. conscient. formandis trac. 6. c. 2. num. 9. & 10. cognovit hosce infantes posse ablui; hinc sine conditione illa: *Si possunt ablui*, benignam opinionem tradidit, & modum illos aqua tingendi monstravit. Eodem tempore, vel paulo post Jacobus Pignatelli tom. 1. Consult. 153. eandem sententiam copiosè docuit, & refert huic dissertationi occasionem obstetrices dedisse, quæ Romæ jussu Eminentissimi Vicarii examinatæ affirmarunt (nonnullæ solùm) infantem in utero ablui posse. Sequuntur hanc opinionem Georgius Gobat. de bapt. num. 57. Elias a Sancto Cassiano de bapt. nu... Joan. Cleric. de bapt. decis. 29. num. 11. Potestas de bapt. num. 2976. citans Arsdechin. Jacobus Vviestner. tom. 3. tit. de bapt. num. 9. 10 & 11. Antonius Pisauro, seu Alexander Bauntir in Opusculo speciali hujusce quæstionis edito contra Patrem Martinum Orelli c. 5. 3. par. num. 112. ubi per quam copiosè illam pertractat, & num. 95. citat Maurum. Lector hujusmodi opusculum legat, si veritatem in hac materia videre cupit. Sequitur etiam hanc opinionem in suis thesibus casu 23. P. Antonius Bovarius. Denique Pater Dominicus Viva in sua Theologia par. 3. disp. 1. q. 7. de grat. auxiliante me citato eandem eruditè defendit, & ab objectis vindicat.

Pater Andreas Mendo in statera opinionũ benignarum de bapt. disser. 9. q. 2. n. 25. narrat: infantem in utero existentem fuisse aqua ablutum à fœmina proferente formam baptismi; & consultos fuisse Salmaticenses, an hujusmodi infans esset baptizatus, & ex ipsis aliquos affirmasse, nonnullos negasse & alios censuisse consulendam esse sedem Apostolicam. Hic Casus contigit ante annum 1660. cum Auctor eo anno edendi librum facultatem obtinuerit a suo P. Provinciali.

11. Hìc notent, velim, illi, qui si in antiquis Doctoribus opinionem omnino eandem non inveniant, eam aspernantur, atque improbant; notent, inquam, hanc benignam opinionem esse prorsus eandem in re Theologica, atque illam, quam primus ex professo docuit Gabriel Biel, & quam tot Antiqui, & Recentes sequuti sunt; ut videre licet num. 8. & 9. & solùm differre in materia philosophica, nimirum, quia opinio Gabrielis non agnovit infantes nostros posse ablui; quod optimè novit

opinio Recentiorum. Porro Consideratio hujusce differentiæ non ad Theologum, sed ad Obstetrices, sed ad Chirurgos, sed ad Medicos solùm attinet. Hinc eminentissimus Urbis Vicarius, ut hanc veritatem edisceret, non Theologos, sed Obstetrices accersivit, atque examinavit; sciebat enim artis peritis esse credendum. l. 1. ff. de inspic. ventr. l. *semel.* C. de re milit. c. *proposuisti*, c. *causam matrimonii* de probat. c. *fraternitatis* de frigid. & malef. c. *significasti* el. 2. §. 3. de homic. Ex his duo manifestè intelligere debemus alterum opinionem nostram redargui non posse de novitate, ut malè faciunt quidam ex Adversariis; cum doceri cœperit antiquo tempore Gabrielis. Alterum hanc opinionem non esse singularem, & unius, vel alterius Doctoris, sed plurium tum Antiquorum, tum Recentiorum.

12. Quò Antiqui severiores fuerunt in infantes in utero existentes; eo benigniores fuere pueris ex utero egressis; hinc Parisien. de bapt. c. 1. Antisiod. in 3. trac. 3. c. 4. q. 2. vers. *ad auctoritatem Ambrosii.* D. Thomas in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiun. 3. ad 4. D. Bonav. dist. 3. par. 1. art. 2. q. 2. ad 2. Richar. art. 2. q. 3. ad 5. Alen. par. 4. q. 3. membr. 3. art. 3. §. 2. Fribur. Sum. lib. 3. tit. 24. q. 11. Asten. lib. 4. tit. 3. art. 5. q. 2. §. *sciendum.* Supplementum Pisanellæ. V. *Baptismus.* 1. q. 4. Angelus V. *Baptismus.* 7. num. 8. Sylvest. V. *Baptismus.* 1. q. 3. citans Palud & Alen. Tabien. V. *Baptismus.* 3. num. 17. fin. Armilla V. *Baptismus* num. 16. dicunt, si infans moriatur antequam finiatur forma Baptismi, v. g. prolato nomine solius Patris, dicunt, inquam, Deum supplere defectum, & illum infantem salvum facere. Ita etiam videtur sentire Magister in 4. dist. 3. c. 3.

13. Sic etiam D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. quæstiun. 1. ad 3. concedit infantem baptizari posse in pede, si pes extra uterum sit; *eo quod misericordia Dei non sit arctanda.* Notent hanc benignissimam rationem Adversarii illi, qui solam severitatem sequi jubent. Sequuntur hanc opinionem Joan. Fribur. lib. 3. tit. 24. q. 32. Joan. Baccon. in 4. dist. 5. q. 2. art. 1. Orbellis dist. 4. q. 1. Gabriel q. 2. art. 3. Alberic. Rosate V. *Baptismus* 4. Supplementum V. *Baptismus* 4. Altenstaig. V. *Baptismus.* vers. *de parvulis in utero.* Sylves. V. *Baptismus.* 4. q. 1. fin. Boic. in c. *majores* de bapt. num. 4. Ergo ne cum pueris ex utero egressis adeo benignè agitur, & cum iisdem in utero clausis adeo severè, ut nullum remedium, præter martyrium, extare asseverent?

14. Verum Gerson tom. 3. serm. de nativit. Mariæ consid. 2. Gabriel. in 4. dist. 4. q. 2. art. 3. dub. 2. Altenstaig ubi supra docent non esse desperandum de infantibus in utero clausis, sed orandum

dum esse Deum, ut, sicut potest, sine Baptismo sanctificare velit; hoc tamen dicunt fieri ex speciali privilegio; sicut speciale privilegium est aliquos antiquitus fuisse sanctitate donatos in utero.

Ulterius progressus est Cajetanus, & 3.par.q.68.art.11. ausus est affirmare universè infantes in uteris decedentes sine baptismo salvos fieri per fidem parentum; sicut ante Christum ex D. Gregor.lib.4.moral.c.2. Magister senten. in 4 dist.1.c.7. probat parvulos salutem æternam obtinuisse per hujusmodi fidem. Hæc sententia Cajetani meritò deleta est ex ejus operibus jussu Sancti Pii Quinti, & censura à Doctoribus inuritur.

CAPUT II.

Rationes negantium baptisma infantibus in utero existentibus in medium afferuntur.

15. NUnc rationum momenta, quibus negans Antiquorum opinio confirmatur, in medium adducenda sunt, sive ea, quibus antiqui usi sunt, sive, quæ à Recentioribus adhibentur. Antiquiores quatuor afferebant. Primum, quia divina justitia exigit, ut peccatum quodlibet sine aliqua pœna non dimittatur, quam puer in baptismo experiatur, quod esse non potest, dum adhuc in utero clauditur. Secundum, quia gratia modo debito esse largitur; & ideo regeneratio à gratia facta naturæ generationem sequi debet. Tertium, quia infans quandiu in utero est, adhuc causæ originalis peccati conjungitur, ideoque ab eo mundari non potest. Quartum, quia in baptismo debet esse aqua, & spiritus, *contra infectionem carnis, & Animæ.* Et ideo baptismum præcedere debet nativitas in utero, qua Anima conjungitur corpori, & nativitas ex utero, qua nascitur Corpus. Referuntur hæc argumenta à Doctore Angelico d.dist. 6.q.1.art.1, quæstiun. 1. & refelluntur tanquam *non magni ponderis.* Afferuntur etiam a D. Bonav. & Alen. locis allatis, & partim approbantur, & partim improbantur.

16. Doctor Angelicus hac ratione semper utitur; quia nempe baptismus est quædam ablutio; cum ergo infans in utero ablui nequeat, nec poterit baptizari. Præterea a ministris Ecclesiæ conferri debet; ac proinde baptizandus operæ ipsorum subjici debet; ipsis esse notus, & cum iisdem vitam ducere, nullum autem ex his de nostris infantibus affirmari potest. Refert etiam D.

Augustinum Epist. 57. ad Dardanum, de quo infra, sed illum affert in illo loco, quem *Argumentum sed contra* vocant, ubi scimus adhiberi solere a Doctoribus argumenta dubitationis gratia, non ad probandum propositum, nisi iterum ea in quęstione ipsa repetantur. His ipsis rationibus communiter nituntur Theologi; unde Dominicus Soto in 4. dist. 5. art. 11. dicebat illam ex ablutione depromptam esse *manifestissimam*, & Guilielmus Estius in 4. dist. 6. §. 1. esse *evidentem*.

17. Canonistæ, cum debeant legibus uti in probandis suis conclusionibus secundum illud proloquium: *erubescimus sine lege loqui*, pro hac opinione in medium afferunt c. *si baptizata*, c. *qui in maternis* de consecr. dist. 4. Prima auctoritas est D. Augustini de bapt. parvul. lib. 2. c. 27. en verba primi canonis: *Sacramentum Baptismi est Sacramentum regenerationis; quare, sicut qui non vixerit, non potest mori; ita, qui natus non fuerit, non potest renasci; ex quo conspicitur neminem in suo parente potuisse renasci; cum nondum sit natus*. En verba secundi canonis, qui est D. Isidori lib. 1. senten. c. 22. *Qui in maternis sunt uteris, ideo cum matre Baptizari non possunt; quia, qui natus secundum Adam non est, secundum Christum regenerari non potest; neque enim dici in eo regeneratio potest, quem generatio non præcessit*. Aliqui addunt c. *si ad matris* eadem, & est D. Augustini contra Julian. lib. 6. c. 5. ecce verba: *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet ita ut ejus pars deputetur, non Baptizaretur infans, cujus mater Baptizata est aliquo mortis urgente periculo; cum eum gestaret in utero; nunc vero, cum etiam ipse baptizetur, non utique bis baptizatus habetur; non utique ad maternum corpus, cum esset in utero, pertinebat*. Posset etiam afferri in Enchir. c. 43. dicit enim à parvulo recens nato usque ad decrepitum senem sicut nullus prohibēdus est a baptismo; ita nullus est, qui non peccato moriatur. Ecce, qui baptizari possunt. *Puer recens natus, & cæteri usque ad decrepitum senem*.

18. Verùm luculentissimè suam mentem explicuit Sanctus Doctor Epist. 187. alias 57. cujus meminit Magister in 4. dist. 6. c. 2. *Nec renasci*, inquit, *quisquam potest, antequam natus sit*. Hoc ergo excepto lapide angulari non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse, antequam nati. Illa sanctificatio, qua efficimur singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi homines nati esse non possunt; nullus autem vitam, in qua natus est, bene finiet, nisi renatus antequam finiat. Quod si quisquam dicit jam esse natum hominem, etiam dum adhuc in ute-

utero est, testimoniumque adhibet ex Evangelio Matt. 1. quia dictum est ad Joseph de prægnante Virgine Domini Matre, *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Nunquidnam huic Nativitati accedit secunda Nativitas? Alioquin jam non erit secunda, sed tertia; Dominus autem cum sic loqueretur, *nisi quis*, inquit, *renatus fuerit denuo*, eam scilicet computans Nativitatem, *quæ fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante; quæ fit ex ea, non quæ fit in ea*, nec enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero, sed illa Nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & spiritu, secundùm quam ex matre Nativitatem etiam ipse Dominus in Bethleem Judæ dicitur natus. Si igitur homo regenerari per gratiam spiritus in utero potest, quoniam restat adhuc nasci; renascitur ergo, antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest. Hactenus S. D. Si verum dicere volumus, videtur negari non posse D. Augustinum stare ab opinione negante: quin illam ratione probare, & contrariam refellere.

19. Ex his concludere etiam posse videtur hanc sententiam esse veluti traditionem Ecclesiæ; quandoquidem doceatur à D. Augustino, D. Isidoro, D. Thoma, D. Bonaventura, D. Antonino, Canonibus Decreti Gratiani, & Theologis plurium sæculorum. Theologi quidem à tempore Magistri usque ad Gabrielem Biel, hoc est ab anno 1150. ad 1490. nunquam de hac dubitarunt; ab illo verò tempore ad annum 1600. pauci sub conditione contrariam secuti sunt, & ab anno 1600. usque ad nos plures quidem sub conditione, paucissimi autem eam simpliciter docuerunt. Quod attinet ad Canonistas, non reperi aliquem de hujusmodi opinione ambigentem præter laudatos Pignatellum, & Vviestner. & revera meritò nec dubitare posse videntur; quoniam, cum sibi persuasum habeant Decretum Gratiani vim legis Ecclesiasticæ obtinere, & clarè in c. *baptizata*, & c. *qui in maternis* hæc opinio probari videatur; efficitur, ut Canonistæ omnes eam tanquam certam credere debeant.

20. Probabilioristæ quoque hanc opinionem deserere nequeunt, si *Probabilioritatem* improbare nequeunt; etenim primarium *Probabilioritatis* fundamentum est Antiquorum auctoritas; cum ergo opinio, qua de loquimur, sit plusquam communis Antiquis, imo unica, eandemque tradant copiosè satis; si *Probabilioritatem* sequuntur; quia docetur ab Antiquis, etsi paucis verbis, & docetur à non multis, nec tanti nominis; profecto hanc opinionem deserere nequeunt. Præsertim verò ipsam

de-

deserere nequeunt Probabilioristæ Galli; cum Illustrissimus Cletus Gallicanus ad Comitia generalia anno 1700. Parisiis in Palatio Sancti Germani coactus decreverit minorem probabilitatem *tanquam quid novum, quid inauditum, & postremo demum sæculo proditum* esse rejiciendam, improbandamque.

21. Præterea non legimus hisce infantibus baptisma unquam datum fuisse; quin etiam certum videtur nunquam datum fuisse; quia, cum baptisma in ablutione consistat, & Theologi vel crediderint, vel dubitaverint illos non posse ablui; manifestè sequitur nunquam hosce infantes fuisse lotos; alioquin Theologi audaces nimiùm fuissent, si negassent, vel in dubium vertissent id fieri potuisse, quod factum esse agnovissent. Opinio igitur Antiquorum videtur esse Ecclesiæ Traditio.

22. Quod si inficiari vellemus non esse Traditionem Ecclesiæ; negari tamen, ut dicebamus, non posse videtur bis a D. Augustino doceri, quem tanti facit Ecclesia, ut videamur nos non posse ab ejus auctoritate recedere. Certe D. Thomas q. 4. de poten. Dei art. 2. tanti æstimat Augustinum, ac plurimos Patres, ut utramque opinionem amplectatur in illa quæstione, an mundus creatus fuerit unico die, vel pluribus; secundam ob auctoritates Sanctorum; primam ob auctoritatem solius D. Augustini.

23. Ulterius rationes D. Augustini adhuc firmæ videntur; quia videtur per se notum aliquem renasci non posse; nisi priùs sit natus, & genitus; & licet per Philosophos, & Theologos infans in utero sit proprie genitus, & natus, vulgus tamen natum, genitumque eum non agnoscit; solum enim ex utero egressum natum nominat, & genitum; hinc testimonium illud Matt. 1. *Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam* &c. non significat generationem, qua Jacob, & Judas in utero procreati sunt; sed generationem, qua ex utero effusi sunt; *eam scilicet*, inquit D. Augustinus *computans nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente.* Sic etiam Ecclesia B. Raymundum per dissectum matris latus eductum *Nonnatum* vocat; & Leges infantes hujusmodi sub nomine Ventris appellant. l. *ventri* ff. de tutor. & curat. Præterea, quamvis infantes in utero aliquo modo sint nati, & geniti; non tamen perfectè, atque integrè; unde veluti sunt dimidii homines. Hinc, si ante debitum tempus ex utero egrediantur, nati non dicuntur, sed abortivi a Legistis, ut cum Tiraquel. docet Zachias in qq. Medicolegal. lib. 1. tit. 2. q. 2. & hujusmodi abortivi testamenta non rumpunt l. 2. C. de posthum. hæred. instit. & notant Jacobus Caymus Lucubr. var. ad rubr. ff. *soluto matrimonio* q. 3. num. 98. & Zachias ibidem cum Baldo.

Sic

Sic etiam, dum infans debito tempore in lucem prodit, non dicitur renatus, ut est evidens. ergo in utero existens non est natus; aliter egressus ab utero esset renatus, ut argumentabatur D. Augustinus; cum renasci illud dicamus, quod iterum nascitur.

24. Hinc patet rationes D. Augustini adhuc vim suam retinere. Ergo nefas est deserere opinionem primarii Ecclesiæ Doctoris D. Augustini optimis rationibus fultam; & contrarium audere est aperire januam novitatibus contra. c. *quis nesciat* 11. distin. c. *cum consuetudinis* de consuet. & contra mentem Recentium Pontificum, qui tot novas opinationes Recentiorum proscripserunt.

25. Huic etiam opinioni favet Triden. sess. 5. can. 4. & olim decretum fuerat c. *placuit* 153. de consecr. dist. 4. Hìc dicitur: Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi &c. Notanda sunt illa verba. *Recentes ab uteris*. ergo infans, ut baptizetur, debet esse ex utero effusus.

26. Negari pariter nequit hanc opinionem videri approbatam à Rituali Romano de bapt. §. *de baptizan. parvulis*, ubi ait. *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* sed, *si infans caput emiserit*, & periculum mortis immineat, *baptizetur in capite*, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum pendeat, baptizetur, & tunc, *si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus*. Hactenus Pontifex. Ecce clausus in utero *baptizari non debet*; quin etiam, ut infans baptizetur, debet *vel caput, vel aliud membrum emittere*. Ergo si nullum membrum appareat, infans baptizandus non est. Verùm quidem est Paulum quintum in Constitutione eidem Rituali præfixa non præcipere, ut eo utamur, sed hortari. Ergo ejus regulas sequi non tenemur. Tamen certum est hujusmodi regulas esse bonas, rectas, honestasque; aliter nobis non suaderet, ut illas amplectamur. Pontifex quoque testatur se conspexisse in illo Rituali contineri *receptos, & approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus*. Negare igitur baptisma infantibus in utero clausis est ritus approbatus ab Ecclesia Catholica Romana. Ergo hunc ritum nos quoque sequi debemus: quoniam, quæ docet, & facit Ecclesia Romana, nos quoque ea docere, & facere debemus c. *nolite* 11. dist. cum sit magistra omnium, ut omnia Concilia fatentur, nec deceat alias Ecclesias, utpotè membra, *à capite discedere*. c. *non decet*. 11. dist. c. *celebritatem* de consecr. dist. 3. Tandem Concilium Tridentinum sess. 7. de Sacramen. in gen. can. 13. docet Sacramentorum ritus per quemcumque Ecclesiæ Pastorem mutari non posse, nec a ministris pro libito omitti.

27. Ac-

27. Accedit his omnibus opinionem contrariam videri omnino Patribus incognitam, quod ex eo intelligitur; quia pro ea nullum Scripturæ Sacræ, vel Patrum testimonium allatum est a suis defensoribus; in rebus autem supernaturalibus, & ad salutem æternam Animæ spectantibus ea tantùm dicere licet, quæ eisdem Patribus, & Scripturæ consona sunt, ut prudentissimè admonebat illustrissimus Clerus Gallicanus supra laudatus; hinc D. Augustinus lib. 2. de ordine c. 9. ajebat ad discendum duo esse necessaria, *Auctoritatem* scilicet, & *rationem*. Ratio etiam manifesta videtur; nam supernaturalia superant vires naturæ; & mores componendi sunt ad regulas certas, quales sunt datæ a Sacra Scriptura, & Patribus, non verò à Natura, quæ per peccatum obscurata sæpius errat, & in præsenti materia si consulamus Medicos, & Chirurgos, quos revera consulere debemus; sunt adeò varii in iis, in quibus de infantibus in utero existentibus agunt, ut nihil certi scire possimus; ut patebit ex infra dicendis. Præterea Philosophia mater errorum est, inquit Jansenius in proœm. quando adhibetur in explicandis rerum Divinarum arcanis; & Cardinalis Noris in Vindic. August. c. 3. §. 3. subdit plerosque Theologos in materia de virtutibus recessisse ab opinione Augustini; quia illi secundùm Aristotelis ethicam de ipsis disputaverunt; At Augustinus ex Sacris litteris, ac subli-miori Theologia suam sententiam deduxit.

28. Hæc doctrina adeò increbuit in Gallia, ut Pater Natalis ab Alexandro in præfat. Theol. Dogmat. & Moral. dicat quæstiones morales esse solum dirimendas *ex Divinis litteris*, Sacra Scripturà, Patribus, Conciliis, Decretis Pontificum, D. Thoma, D. Raymundo, & D. Antonino, & Gaspar Jueninus tom. 1. dissert. 4. q. 8. & Illustrissimus Genettus tom. 1 c. 1. q. 3. sunt adeo severi, ut velint hujusmodi veritates depromendas esse ex Sacra Scriptura, & Traditione.

29. Denique omnino videtur ipso facto non esse conferendum Sacramentum in casu nostro, nam ex Innoc. Undec. condemnante plures opiniones num. 1. statuitur conferri non posse Sacramentum ex opinone probabili; quando *agitur de ejus valore relicta opinione tutiore*. Cum ergo hìc *de valore* baptismi agatur; & solùm ad summum opinio contraria sit probabilis; sequitur ipso facto non posse nos sequi opinionem contrariam, & penitus esse abstinendum a Ministerio Sacramenti.

30. Ulteriùs Probabilior videtur opinio Antiquorum, quàm contraria Recentiorum; quia illa habet tot, & tantos patronos; hæc verò non multos Doctores, nec tanti nominis habet,

bet, ut aliquo modo comparari possint cum illis. Et quamvis concederemus licere sequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliore, & tutiore, ut vult communis Recentiorum opinio; tamen negari nequit conducibilius, & tutius esse sequi probabiliorem, & tutiorem, etsi plures Probabilistæ contrarium probare conantur; nam ex D. August. lib. 1. de bapt. contra Donat. c. 3. & 5. incerta non sunt præponenda certis; & hìc S. D. agit de Ministerio Baptismi, & tenendum est certum, & relinquendum incertum. c. *si quis autem.* de pœnit. dist. 7. nec certum mutandum esse pro incerto scripsit Metellus in fine sui consulatus Boccho Mauritaniæ Regi apud Salustium de bello Jugurt.

31. Hæc sunt principalia argumenta, quæ pro illa Antiquorum opinione afferri possunt. Nonnulla levissima, quæ post editum opusculum mihi objecta sunt, in fine referam, & refellam. Cæterum nunquam satis mirari desinam, quomodo tot Theologorum Principes ignorare potuerint veritatem illam. *Infantem in utero instante partu posse ablui*, quam ab Obstetricibus, Chirurgis, & Medicis noscere nullo negotio poterant; sicut etiam si legissent Hippocratem, Æginetam, Celsum, Avicennam, & alios Medicos.

22. Ut autem Doctores, qui dubitarunt de veritate opinionis antiquæ sunt de hoc laudandi, quia passi non sunt ab auctoritate tantorum Doctorum adduci ad credendum infantes in utero esse ablutionis incapaces; ita laude digni non sunt, quod noluerint penitus veritatem agnoscere, quam adeo facile poterant. Hi Theologi revera nesciebant an infantes nostri ablui possent; Medici verò, Chirurgi, & Obstetrices scire nequeunt an hujusmodi homunciones habeant ea omnia, quæ à baptismo postulantur; hinc plures infantes ex negligentia Doctorum certò eternùm infeliciter perierunt, qui forsan salutem æternam consequuti fuissent.

33. Nunc dabunt mihi veniam Lectores pii, ut vehementer conquerar de illis Recentioribus, qui, quamvis patefacta clarè jam veritas sit, & evidenter demonstratum hosce Infantes posse in utero ablui, pergunt adhuc, & illud pronunciatum Antiquorum laudant *Infantes in utero ablui non possunt.* Profectò rei erunt æternæ damnationis illorum Infantium; dum ex supina negligentia oculos aperire nolunt clarissimæ veritati, & propter illam rationem nostris Infantibus baptisma negant. Quando agitatur quæstio v. g. an Matrimonium Bertæ sit *validum*, quia suspicio est, ne intercedat impedimentum Frigiditatis, ut vocant, nonne ex præscripto c. *proposuisti* de probat. c. *fraternitatis* de frig. &

ma-

malef. Judex mandat, ut honestæ mulieres fœminam inspiciant, & referant veritatem? Sic etiam, quando dubitatur an mulier sit gravida, tunc traditur obstetricibus inspicienda l. *temporibus* ff. *de inspic. ventr.* Nonne quæstio nostra est omnino similis? Cur ergo non consulimus obstetrices? Chirurgos? Medicos? Si eadem est ratio, idem æstimari debet inquit l. *illud* ff. ad leg. Aquil. Vide num. Numquid major cura adhibenda est in dirimenda quæstione de Matrimonio, quàm de baptismo? Aut majus negotium est, ut filii generentur Mundo, quàm Cœlo.

34. Sunt prorsus incredibilia, quæ faciunt obstetrices, Chirurgi, & Medici, quando partus est difficilis, ut vivus infans in lucem edatur, vel quando est mortuus, ut quàm citissimè extrahatur. Videantur Medici, & Chirurgi de hac materia tractantes, præsertim verò legantur Scipio Mercurio lib. 2. & Franciscus Mauriceau lib. 2. qui quam plurima præcepta tradunt de hac re. Mauriceau cum Celso asseverat operam, qua Chirurgus parientem adjuvat, esse omnium laboriosissimam, quam subire possit, & subdit Fabritium ab *Aquapendente* narrare se ab incœpto aliquoties destitisse, & aliis finiendum concessisse; quia nimiùm lassatus fuerat. Jure tamen tot labores subeunt; Sciunt enim se præcepto charitatis teneri ad enitendum totis viribus, ut miserrimos illos infantes à morte vindicent; quandoquidem 1. Joan. 3. dicit. Non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate.

35. Ex his conficitur argumentum. Obstetrices, Chirurgi, & Medici tot peragunt, ut temporalem vitam infantibus tribuant; Theologi nostri nihil facient, ut ipsis vitam æternam largiantur? Legebatur in Antiquis Antipodas esse fabulosos, Oceanum esse invium, Zonam torridam esse inhabitabilem. Num Christophorus Columbus acquievit hisce dictis? An potius auri, gloriæque fame percitus voluit oculis suis cernere veritatem? Cur ergo Theologi Cœlestis thesauri fame perculsi, ut illo nostros infantes ditent, omni conatu non satagent eos abluere, licèt antiqui ablui posse inficientur?



CAPUT III.

Necessaria scitu de utero ad dirimendam quæstionem traduntur.

36. UT verè, atque integrè, quantum fas est, propositam quæstionem dirimamus, opus est, ut aliquam de uteri natura, & proprietatibus tradam, quæ omnino necessaria videntur. Antequam verò id faciam, duo præfari me juvat, unum Theologis severis, alterum Medicis, & Chirurgis. Hos igitur precor, ne me irrideant, si tam pingui Minerva hanc spartam impleverim; nec enim propositum meum diligentiorem exigit explicationem. Illos autem etiam, atque etiam hortor, ut hac vice patiantur me de hac materia agere,& innatam severiorem existimationem ex animo expellant,qua credunt in honestatis leges peccari,si de hisce rebus Theologi nostri loquantur.Nunquid ergo, ut huic imaginariæ honestati consulam, debebo cum Auctoribus hæc ignorantibus generaliter dicere *Infans in utero nequit ablui*? *Non est notus Ecclesiæ*? & ex hac falsa credulitate negare baptisma nostris infantibus, & sinere, ut in æternum pereant? Ut Medici mulieribus medeantur in aliqua propriarum partium laborantibus, debent earundem cognitionem haurire; & peccarent secundùm Hippocratem de morb.mulie.tex.87.si vellent muliebria, ut virilia curare; *multum enim*, inquit famosissimus Senex, *differt muliebrium, ac virilium curatio*. Porro has partes quàm diligentissimè explanando, quin etiam figuris adamussim repræsentando non credunt se honestatis leges violare. Debebitne Theologus existimare se violaturum honestatem, si crasso calamo eas describat, ut animas horum Infantium à peccati originalis morbo liberet, quod pro rei dignitate, ac veritate facere nequit sine hujusmodi cognitione? Vel autumantne explicari posse uteri qualitates, si naturam, & ejusdem partes ignoremus? Præterea antiqui *Casuistæ* in quæstione illa: An Virgo clam violata Virginitatis velo insigniri possit, non sunt adeo religiosi; imo diligenter admodum amittendæ Virginitatis modos describunt; ut videre licet præsertim apud Joan.de Frib.Sum.lib.3.tit.3.q. 18.

37. Sed audiant isti, & tandem sileant, aurea verba D. Aug. lib. 14. de Civit. Dei c. 23. *Quisquis ad has litteras*, inquit S. D. *impudicus accedit*, culpam refugiat, non naturam; *facta denotet suæ turpitudinis*, non verba nostræ necessitatis, *in quibus mihi*

facile

facile pudicus, & religiosus lector vel auditor *ignoscat.... quia non damnabilem obscœnitatem commemoramus, sed in explicandis, quantum poßumus, humanæ generationis affectibus verba tamen obscœna devitamus.* Hactenus Augustinus. *Nec hic ulla intervenit temeritas præsumptionis, ubi,* inquit Leo Magnus Epist. 92. c.16. *est diligentia pietatis.* c.*si nulla* de consecr. dist. 4.

38. Verùm ad propositum accedamus. Intelligendum est ergo ex Regnero Graaf de mulier. organis c. 8. & reliquis Anatomicis uterum sic dici ab utre, & vocari etiam solere Matricem, Utriculum, & Loca muliebria. Collocatur autem in regione hypogastica, hoc est in infima parte imi ventris, quæ in cavitate, quæ peluis dicitur, constituitur ab osse sacro, & ossibus ilei. Ejus figura ab aliis statuitur rotunda, ab aliis pyriformis. Graaf ait ad triangularem accedere. Theologus, si cogitatione concipiat amphoram cavitate, & collo sex, septem, octo, aut etiam novem ex Graaf c. 7. digitos per transversum longo donatam, & ita positam, ut cavitas superne sit, inferne collum, sibi facilè finget figuram, & situm Uteri; namque est certum Uterum duas partes habere, quarum superior cavitas, inferior collum appellatur. Scio Graaf, & alios cavitatem dividere in fundum, & cervicem. Nobis nostra divisio sufficiat cum Thoma Bartolino in Anat. reform. lib. 1.c.29. qui collum etiam cervicem vocat.

39. Collum pro captu nostro in tres partes dividi potest, scilicet in orificium exterius, quod oculis patet, & in orificium interius, & est illa pars, quæ cum cavitate proximè conjungitur. Hoc orificium vocatur a Graaf c. 15. tab. 24. fig. 3. *Uteri osculum*, & quando Hippocrates *Uteri osculum* nominat, creditur significare velle hoc orificium. Tertia pars colli est illa longitudo sex, septem &c. digitorum per transversum intercedens inter osculum uteri, & orificium exterius.

40. Facta conceptione uterus clauditur in orificio interiori, & ita clauditur, ut nec cuspidem acus admittat ex Hippocr. de natur. puer. num. 37. & 39. & Galen. class. 1. lib. 15. de usu part. c. 7. & ita communiter creditur, ait Bartolinus ibidem. Aperitur autem uterus, quoties infans exire conatur; partus enim fieri non posset, si uterus non aperiretur. Porrò hæc apertio est adeò mirabilis, ut Galenus loco allato dixerit nos posse illam admirari, non capere. Aperitur etiam, quando facta prima conceptione post aliquod tempus fit alia conceptio non excluso primo conceptu. Sed hæc apertio ad rem non pertinet.

41. Credebant olim fœtum primo efformari per mixtionem seminis, vel seminum cum sanguine menstruo fœminæ factam in ute-

utero ; nunc verò Anatomici, qui affirmant hominem , & quodlibet aliud animal generari ex Ovo , dicunt ovum in testibus mulierum fœcundari ab aura seminali viri , & post paucos dies propelli per quoddam canale , quod Tubas Falloppianas à primo harum partium detectore Fallopio appellant ; propelli , inquam , in uteri cavitatem . De hoc inter alios Recentiores videatur Graaf c. 14.

42. Fœtus in utero à duabus membranis involvitur . Prima , quæ proximè totum infantem ambit , dicitur amnios , quam Galenus amiculum etiam vocat , est tenuissima , & transparens . Secunda , quæ est crassa , & infantem etiam ex omni parte amicit , appellatur Chorion. Utraque ex his admittitur ab omnibus tum antiquis , tum Recentioribus , & in quovis partu videri potest , & aliquando puer nascitur obvolutus ab amnio . Hunc partum esse fortunatum vulgus credit , & mille superstitiosa , & vana de ipso disseminat . Medici quoque eundem felicem dicunt , eo quòd sic vestitus ab illis angustiis sine sui , & matris læsione exire potuerit; quod posterius tanquam omnino verum fatendum est . Multi affirmant inter hasce membranas aliam interponi , quam cum Galeno Allantoidem nuncupant ; Hanc novissimè tuetur egregius vir , Joannes Fantono , ut videre licet in decimo tomo Jtaliæ Ephemeridum pag. 325.

43. Certum est in his membranis humores contineri . Sed Auctores differunt de numero , & usu eorundem ; aliqui enim esse duos volunt , alii tres . Rursus quidam esse excrementa , alii nutrimenta , alii partim nutrimenta , partim excrementa affirmant. Qui excrementa esse credunt , in amnio sudorem , in Chorio urinam locant . Sed Bartolinus c. 36. ait tum sudorem , tum urinam in amnio reperiri . Graaf utrumque esse nutrimentum judicat. Ad rem nostram nihil refert. Nonnihil facit humorem quemdam in amnio contineri , in quo infans innatat .

44. Chorio adnascitur quædam substantia carnea figuræ orbiculatæ , & placenta , & Epar Uteri nuncupatur. In umbilico infantis incipit quidam funis constans ex vena , & duabus arteriis, Uracho , & ligamentis longitudinis ulnæ, & amplius ex Bartolino c. 37. quatuor palmorum ex Mauriceau lib. 2. c. 4 sed aliquando est brevior. Progreditur ad collum, gyrat per frontem , & inde connectitur cum Placenta . Verùm placenta jungitur utero minutissimis *filis* , quæ assimilari queunt radicibus arboris , quibus ipsa arbor terræ infigitur . De hoc vide Graaf tab. 22.

45. Fœtus dupliciter egreditur ex utero , vel per collum , seu vaginam uteri, vel per incisionem uteri . Si secundo modo fiat

habetur partus cæſareus, ita appellatus, quia cæditur uterus, & hinc cæſareum nomen deductum. Hoc modo Scipionem Aphricanum priorem, Julium Cæſarem, & Manlium natos ſcribit Plinius lib. 7 hiſtor. natural. c. 8. & noſtris temporibus taliter in lucem veniſſe D. Raymundum, ob hanc rationem *Nonnatum* appellatum ex Romano Breviario didicimus. Ante hos omnes ſic ortum Latinum Lycam canit Virgilius Æneid. 10. *Inde Lycam ferit exectum jam matre perempta*.

46. Partus primi modi vel debito tempore accidit, & parte debita præeunte, nempè capite, & habetur partus naturalis; ſi ſecus fiat, partus *præternaturalis* appellatur. De tempore Medici inter ſe digladiantur. Communis opinio ex l. *ſeptimo* ff. de ſtatu homin. de qua Zachias lib. 1. tit. 2. q. 1. & 3. vult partum dici naturalem, ſi ſaltem ſeptimo menſe fiat; quin etiam Gloſſa ſufficere docet, ſi menſis ſit incœptus; & in l. *inteſtato* V. *ſecundo die* ff. de ſuis, & legit. hæred. dicit ex Hippocrate filium eſſe legitimum, ſi naſcatur 182. die. Hanc communem opinionem improbat ipſe Zacchias d. q. 3. cum Lalamantio, & Fortunato Fidelio, & affirmat ad partum naturalem ſaltem novem menſes poſtulari. Eſt etiam perquam communis opinio apud Zacchiam q. 2. num. 12. natum ante ſeptimum menſem propriè abortivum vocari; & huic ſententiæ favet d. l. *inteſtato* §. fin.

47. Partus uterque ex multis capitibus poteſt eſſe difficilis, ut videre licet apud Zacchiam lib. 1. tit. 4. q. 4. num. 14. Mercurium lib. 2. Mauriceau lib. 2. c. 10. Sennertum tom. 2. Operumque 3. lib. 4. par. 2. ſec. 6. c. 4. Maziero Sogno Chirurgo giornata 1. & alios, qui figuris plurimos modos oſtendunt, quibus difficilis partus contingit. Hinc Hippocrates 5. aphoriſ. 56. dicebat. Quæcumque utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt ſine occaſione manifeſta, difficulter pariunt, & cum periculo.

48. Cauſæ difficultatis ſunt, vel quia uterus eſt debilis, & ad ejiciendum infantem non inſurgit, ac doloribus illis, qui ex uteri conatu ad expellendum fœtum excitantur, gravida non corripitur. Vel quia Spiritus, & Sanguis, quæ ſunt inſtrumenta expellendi partum, non adſunt in ea copia, quæ neceſſaria eſt ad hujuſmodi expulſionem. Item ſi in utero Gemelli, vel plures ſint, & eodem tempore exitum quærant; aut ſi fœtus molam cohærentem habeat; aut ſi eſt magnus vel ſecundum omnes partes, vel ſecundum caput. Vel ſi vaſa umbilici aliquot gyris collum vinciant. Vel quia tota aqua ex utero exiit; unde orificium & vagina exſiccentur; ac propterea dilatari nequeant, ut op-

eſt.

est. Inter partus difficiliores enumerantur, quando infans natibus, dorso, ventre, pectore, vel manibus, pedibusque osculo uteri obversus egredi tentat. Si quis figuras horum partuum videre cupiat, Auctores prædictos adeat.

49. Ex his omnibus, quæ Obstetrices, Chirurgi, & Medici certa existimant, intelligere licet sæpè contingere, ut cavitas uteri sit aperta, & tamen infans sit intra ipsam cavitatem, vel intra ipsum collum, & nulla pars extra appareat; & hic secundus casus anno 1705. die 26. Decembris hora 22. mihi accidit. Assistebam cuidam gravidæ *Animam agenti*; quia parere nequibat, & eam hortabar, ut morti libenter se præpararet. Cum Obstetrix tactu percepit infantis caput esse in orificio interiore. Tum præcepi, ut madefacta tela subtili infantem abluere conaretur, quod Deo dante Obstetrix peregit. Insperatò postea natus est infans, & iterum sub conditione baptizatus fuit ob dubium, si opinio contraria vera esset. Cæsar Fortini egregius Chirurgus Monticuli in Piceno anno 1711. die 18. Octobris infantem & ipse in utero baptizavit, & sedulò hanc veritatem Obstetrices edocere studet.

Ex hujusmodi doctrina patet duos casus contingere, in quibus totus infans reperitur intra uterum, & uterus est apertus. Potestne ergo tunc infans baptizari?

CAPUT IV.

Aperto utero Infans in utero physicè baptizari potest.

50 Quæstio fieri nequit, an infans in utero, si ipse uterus sit clausus, possit baptizari; quia, cum baptisma sit quædam ablutio, dicebat D. Thomas 3. par. q. 68. art. 11. & sit decretum c. *Spiritus Sanctus* de consecr. dist. 5. in quo omnes nunc conveniunt, licèt Antiquorum nonnulli consistere in aqua dixerint; sequitur infantem in utero, ipso clauso, baptizari non posse. Porrò n. 40. ostendi esse clausum, donec partus sive naturalis, sive *præternaturalis* instet.

51. At inquiet fortasse quisquiam infantem baptizari posse abluendo matrem; nam infans est matris portio ex l. 1. §. 2. ff. de inspic. ventr. & l. *ventre*. ff. de acquir. vel omit. hæred. & à Galeno class. 1. lib. 15. de usu part. c. 5. cum Hipp. 5. aphor. 45. nomine

ventris appellatus, & à Medicis noster infans comparari solet fructui arboris ramo adhærenti.

Sed contra, etenim, ut ait D. Augustinus relatus in c. *si ad matris.* de consecr. dist. 4. sequeretur ex hoc infantem baptizari non posse, *si mater ejus, dum illum gestaret in utero* urgente mortis periculo fuisset baptizata; & tamen fides docet Trident. sess. 5. can. 4. *pueros recentes ab uteris matrum*, etiam baptizatarum, *esse baptizandos*, de quo vide etiam Concilium Milevitanum c. 2. relatum in c. *placuit, ut quicumque* de consecr. dist. 4. Tum ex eod. Triden. can. 3 sicut *inest peccatum originale unicuique proprium*; ita unusquisque proprio baptismo est abluendus. Tum etiam quia infans non conjungitur matri tamquam pars, & membrum; sed tamquam arbor terræ, ut notat Graaf *sicut ergo Arbor, & Terra sunt duo omnino distincta, ita Mater, & infans*. Porro a legibus, & Medicis fœtus appellatur *venter* per Metonymiam; utuntur enim, continente pro contento. Hinc à Glossa in d. l. 1. de inspic. ventr. V. *Portio* infans dicitur portio matris solùm *secundum quid*. Ergo infans in utero matris existens propriè non est pars matris. Illa medica comparatio cum fructu, & arboris ramo sententiam meam plurimùm confirmat; quia fructus, & arbor sunt duo toto cœlo diversa, & distincta. His obiter dictis ad propositum redeuntes.

52. Dicimus instante partu, sive hic secundùm naturam, sive præter naturam contingat, infantem in utero physicè baptizari posse. Ut probemus hanc veritatem, quam evidentem credo, licèt Theologi antiqui unanimi consensu eam negaverint, hìc recolendum illud principium, de quo n. 11. nempe *credendum esse arte peritis.* Hinc Glossa in c. *ut Veterum* 9. dist. V. *Græci* dicebat magis esse credendum Augustino in disputationibus, Hieronymo in translationibus, & Gregorio in moralibus. Et Hieronymus in prologo Scripturæ ad Paulinum ex Horatio scribit: *Quod Medicorum est, promittunt Medici: tractant fabrilia fabri*; hinc etiam Propertio canere placuit: *Navita de ventis, de tauris narrat arator; Enumerat miles vulnera, pastor oves*. Et Imperator in l. 1. §. *omnibus auctoribus*. C. de veter. jur. enucl. non omnes in omnibus; sed certi per certa vel deteriores, vel meliores inveniuntur.

53. Ex his conficimus argumentum. De re, ac materia nostra Obstetrices, Chirurgos, & Medicos solos esse peritos est plusquam evidens; hinc in l. 1. ff. de inspic. ventr. solæ honestæ mulieres inspiciunt uterum ad cognoscendum, an mulier sit gravida, & in c. *proposuisti*, & c. *causam matrimonii* solæ mulieres adhi-

hibentur ad videndum, an mulier sit virgo; & in c. *significasti*, el. 2. de homic. ad decernendum, an aliquod vulnus sit grave, vel leve; ac propterea an aliquis in irregularitatem incurrerit, necne, præcipitur, ut *peritorum Medicorum judicio stetur*. Et ex sola auctoritate doctissimi Hippocratis à l. *septimo* ff. de statu hom. Decernitur partum septenem esse legitimum. Ergo etiam, ut sciamus an uterus gravidus ablui possit, solæ Obstetrices, soli Chirurgi, soli Medici consulendi sunt, non Theologi. Hanc veritatem reapse probavit Eminentissimus Vicarius Urbis, ut retuli n. 11. Fateor equidem posse etiam Theologos artem medicam, Chirurgicam, & Obstetricantem ediscere, ut revera laudati Recentiores didicerunt; tamen veteres Theologi, & juniores antiquam opinionem sequentes hujusmodi Facultatibus operam non dederunt, ut legenti præsentem quæstionem apertissimè constat. Solus Pater Comitolus Obstetrices interrogavit; quæ quidem omnia ea, quæ necessaria sunt ad rectè dirimendam quæstionem nostram, non callent; & quia solum Obstetrices consuluit, ipse quoque deceptus fuit, ut infra patebit.

54. Bifariam infans in utero existens ablui potest, primò quidem aliquo instrumento, quo injiciatur aqua in uterum; sicut Chirurgi tali instrumento utuntur ad injiciendos debitos humores in psum uterum, quando laborat v. g. hydrope apud Sennertum lib. 4. par. 1. sect. 2. c. 11. fin. & illud vocat clysterem; sicut & in l. *item si Obstetrix* ff. ad l. Aquil. Secundò manum in uterum demittendo, & habendo intra digitos parvam spongiam, aut telam aqua imbibitam.

55. Instante partu vel utroque modo, vel uno ex illis infantem in utero ablui posse certum puto. Pro primo audiamus Franciscum Mauriceau in suo tract. de morbis gravidarum in italum sermonem converso lib. 2. c. 33. pag. 289. Hìc acerrimè tuetur fieri non posse incisionem cæsaream vivente matre. Ipsi objiciebatur hujusmodi incisionem esse efficiendam, ut baptizetur infans; si enim talis incisio non fieret, infans moreretur in utero sine baptismo. Ut ergo Auctor præfatum objectum diluat, sic scribit: [Che non si può trovare alcun caso, nel quale non si
„ possa dare il Battesimo, mentre che il fanciullo è ancora nel
„ ventre della Madre, essendo facile di portare con una sirin-
„ ghetta ben netta l'acqua sopra qualsivoglia parte del suo
„ corpo; e sarebbe inutile il dire, che l'acqua non vi si può por-
„ tare; perch'è involto nelle proprie membrane, che glie l'im-
„ pedirebbero; perchè si sà già, che si possono con ogni facilità
„ rompere in caso, che non lo fossero, dopo che si può toccar'

„ il corpo con la siringa; e se si presuppone, che l'orificio interno della matrice non sia sufficientemente aperto, è facile a risponderfi; perchè bisognerebbe presupporre, che non fosse in travaglio; perchè per poco, che lo sia, si può abbastanza dilatare per poterlo battezare, benchè fosse necessario fargli qualche violenza con qualche stromento.] Hactenus Auctor. Ecce tempore, quo infans exire studet, non solùm ablui potest; sed etiam hoc facilè fit. *Essendo facile di portar con una siringhetta &c. Dopo, che si può con tutta facilità toccar' il corpo con la siringa*. In fine capitis ponit figuras variorum instrumentorum, quibus incisio cæsarea perficitur. Videtur etiam litt. I.K.L. illud instrumentum, quo matrix aperitur, & litt. N. cernitur illud, quod vocat *siringhetta*, & quo utitur ad injiciendos humores in fundum uteri. Si Lector hæc instrumenta videbit, certò comperiet esse omninò verum, quod Auctor dicit, esse nempè facilem ablutionem infantis in utero adhibendo tale instrumentum, & hinc libenter priscos Theologos contrarium affirmantes bona ipsorum gratia deseret. Idem Mauriceau c. 29. pag. 273. narrat Parisiis in suburbio Sciamblì anno 1672. agitatam fuisse magnam controversiam inter Parochum loci, & quemdam Regularem Theologum. Parochus nolebat baptizari posse infantem in utero existentem, & vita periclitantem, contra magis rationaliter sentiebat, inquit Auctor, Theologus illo Parocho doctior, & totis viribus probabat baptizandum esse, nec permittendum, ut æternùm pereat.

56. Miror valdè Patrem Natalem ab Alexandro, & Gasparem Jueninum hanc veritatem à Mauriceau non didicisse, cùm viverent Parisiis vel simul cum ipso, vel paulò post. Pater Ludovicus Scildere, & Georgius Gobat de Sacram. trac. 2. num. 57. tali instrumento utuntur ad baptizandum nostrum infantem, & rectè monent aquam injiciendam debere esse calidam, quia frigida noceret utero ex Hippocr. 5. aphor. 22.

57. Sed jam de secundo ablutionis modo verba faciamus. Dubitandum non est instante partu posse sæpè demitti manum in uterum; ac propterea, si demittatur cum spongia, vel tela madefacta, infans ablui poterit. Accipiat quis sinistra puerum recenter natum, ponat dexteram supra ejus pectus, videbit puerulum esse majorem manu crassitudine. Tum in hunc modum secum argumentetur. Hic infans, qui major est, potuit ex utero egredi, ergo manus, quæ minor est poterit in uterum ingredi. Eadem est via dicebat Aristoteles 2. phys. Athenis Thebas, ac Thebis Athenas. Præterea, aliquando infans duplicatus nascitur; hoc cer-

certè longè minor est manus. Ergo multò magis poterit ingredi; præsertim cum majorem vim habeat sibi viam faciendi.

58. Confirmatur auctoritate Medicorum, & Chirurgorum qui in tract. de partu, vel de extrahendis secundis in utero retentis, vel de excutiendo partu emortuo, expressè, & clarè manum in uterum demitti posse affirmant. Quamvis autem maxima testium multitudo improbetur à jure c. *significaverunt*, & ad summum in c. *causam* eod. permittantur adduci quadraginta; nihilominus, cum debeam è mentibus illud dictum evellere, quod ob tot, tantorumque antiquorum Theologorum auctoritatem tam altas radices egerat, opus est, ut ob summam rei necessitatem ab hujus legis præscripto liberum me judicem; neque enim, si solùm unum, vel alterum Medicum in medium proferrem, credere vellent Adversarii: Ergo adducam, quot potero; quin rogo Lectores meos benignos, ut aliorum Medicorum, & Chirurgorum libros legant, & quos mihi faventes invenerint, huic numero adjungant; sic enim faciliùs manifestum fiet, quod nunc ostendere contendo, nimirum, *instante partu manus in uterum demitti potest*.

59. Ita ergo dicunt Hippocr. sec. 3. de superfœtatione, Celsus lib. 7. c. 29. Aetius tetrabil. 4. serm. c. 22. Paulus Ægineta de re medic. lib. 3. c. 76. Avicenna lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 14. 25. & 28. Trotula de passion. mulier. c. 17. Albucasis lib. 2. meth. meden. c. 75. & 76. Arnold. Villanov. lib. 3. Breviar. c. 5. Valescus de Tarant. in Philon. lib. 6. c. 20. Rodericus à Castro Lusitan. de morb. mulier. lib. 4. c. 2. 5. & 6. Nicolaus Rocheus de morb. mulier. curand. c. 30. cum Fuchsio, Albertinus Bottoni de morb. mulier. lib. 2. c. 80. Scipio Mercurio *La Commare* lib. 2. c. 2. Joan. Michael Savonarola pract. major. tract. 6. c. 21. rubr. 31. & 32. Petrus de Largelata lib. 5. tract. 19. c. 27. Ambrosius Paræus de homin. generat. lib. 23. c. 14. Joan. Marinellus de medic. mulier. lib. 3. c. 12. & 13. Vidius Vidii tom. 2. par. 2. lib. 11. c. 34. Hieron. Mercurialis de morb. mulier. lib. 2. c. 4. Joan. Baptis. Soris *Tesoro di Chirurgia* lib. 7. c. 33. Paulus Barbetta in Opere Chirur. par. 1. c. 23. Balduinus Ronsæi de humanæ vitæ primordiis c. 22. Guilel. Rondelet. in meth. curan. morb. de partus diffic. c. 64. Hieronym. Fabrit. ab Aquapend. Operat. Chirurg. par. 2. c. 86. Petrus Salius Diversus in Avicen. lib. 3. Fen. 1. trac. 2. c. 26. Donatus Antonius ab Alto Mari de meden. human. corp. malis c. 114. Victor Trincavella de ration. curand. particul. human. corp. affectus lib. 11. c. 23. Alex. Massaria pract. Medic. lib. 4. c. 13. Lazar. River. Prax. medicæ lib. 15. c. 18. Zacutus tom. 2. lib. 3.

c. 18. litt. E. Ludovic. Mercatus tom. 4. lib. 4. c. 3. pag. 724. Raym. Jo. Fortis de febr. & morb. mulier. *Fœtus mortuus* pag. 420. Michael Etmul. tom. 2. Collegii pract. sec. 7. art. 3. membr. 3. de fœtu mortuo. Sennerti tom. 2. Operumque 3. lib. 4. par. 2. sec. 6. c. 3. fin. & c. 5. ubi citat Joannem Schenchium. Joann. Dolæus in Encycopledia medica lib. 5. c. 7. de partu laborioso Franciscus De le Boe Prax. medica lib. 3. c. 7. de partu læso à n. 163. ad 169. Isbrandus Diemerbroeck Anatom. lib 9. c. 15. Bernardinus Christini *Pratica Medicinale de' mali delle Donne* c. 20. Deniqueita censet Philippus Maziero *nel Sogno Chirurgo* giornata prima.

60. Juvat hìc ipsa verba Hippocratis referre, ut credere cogantur Adversarii ita reliquos Medicos sentire. Quod si, inquit allato loco, extra uteri osculum, verùm intra pudenda fuerit (infans) *manibus immissis* caput apprehensum extrahito. Si autem fœtus maneat mortuus, nec spontè, nèc per medicamenta naturaliter excidat, *manu cerato maximè lubrico illita, & in uterum inclusa humeros à cervice valido pollicis appressu dividito.* Hactenus Hippocrates. Nota in collum uteri posse utramque manum demitti: *Manibus immissis.* In uterum tamen sola manus demittitur. *Manu.* Hæc verò manus in uterum injecta *valido pollicis appressu* humeros à cervice revellere potest. Non poterit eadem manus cum parva spongia, vel tela madefacta humeros, & cervicem abluere? Subjungamus verba Celsi, quæ docent modum injiciendi manum in uterum: En ipsa: *Hac occasione usus Medicus unctæ manus indicem digitum primùm debet inserere, atque ibi continere donec iterum os adaperiatur, rursusque alterum digitum demittere debet, & per easdem occasiones alios, donec tota esse intus manus possit.* Nil clariùs ad rem nostram afferri potest.

61. Mauriceau ulteriùs progressus est, & c. 13. pag. 222. præcipit ad cognoscendum an infans in utero sit vivus, ut *manus in matricem demissa*, & infantis brachio apprehenso, vel vase umbilici tactu percipiamus, an arteriæ motum suum peragant, necne. Hæc eadem manus pedes, ventrem, dorsum, caputque infantis abluere non poterit?

62. Ut verò Adversariis morem geram, & ex Patribus demonstrem hunc modum probandi veritates Theologicas testimonio Obstetricum, Chirurgorum, & Medicorum esse legitimum, in medium affero auctoritatem Tertulliani luce meridiana splendidiorem. Lib. de Anima c. 25. totus est Auctor, ut convincat Philosophos, & Hæreticos Animam immitti in corpus, ante-

quam

quam infans exeat ab utero. Ex duobus capitibus hoc præstat. Primum ex testimonio matrum his verbis: *Ne ex Medicis quidem defuit Hicesius & Naturæ & Artis prævaricator* (ex eo quod docuit fœtum ante partum non animari) *Puduit, opinor*, illos hoc statuere, quod fœminæ agnoscerent. At quanto ruboratior exitus à *fœminis revinci, quàm probari;* in ista namque specie nemo tam idoneus magister, arbiter, testis, quàm sexus ipsius. *Respondete matres*, vosque prægnantes, Vosque puerperæ. *Steriles, & masculi taceant. Vestræ naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides convenitur, an aliquam in fœtu sentiatis vivacitatem alienam de vestro, de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, ubique ponderis regio mutetur.* Hactenus Tertullianus. Ecce ad probandum infantes in utero habere animam *nemo tam idoneus magister*, arbiter, testis, *quam mater.* Igitur Tertulliani verba usurpans dicam confidentissimè: *Respondete matres, vosque prægnantes, vosquæ puerperæ.* Steriles, & masculi taceant. *Vestræ naturæ veritas quæritur, vestræ passionis fides convenitur,* an instante partu sentiatis manum alienam volventem fœtum, *de quo palpitent ilia, micent latera, tota ventris ambitio pulsetur, & ubique ponderis regio mutetur.* Si quis hæc negaret, vel sibi displiceret se à testimonio hujusce rei, utpote masculum, repelli; proculdubio Tertullianus subjungeret: *Puduit, opinor, illos hoc statuere, quod fœminæ agnoscerent.*

63. Secundum caput, quo Auctor probat infantes in utero esse animatos, intelligitur ex verbis sequentibus, quæ eodem loco subjungit: *Atquin & in ipso adhuc utero infans trucidatur necessarià crudelitate, cum in exitu obliquatus denegat partum, matricida, nimoriturus.* Itaque & inter arma Medicorum *Organon est*, quo priùs patescere secreta coguntur *tortili temperamento* cum *anulo cultrato*, quo intus membra cæduntur anxio arbitrio; cum *Hebete unco*, quo totum pecus extrahitur violento puerperio. *Est etiam æneum spiculum, quo jugulatio ipsa dirigitur cæco latrocinio*... Hoc & Hippocrates habuit, & Asclepiades, & Erisistratus, & majorum quoque prosector Herophilus, & mitior ipse Soranus. Ita Syllabatim Tertullianus.

64. Ecce per Tertullianum Etnicorum barbaries instrumenta reperit, quibus adhibitis non *necessaria*, ut ipsi crudeliter autumabant, sed libera crudelitate in frusta cædebant miserrimum infantem in utero; & ideò trucidabant; quia ipse fatali eventu cadens obliquatus in orificium interius; & eundem vel nolendo, vel non valendo in rectum dirigere, ut faciunt nostræ Obstetrices, metuebant, ne matricida evaderet. Evidens nunc argumen-

mentum conficio. Etnicorum impietas invenit instrumenta sanguinem infantis effundendi in utero, ipsum in frusta laniando. Christianorum pietas instrumenta non inveniet, quibus super eundem infantem parum aquæ effundatur. Numquid faciliùs erit infantem *laniare*, quàm *lavare*? Pudeat Charitatem Christianam hoc credere.

65. Habemus hic argumentum evidens contra Probabilioristas nos severissimè obligantes ad consulendos Patres, ut quæstiones morales dirimamus. De hoc infra in peculiari disputatione. Ipsi dicunt nos non posse abluere infantes in utero. Quo, quæso, Patrum testimonio illud pronuntiatum tam confidenter enuntiant? Si hujusmodi auctoritates afferrent, digni quidem excusatione essent, si cum talibus errarent ex D. Hieronym. Epist. 11. c. 3. inter D. Augustini. Verùm credo nos ipsis illud palmare objicere posse: *Patere legem, quam tu ipse tulisti.* c. cum omnes *de constitut.* l. 1. ff. *quod quisque juris*, & illud: *Aliis legem non esse imponendam, quam nos servare nolumus* c. pro illorum *de præben.* Posthac Tertullianum legant, si nolint in hac re peritiores consulere, & fatebuntur procul dubio evidentem esse talium infantium ablutionem.

CAPUT V.

Objecta contra physicam ablutionem Infantium in utero existentium diluuntur.

QUamvis conclusio capite præcedenti probata sit evidens; adhuc tamen adversus eam argumenta alicujus momenti tum ex Medicinæ, tum Theologiæ principiis deprompta in medium adduci possunt, quæ nunc operæ pretium est sigillatim refellere.

66. Objiciunt primò hanc manus injectionem in uterum esse experimentum periculosum, & difficile; ideoque mulierem acerbissimis doloribus afficiet.

Sed audiamus Hippocratem Aphor. 1. pronunciantem: *Vita brevis, ars longa, occasio præceps*, experimentum periculosum, *judicium difficile*. Nonne mulier, ut infans mundo nascatur, vel, ut extrahatur, si sit mortuus, similia, & majora patitur? Cur ergo, ut Cœlo gignatur, talia pati non debebit? Agrippina teste Tacito Annal. lib. 14. ingentem adeò lætitiam concepit ex Astrologorum vaticinio dicentium ejus filium, Neronem, quem utero gerebat, evasurum quidem Romanum Imperatorem, sed

simul

ſimul matricidam futurum, ut inſana exclamaverit: *Occidat, ut imperet.* Noſtræ mulieres non vano Aſtrologorum vaticinio, ſed Dei teſtimonio certiores factæ prolem baptizatam Cœlo imperaturam, hilares non patientur quoslibet dolores, & cruciatus, ut ſacro fonte luſtretur?

67. Objiciunt iterum. Certum eſt infantem in utero à membranis ambiri, Ergo proximè ab aqua tangi non poteſt, ut Sacramentum poſtulat; hinc Doctor Subtilis dicebat infantem inclusum in Corio baptizandum eſſe, ſi aqua ad corpus pertingeret; ſecus, ſi non pertingeret.

Nonne eſt opinio probabilis tum Antiquorum, tum Recentium affirmantium, ſi in ſecundis infans lavetur, dum in ipſis involvitur, baptiſmum eſſe ratum, & *validum*? Antiqui ſunt Aureolus in 4. diſt. 5. q. 1. Angelus V. *Baptiſmus*. 6. num. 4. Roſella V. *Baptiſmus*. Sylveſter V. *Baptiſmus* 4. q. 1. Armilla V. *eod.* num. 27. Tabien. V. *Baptiſmus*. 5. num. 4. Recentiores videre poteris apud Dianam par. 5. tract. 3. reſol. 75.

68. Sed accipe veritatem phyſicam. Infans inſtante partu ſe ſolvit à ſecundis eas manibus, & pedibus lacerando. Sic affirmant Aetius c. 3. Bottoni c. 32. Mercurius lib. 1. c. 6. Paræus c. 13. Melchior Sebizii Exercitationes medicæ pag. 600. Diemerbroech lib. 1. c. 35. Lucas Tozzi par. 1. Medicinæ de partu. Hieronymus Capivacceus Pract. lib. 4. c. 8. litt. D. Franciſcus Stochamer Microcoſmographia c. 18. pag. 240. qui ait, ita vehementer infantem calcitrare, *donec eas*, membranas, *omnino diſrumpat.* Ita etiam plerique ex citatis Auctoribus affirmant; hinc ſupervacaneum eſſet longam eorum ſeriem texere, quibus præiverat antiquiſſimus Hippocrates de natur. pueror. his verbis. *Quando verò mulieri partus inſtat, tum ſe movente puero, & manibus, ac pedibus ſe jactante* membranam quamdam internam abrumpi contingit, deinde poſtremam; ruptis autem membranis *tum fætus vinculo ſolvitur, & agitatus foras prodit.* & infr. *Puerque jam plenior factus plus alimenti, quàm adſit, requirat*, ipſe ſe ſe jactans membranas *diſrumpit.* & infra. *Puer autem*, ubi circum circa diſruptæ ſunt membranæ; *Si quidem ſuo momento in caput magis inclinat, facilè mulier parit; quod ſi in latus, aut pedes prodeat .... difficilem partum mulier ſentiet.* Habes per Hippocratem priùs infantem ſe ſolvere à membranis, poſtea ſe inclinare, ſeu deſcendere ad orificium interius, denique ex utero prodire. Habes etiam infantem illis membranis non ſe exuere eo modo, quo ſerpens pelle antiqua ſe ſpoliat tranſeundo per anguſtum foramen, ut credebat quidam vir doctus. Quod ſi aliquando membranæ priùs

non

non lacerentur, hoc fieri potest ab Obstetrice. Ita te docent Practici secuti Albucasim lib. 2. c. 75. hæc scribentem: *Deinde intromittat*(in uterum) *Obstetrix intra digitos suos spatumile parvum*, & findat cum eo secundinam, & secet eam ungue suo, *donec effluat, quod est in ea de humiditate.*

69. Objiciunt tertiò in partu fieri ossium iliacorum, vel pubis disjunctionem, ut docent Ambr. Paræus, & Riolanus apud Mauriceau lib. 2. c. 1. pag. 163. & Pineus apud Laurentium infra laudandum, & alii apud Mercurialem. Quin etiam talis disjunctio videtur innui ab Hippocrate de natur. puer. prope finem illis verbis: *& totum quidem corpus dolor occupat, præcipuè verò lumbos, & coxendices, quæ ipsis diducuntur.* Ex his manifestum videtur ideò infantem egredi posse ex utero; quia hujusmodi ossium disjunctio fit; cum ergo manus talem separationem facere nequeat, in uterum ingredi non potest.

Respondeo alios Auctores validissimè talem ossium separationem rejicere, inter quos Andreas Laurentius Anat. lib. 8. q. 33. & Mauriceau suprà allatus, qui figuram regionis hipograsticæ fœminæ, & capitis pueri exhibet, & regio illa tam ampla apparet, ut infans sine ulla ossium separatione exire queat. Hoc pridem tradiderat instaurator Anatomiæ Andræas Vessalius in Fabr. human. corp. lib. 1. c. 29. Certè videmus fœminas habere latera ampliora, quàm mares teneant, & observat Mauriceau. Tum Medici, & Chirurgi, & narrat etiam Tertullianus num. 62. laudatus, infantem in utero mortuum extrahunt infigendo hebetem uncum in corpus. Nunc quæro, vel tunc evenit hujusmodi ossium separatio, vel non. Si primum; ergo in potestate nostra est facere talem disjunctionem. Si alterum, ergo, sicut corpus infantis mortui, quod majus est, potest egredi sine ossium separatione; manus, quæ minor est, poterit ingredi sine ea disjunctione. Alias rationes pro hac re vide apud citatos Auctores.

70. Objiciunt quartò. Fœminæ post partum per plures dies humorum purgationem habent, ut dicitur Levit. c. 12. & notant omnes Medici cum Hippocrate de natur. puer. ergo illi humores inficient spongiam, vel telam, qua fit ablutio, & aquam baptismo reddent ineptam; hoc idem accidit ex eo, quod spongia Vaginæ latera tangeret. Propter hæc quidam amicus, ut opinionem meam oppugnaret, cum nihil de suo haberet, quod in medium proferret; ut tamen aliquid afferre videretur, confidenter in suis publicis prælectionibus affirmat *se satis intelligere non posse quomodo aqua injici posset in uterum, & non infici ab humoribus inibi stabulantibus.*

Sed

Sed contra. Quando infans ita descendit, ut occupet orificium interius uteri, ea pars infantis, quæ collum uteri respicit, à nullo humore circumdatur, & in ipso collo nulli sunt humores, etsi aliquando essent, facilè abstergi possunt, ut evidens est. Ergo in hoc eventu aqua à nullo humore infecta infantem abluet. Præterea Sennerti c. 3. cum reliquis docet ante partum effluere humores, qui orificium interius laxant, & vaginam; ut fœtus facilius exeat. Aliquando tales humores ante fœtum penitus egrediuntur, & tunc partus difficilis redditur, ut dicebam num. 8. & notant Doctores, inter quos Bottoni c. 75. pag. 71. Sebizius pag. 598. Zachias lib. 1. tit. 4. q. 4. num. 11. cum Paræo, & Columbo. Ex his sequitur instante partu infantem amplius in humoribus non innatare, ut faciebat, dum à membranis ambiebatur. Humores, qui effluunt post partum, & à Medicis Lochia vocantur, duplicis generis sunt; alii nimirum sanguinei, qui in plerisque veniunt, & à venis descendentes post partum per uterum transeuntes foras erumpunt. Ita Sebizius pag. 650. Mauriceau c. 9. Alii sunt Muci, Phlegmata, & aquæ, & hi quoque se se in uterum exonerant ex Sebizio. Sæpè etiam cum partu sequuntur humores fluidi; sed hoc accidit in partu facili, & naturali, in quo eventu non licet Sacramentum ministrare; hoc enim solùm est conficiendum, quando ob difficultatem pariendi metus est, ne infans moriatur in utero, in quo eventu vel pauci, vel nulli humores supersunt in utero; cum per id temporis Obstetrix movendo infantem ipsis viam exeundi faciat. Ad secundum præter allata dicimus parvam illam spongiam, aut telam, cum haberetur intra digitos, aut nihil, aut parum de vagina uteri tangeret.

71. Objiciunt quintò. In c. *contraria* de consecr. dist. 5. dicitur præcepta medica esse Divinæ cognitioni contraria; & in c. *nec aliqua* 22. q. 1. & c. *causam matrimonii* de probat. notatur manus, & oculos Obstetricum sæpè falli. Tum in l. fin. C. *quando tutor, & curat. desinant*, rejicitur indagatio corporis tanquam quid inhonestum. Ergo Obstetrices certum testimonium non faciunt, & nefas est inhonesto intuitu, & à legibus reprobato Sacramentum conferre.

Verùm facilè objectum diluitur. Ad canonem *contraria* patet responsio ex ipso; nam loquitur de quibusdam præceptis Medicinæ *studiosis*, hoc est præscribentibus quædam nimiùm *scrupulosa* ad sanitatem tuendam, quæ possent esse contraria præceptis divinis, & Ecclesiasticis, v. g. revocare à jejunio, à meditatione divinorum, &c. Ita Paulus Zachias in qq. Medico-legalibus.

lib. 6.

lib. 6. tit. 3. q. 4. num. 15. Vide Glossam, & Turrecr. in hunc canonem. Quod attinet ad canonem *Nec aliqua*, & c. *Causam matrimonii*, hi loquuntur de Virginitate probanda, ut est evidens tum in ipso canone, tum in Glossa. In hac re Obstetrices sæpè fallunt, & falluntur. In quo integritas Virginalis consistat, acerrimè Medici inter se digladiantur. Quidam enim affirmant consistere in quadam membrana, quidam negant; ut cernere licet apud Sennerti tom. 2. lib. 4. par. 2. sec. 3. c. 1. q. 2. & Zachiam lib. 4. tit. 2. q 2. Est certum angustam meatuum compositionem importare. Angustam illam compositionem, quam etiam Obstetrices deprehendunt, & partium conjunctionem ab infelicibus puellis deperditam per remedia Ars medica reparare potest ex Zachia lib. 3. tit. 2. q. 7. quicquid dicant Casuistæ aliqui, qui Medicinam prorsus ignorant. Consule Medicos, qui te de hoc certum reddent. Inducta hac angusta partium compositione audaces illæ juvenes se pro Virginibus venditant, & se Obstetricum explorationi subjiciunt, à quibus non cognitæ Judices, qui soli Obstetricum testimonio fidunt, & multò magis Amasios amore ebrios egregiè decipiunt. Ipsi quoque Medici, nisi sint Anatome valdè periti, possunt interdum fallere, & falli in hac re, ut patet ex Zachia ibidem. At nunc agimus de re magna. Agitur de Corpore, de capite, de pectore, de dorso, de manibus, de pedibus infantis, quæ omnia per manus, & oculos Obstetricum, Chirurgorum, & Medicorum rectè nosci posse negabunt solùm Academici, qui apud D. Augustinum lib. 3. contra Academ. c. 16. scientiam de quolibet audacter respuunt.

72. Ad illam legem cum Glossa V. *cessante*. Respondeo explicandam esse de tutela. Ergo Lex imperat, ut cognoscamus, an filius sit pubes; ac proinde non sit tutelæ subjectus, non esse aspiciendum corpus filii; & meritò hoc præcipitur; cum enim tutela sit à Principe instituta, potest ex suo libito tempus tutelæ determinare; præcipuè si de parva differentia loquamur. Cæterum in c. *puberes* de despon. impuberum corpus inspicitur, ut probetur, an matrimonium contractum sit firmum, & ratum; ut notat Glossa V. *ostendit*. Si ergo corpus inspicitur, quando agitur de matrimonio, multò magis inspicietur, quando agitur de Baptismo, utpotè de Sacramento longè magis necessario; neque in hoc aspectu ex tanta necessitate facto ulla indecentia reperitur; sicut nec reperitur, quando fit ex necessitate cognoscendi, an tempus pariendi instet &c.

CAPUT VI.

Infans in utero per artem visibilis, sed ad Baptismum esse visibile non est necessarium; sicut nec Nativitas, quæ fit matre pariente. Fœtus informis, si animam rationalem habeat, est capax baptismi.

73. PAter Paulus Comitolus in Resp. moral. q. 13. quia sibi videbatur absurdum deserere opinionem, quam Theologi *antiquitate, & scientiæ gloria insignes* tam frequenti calculo defendebant; & ex alia parte à peritis instructus cognovit rationem principalem hujus Sententiæ esse falsam, novum modum ipsam tuendi invenire studuit. Affirmat ergo hominem baptizandum debere esse visibilem. Cum ergo infans in utero videri nequeat ex testimonio sibi facto ab *experientissima muliere*, inquit Comitolus; infans in utero baptizari non poterit. Nulli dubium est Obstetricem arte Obstetricandi fœtum reddere visibilem non posse; namque ipsa dilatat collum uteri pinguedinibus, oleis, unguentis, & balneis, ut videre licet apud Mercurium toto lib. 2. præcipuè c. 23. & alios peritos. His remediis partes non adeò dilatantur, ut uterus introspici possit. Ignoscendum ergo Patri Comitolo, si deceptus fuit ab *experientissima muliere*; quia non solæ Obstetrices; sed multò magis Medici, & Chirurgi hanc veritatem callent.

74. Dicendum primò infantem in utero posse per artem fieri visibilem. Hanc veritatem novit Tertullianus num. 63. citatus, dum meminit instrumenti, quod *Organon* vocat, quo mulieres patescere secreta coguntur tortili temperamento: Medici enim, & Chirurgi, ut uteri cavitatem speculentur attentiùs, quoddam instrumentum invenerunt, quo vagina uteri adeò dilatatur, ut cernere queant quidquid in utero reperitur. Hoc instrumentum latinè nunc vocant *Speculum Matricis*. Ejus plures figuras videre poteris apud Mauriceau lib. 2. c. 33. fin. litt. I. K. L. Admonet tamen Philippus Maziero rarò esse hujusmodi instrumentum adhibendum.

75. Dicendùm iterum ad baptisma non esse necessarium, ut baptizandus sit proximè visibilis, id est, lumine perfusus. Proba-

batur autem evidenter; etenim in medio noctis, quando nihil est lucis, infans baptizari potest, Rituale enim Romanum imperans, ut puer in utero existens baptizetur, si aliquod membrum exerat, non meminit luminis. Præterea Theologi Antiqui, & recentes docent equidem Sacramentum per actionem humanam conferri; & quia autumant infantem in utero non subjici operæ humanæ; ideò concludunt baptizari non posse. Hac ratione semper utuntur tum Doctor Agelicus, tum Subtilis. Verùm hanc actionem humanam non esse visionem est manifestum. Tria ab baptisma ex Florent. Concil. sunt necessaria, Ablutio scilicet baptizandi, pronunciatio formæ, & intentio ministri. Ablutio est actio manum plerumque, & fere loquendo. Pronunciatio est actio linguæ. Intentio est actio voluntatis. Ergo ad complementum, & perfectionem baptismi actio humana visionis non exigitur.

76. At inquit Pater Comitolus, ut homo baptizari possit, necesse est, ut nascatur, id est, ut *in vitam veniat, introeat, ingrediatur, & in lucem edatur, quæ omnia idem significant*. Si quæstio derimenda esset à Grammaticis, & Rhetoribus, decisio ab ipso staret. At lis est inter Theologos, qui multùm distinguunt inter nasci, & in lucem venire, id est lumine perfundi. Nam infans egressus ex utero in medio noctis, vel in loco omnino clauso, & penitus luce carente dicitur natus, & est propriissimè natus, & tamen à nullo lumine ambitur. Ratio est, quia Grammatici, & Rethores res crassa Minerva significant; unde sæpe sæpius uno pro alio accipiunt.

77. Inquiunt alii: Ecclesia solùm hominibus sibi notis Sacramenta ministrat, & iis, qui sibi subjiciuntur. Hæc certè vera esse nequeunt, si homo non sit visibilis. Ulteriùs Christus est lux Joan. c. 1. v. 11. amat lucem, tenebrasque odit. c. 12. Ergo verisimile est voluisse, ut Sacramenta solùm iis conferantur, qui ad lucem venerunt.

Sed contra, nam Ecclesia illam cognitionem habere debet de personis, ut ea facere possit, quæ sunt necessaria ad Sacramentum. Ad quid enim ulterior cognitio? Ex modò autem dictis constat ad hæc necesse non esse, ut baptizandus sit visibilis; Sed nec visio necessaria est ad cognoscendum, an baptizandus sit homo; siquidem tactu percipimus corpus esse humanum, & esse vivum; hinc Mauriceau tangendo vas umbilici percipit, an infans in utero sit mortus, vel vivus. Ad alterum Objectum. In principiis Probabilioristarum dicentium Probabilitatem non esse rectam morum regulam ex eo, quod Christus se veritatem vocat,

aliquam quidem veri speciem præsefert argumentum illud; sed revera nullius momenti est, quia Christus est lux per similitudinem, non per proprietatem; sicut per D. August. tract. 80. in Joan. dicitur Vitis vera, Agnus, Petra, & hujusmodi per similitudinem, non per proprietates. Tum Christus Matt. 10. ait. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & Luc. 12. Quoniam, quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur. Ergo Christus etiam tenebras amat. Ergo saltem necessitatis tempore Sacramenta inter tenebras conferre poterimus.

78. Dicendum tertiò, ut baptisma sit ratum, & *validum*, non esse necessariam illam nativitatem, quæ fit *matre pariente*, quod puto certum.

Probatur evidenter. Partus cæsareus est baptizandus; sed in hujusmodi partu non intervenit nativitas, quæ fit *matre pariente*, ergo &c. Prima propositio, quam majorem vocant, est evidens; nam Joan. 3. dicitur: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. c. 3. ait nullum descendentem ab Adam justum fieri, *nisi renascatur in Christo*. Et c. 4. subdit post Evangelium evulgatum aliquem justum fieri non posse, *nisi per baptisma*. Vide etiam c. *firmissimè* 15. q. 1. Ad normam hujus doctrinæ Rituale Romanum de baptis. §. *de baptizandis parvulis* præcipit. *Si mater prægnans mortua fuerit, fœtus quàm primùm cautè extrahatur, ac, si vivus fuerit, baptizetur*. Hoc idem docuerat anno 1404. Concilium Lingoniense, ut refert P. Natalis ab Alexandro de bapt. c. 7. propos. 2. reg. 2. & Concilium Senonense anno 1557. & D. Carolus in instructionibus Baptismi, atque olim tradiderant Theologi cum D. Thoma par. 3. q. 68. art. 11. ad 3. & ipso facto præstitum est in D. Raymundo, qui *Nonnatus* appellatus est eo quod egressus sit ex utero non per actionem naturalem, quæ dicitur *Nativitas*, sed incisione ventris per Chirurgum eductus sit.

79. Restat ergo, ut propositionem alteram argumenti, quam minorem dicunt, probemus, quod facilè præstabimus; nam, mulier dum parit, aliquid agit, & facit; ad partum enim, ut observat inter alios Hieronymus Capivacceus lib. 4. Pract. c. 8. necesarii sunt infans, & mater, infans calcitrando, atque involucra disrumpendo, ut suprà ex Medicis ostendimus; & mater tum vi expultrice, tum voluntario motu facto per musculos abdominis ex Galeno lib. 3. c. 3. de facult. natur. hinc Obstetrices hortantur patientes ad fœtum expellendum. Guilel. Harv. de generat. animal. exercitat. 72. docet partum fieri totius corporis

motu. Præterea partus est opus naturæ l. *Arescusa* ff. de stat. hom. illis verbis: *Nec enim natura permisit simul uno impetu duos infantes de utero matris excedere*. In partu cæsareo evidens est matrem efficientis causæ munus non obire; cum Chirurgus sit, qui matrem incidat, & apprehensum puerum extrahit ex utero. Tum etiam partus cæsareus maximè fit mortua matre, quæ certè, cum mortua sit, nihil facere potest; ergo est evidens ad baptismum non exigi nativitatem, quæ *matre pariente* fit.

80. Dicendum quartò, ut infans sit capax baptismi, opus non esse, ut habeat tot dies, quibus, si per collum uteri exeat, dicatur nasci; sed sufficere, si tantummodo tot dies habeat, quot requiruntur, ut corpus aptum reddatur ad animam rationalem recipiendam; hinc omne, quod constat ex anima rationali, & corpore, etiam imperfectè conflato, descendens ab Adam, potest ritè, & rectè baptizari.

Probatur. Quando infans ex utero exit ante septimum mensem, secundùm communem opinionem vivere nequit, & tunc ille non dicitur natus, sed abortus; & mater non dicitur parere, sed partum abigere, &, ut dicunt, *abortire* ex l. *Si mulierem* ff. ad l. cornel. de siccar. de quo vide Zachiam lib. 1. tit. 2. q. 2. n. 14. & licèt Concennatius Singul. qq. 4. & n. 4. lib. 2. trimestrem, & quadrimestrem partum velit esse legitimum ex eo, quòd Esdræ lib. 4. c. 6. dicatur prægnantes futuris temporibus parituras infantes trimestres, & quadrimestres, quos Dominus suscitabit. Et Avicenna lib. 1. de animal. c. ult. & alii apud Zachiam n. 5. referant quinquemestres fuisse vitales; tamen nihil hæc officiunt; nam illa opinio Concennatii nulla ratione fulcitur; illa enim auctoritas Esdræ stat potiùs ab opinione contraria, ut notat Zachias. Illo loco non dicitur eos pueros victuros, sed *suscitabuntur*. Ergo jam erant mortui; ac propterea, si iterum vivent, id erit virtute Divina; ideoque priùs nati non fuerant; sed per abortum è ventre ejecti; illa verò exempla cum Zachia dicimus esse naturæ miracula, quæ proindè legem, & ordinem ipsius naturæ non evertunt; & ex ipsis jure argumentari nequimus ad cætera; sicut in moralibus, quæ rarò accidunt, non considerantur à legibus; sed solùm ea, quæ frequenter l. *nam ad ea* l. *ex his*. l. *jura* ff. de leg.

81. Præterea l. 2. C. de post. hæred. instit. ut notavi n. 23. dicitur *abortum non rumpere testamentum; utique verò natum, licèt per unum diem vixerit*. Ergo secundùm leges fœtus aliquando dicitur natus; quando nempè tempore debito egreditur; & aliquando non dicitur natus, sed abortus; cum scilicet exit immaturè;

turè; unde abortus ex Zachia q. 10. n. 17. & Capivacc. ibidem, propriissimè est, quando fœtus immaturè editur, id est, ante tempus definitum, quod ad summum est septimus mensis. Sed quamvis hic fœtus non sit natus; quin etiam sit propriissimè abortus; nihilominus, cum habeat peccatum originale, est omninò baptizandus; hinc Rituale Romanum de bapt. §. *de baptizand. parvul.* imperat, ut, si infans aliquam partem ab utero emittat, & in illa cernatur motus vitalis, baptizetur. Hanc doctrinam Theologi cum D.Thom. 3. par. q. 68. art. 11. ad 4. communiter sequuntur; & Doctor Subtilis in 4. dist. 4. q. 3. idem docet; Hinc tanquam fidei Dogma Concilium Tridentinum sess. 5. can. 4. decrevit *Parvulos recenter natos baptizandos esse*.

Nunc quæstio remanet, quonam tempore fœtus anima rationali donetur. Hoc est certum animam rationalem corpori induci, dum est in utero, ut notavit Lactan. de opific. Dei c. 17. & contra Ethnicos, & Hæreticos demonstrat Tertullianus de Anima c. 25. ut retuli n. 63. & contrarium damnavit Innoc. Undec. propos. 35.

82. D. Thomas par. 1. q. 76. art. 3. ad 3. docet priùs produci in corpore animam sensitivam, & hac ablata Rationalem; Sed tempus non definit, quo producatur. Hippocrates de nat. puer. narrat se vidisse abortum sex dierum, & fibras albas conspexisse, & quoddam tenue, quod esse umbilicum judicavit. Paulò post in eodem libro docet, marem primam concretionem accipere ad summum trigesimo die; fœminam verò quadragesimo secundo. Subdit: *Ut plurimùm enim intra hoc tempus, vel paulò minùs, vel majùs ista distingui contingit*. Ex his intelligimus fœtum animari, si sit mas, trigesimo die, si sit fœmina, quadragesimo secundo.

83. Aristoteles lib. 7. c. 3. tex. 7. histor. Animal. ait marem quadragesimo die distinctionem omnium membrorum nancisci; fœminam verò post tertium mensem. Idcircò secundùm hanc opinionem hisce temporibus fœtus animaretur. Ejusdem opinionis fuisse Plinium lib. 5. histor. natural. c. 6. referunt Menochius de arbitris casu 357. n. 3. & Pater Viva propos. 34. n. 19. Innoc. Undec. Lactantius de Opific. Dei c. 12. tradit totum Opus perfici quadragesimo die, nec distinguit inter marem, & fœminam. Glossa in l. *Divus* ff. de extraord. crimin. V. *exilium* hanc opinionem sequitur. Sed Glossa 5. dist. princ. V. *quadraginta* opinionem Aristotelis tuetur.

84. Sed Thomas Fieno apud Zachiam q. 2. n. 44. & P. Vivam propos. 35. Innoc. Undec. n. 10. contendit fœtum animari Ani-

ma rationali tertio die à conceptione, vel etiam ipso primo die conceptionis. Sed hæc opinio est contra Scripturam sacram Exod. 21. ubi ex versione 70. ut notat P. Viva dicitur. *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortivum fecerit; si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima; si nondum erat formatum, mulctabitur pecunia*. Hæc verba referuntur à can. *Moyses* 32. q. 2. & similia habentur in can. *quod verò* ead. qui est D. Augustini in qq. Exodi q. 80. Ergo fœtus in utero modò est formatus; ideoque animatus; modò non est formatus; ac proindè nec animatus. Hinc in c. *Sicut ex* de homicid. expressè statuitur eum, qui abortus occasionem dederit, si conceptus animatus non fuerit, *irregularem* non fieri; utique verò, si fuerit animatus. De his vide Farinac. in Prax. & Theor. Crim. q. 122. n. 139.

CAPUT VII.

Nativitas ex Utero non est necessaria ad valorem *Baptismi*.

85. Duplex est nativitas ex D. August. allato n. 18. D. Thoma in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiun. 3. ad 2. & Albert. in 4. dist. 6. art. 9. in utero scilicet, & ex utero. Prima est ipsa conceptio hominis. Secunda est, quando infans transiens ab utero per vaginam prodit in lucem. De prima fit mentio Matt. 1. ubi de Infante Jesu concepto dicitur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Secundæ meminit Luc. c. 2. vers. 11. Hanc duplicem nativitatem admittit D. Gregor. lib. 29. in cap. 38. Job. c. 10. illis verbis. Homines quippè tunc esse incipiunt, cum in matrum suarum ventre nascuntur; *nam ipsa quoque conceptio nativitas dicitur*, juxta quod scriptum est, quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est. De hoc vide c. 9. n. 131.

86. Pro certo habeo nativitatem ex utero ad *valorem* baptismi non postulari. Memoriæ maximè commendandum est, quid sit nativitas ex utero ex dictis n. 79. ita enim cuique evidens erit hanc conclusionem esse certam. Probatur primò Matt. 28. *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Marc. c. 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Ecce omnis Gens, & *omnis creatura* est necessariò baptizanda. Cum ergo inter omnes *creaturas*, & Gentes reperiantur aliqui, & plures reperiri possint,

qui

qui vivunt, & non sunt egressi per nativitatem ex utero; sed per incisionem ventris mortua matre, vel etiam viva; sive incisio matris vivæ sit licita, sive non licita; sequitur posse baptizari non habentes nativitatem ex utero. Legimus in historiis fuisse homines adeò feros, & crudeles, ut dissectis inimicorum uxoribus extraxerint ex uteris fœtus, & crudeliter jugulaverint. Quis, quæso, hosce puerulos non natos, sed sævissimè abstractos non baptizasset?

87. Confirmatur ex c. *majores* de bapt. ubi dicitur *tam viros, quàm fæminas, tam adultos, quam parvulos esse baptizandos, & à baptismo nec sexum, nec ætatem excludi*. Sed homines egressi per incisionem cæsaream sunt viri, & fœminæ, sunt vel adulti, vel parvuli. Insuper habent sexum, & ætatem; ergo etiam hi sunt baptizandi; ac proindè nativitas ex utero à baptismo non exigitur.

88. Probatur iterum. Nativitas ex utero non habet aliquod peculiare, propter quod Christus motus fuerit ad instituendum baptismum; ergo nulla ratione dicitur ad baptismum esse necessariam nativitatem ex utero. Christus equidem aliquid instituere poterat ex mero suo beneplacito; ita ut tota ratio ita statuendi, esset ipsa voluntas Christi. Tamen in hoc rerum ordine, dum aliquid vel facit, vel statuit, vel instituit, movetur ex aliqua ratione in ipsis rebus reperta ex D. Bernardo homil. 2. super *Missus est*. Hinc Theologi satagunt, ut V. G. inveniant causas, quibus motus Verbum Divinum voluerit homines redimere, non Angelos; hoc tempore Carnem assumere, non alio &c. Probatur verò in nativitate ex utero non inveniri aliquid peculiare, propter quod Christus voluerit instituere baptismum. Per nativitatem ex utero id habet speciale puer, quod potest uti quinque sensibus. Potest subiici operæ humanæ; potest vestiri, potest videri. Est quidem necessarium baptismo, ut baptizandus subjiciatur operæ Ministri. At supra num. 55. demonstravimus infantem in utero subjici operæ humanæ; & num. 75. probavimus à baptismo non exigi, ut baptizandus habeat esse visibile, & si id exigeretur, num. 74. ostendimus infantem in utero fieri posse visibilem. Est autem certò certiùs non postulari, ut infans vestiri possit, nisi ad summum sit sermo de veste nuptiali spirituali, qua Deo placemus, & consistit in Gratia santificante; hac verò posse indui infantem non natum est evidens in sanctificatis in utero sive per occultam Spiritus Sancti operam, sive per martyrium. Non esse verò necessarium facultatem utendi quinque sensibus videtur manifestum; præsertim, quia ex hoc dicere posset alius

potestatem proximam ambulandi; ac proinde pueri solùm possent baptizari post annum à nativitate, quod est contra c. *majores* de bapt. & contra fidem docentem in Tridentino sess. 5. can. 4. & alius apparentiùs postularet potestatem proximam intelligendi, & volendi; ut impiè tuentur Hæretici damnati à Concilio Tridentino sess. 7. can. 13. de bapt. Tum, si infans habeat vel pedem, vel manum extra uterum, ex Rituali Romani baptizari potest, sicut & per plures Doctores; & tamen sensibus uti non potest. Tum tandem, quia fœtum in utero respirare, & aliquando ejulare, lachrymari, dormire, vigilare &c. Lucas Tozzi par. 1. medicinæ de *Vita Fœtus in utero* cum Hippocr. Arist. & pluribus recentioribus existimat.

89. At dixerit fortasse quispiam Nativitatem ex utero reddere hominem perfectè genitum, & Christum instituisse, ut Sacramentum hominibus perfectè genitis conferatur. Quia Scriptura sacra dicit *Omnes homines peccasse in Adam*, credimus etiam homines imperfectè genitos, peccatum *originale* contrahere. Quia ergo eadem Scriptura sacra dicit *Omnem Gentem*, *omnem Creaturam esse baptizandam* hunc favorem ita amplè interpretari non debebimus, sed illum ad *creaturam* perfectè genitam contrahere? Præterea, si trimestris, si quadrimestris &c. vivus effundatur, baptizatur; & tamen est imperfectissimè genitus; & infans novem mensium in utero existens est longè eo perfectiùs genitus. Cur ergo hic baptizari non poterit?

90. Probatur tertiò. Si vera esset Adversariorum opinio, homo in baptismo non renasceretur, hoc est, denuo non nasceretur, sed tertiò; hoc verò esse perquam absurdum patet ex D. Augustino relato num. 18. Probatur verò illud absurdum sequi. Certè baptisma nativitatem in utero postulat. Adversarii ex alia parte nativitatem ex utero esse necessariam affirmant. Negare poterunt Baptismum esse tertiam nativitatem? Illa prima propositio probatur; nam ex Tridentino Concilio sess. 5. can. 5. in baptismo veterem hominem exuimus ad Eph. 4. & illum sepelimus Rom. 6. ergo, ut baptisma fiat, necesse est, ut vetus homo generetur; hic autem per solam nativitatem in utero gignitur. Sic etiam Fides docet per baptisma peccatum *Originale* remitti; & hæc remissio est primarius effectus Sacramenti. Ergo ante Sacramentum debet esse peccatum hujusmodi. Hoc peccatum sola nativitate in utero contrahi est certo certius; hinc infans mortuus in utero sine baptismo æterna pœna multatur. Quod si dicant B. V. fuisse baptizatam, & tamen peccati originalis labe non fuisse infectam. Respondeo B. V. saltem habuisse aliquod debi-

tum

tum tale peccatum contrahendi; per solam verò nativitatem in utero hujusmodi debitum contrahitur.

91. Confirmatur. Infans in utero existens habens manum, aut pedem extra uterum potest & manum, & pedem in uterum retrahere; vel Obstetrix illam, & illum in uterum trudere; imò maximè conducit ad partum, ut manus, & pes in uterum trudantur, ut legenti Mauriceau, Mercurium, & alios Chirurgos tradentes regulam facilem partum reddendi, fiet manifestum. Quin etiam Obstetrices hoc sæpè faciunt. Revera Gen. 38. 27. narratur Zaram extendisse manum extra uterum, atque eam postea in uterum retraxisse. Item, si fiat incisio cæsarea mortuæ matris, vel vivæ, egressum caput posset iterum in uterum trudi. Imò Ludovicus Bonaccioli de morb. mulier. lib. 1. c. 5. longè post med. refert ex nonnullis Auctoribus editum infantem *protinus in uterum reversum*. Certè in his eventis puer habet duplicem, & posset habere triplicem &c. nativitatem ex utero. Ergo, si talis nativitas baptismo est necessaria *per se*, in his eventis baptisma esset tertia, quarta &c. *nativitas*.

92. Quod si dicant illam multiplicem nativitatem per se non exigi à Sacramento; Respondemus etiam nos dicere, quamvis revera sit ante baptisma tum nativitas in utero, tum nativitas ex utero, Sacramentum per se non exigere nisi nativitatem in utero: præsertim cum nos afferamus rationem, qua ostendimus unam nativitatem postulari, non aliam, quod nequeunt Adversarii. Ex Tridentino sess. 5. can. 4. Baptisma est lavacrum, regenerationis, quo mundatur id, *quod generatione contrahimus*; per solam autem generationem in utero contrahimus id, quod est mundandum, non verò per generationem ex utero. E' contrario utraque nativitas ex utero est ejusdem naturæ, qualitatis, & proprietatis. Ergo nulla ratio afferri potest, cur una sit necessaria baptismo, non verò alia.

93. Probatur quartò. In illis verbis Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, illud verbum, *Renatus* rationem connexi non habet cum nativitate ex utero, ut credunt Adversarii; nam si quis legat Evangelium, cognoscet quidem Nicodemum ita intellexisse verba illa, ut faciunt Adversarii; hinc dicebat: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex. *Numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* At ex verbis Christi hoc nequit intelligi. Subdit Christus: *Dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*. Quod natum est ex carne; caro est, *& quod natum est ex Spiritu; Spi-*

ritus est. Ecce clarè illum, qui dicitur renasci ex Spiritu, dicitur etiam nasci. *Quod natum est* ex Spiritu, Spiritus est. Ergo secundùm Evangelium renativitas spiritualis, & nativitas spiritualis sunt unum, & idem. Cum ergo nativitas spiritualis non exigat nativitatem ex utero, ut patet in iis, qui in utero Sanctitate donati sunt; nec renativitas spiritualis baptismi nativitatem ex utero exiget.

94. Hæc mea interpretatio clarè ex Patribus colligitur. Tertullianus de bapt. c.11. locum illum Joan. sic legit: *Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam*. Syriacus, D.Nyssenus de bapt. & Eutimius ita legunt: *Nisi quis genitus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. D. Anastasius Sinaita examerон. lib. 5. Goffred. Abbas serm. de resurrect. *nisi quis fuerit generatus ex aqua, & Spiritu*. Theofilact. in Joan. c. 3. scribit. Quod si rogas, quomodo aqua potest generare? interrogabo & ego, *quomodo semen & ipsum aquosum existens potest in hominem transformari*? Idem tradit Rupertus Abbas lib. 3. in Joan. med. vers. *quod enim agunt* pag. 246. column. 1. Ecce per hos Patres baptisma est generatio, & nativitas spiritualis. Ergo, licèt per D.Augustinum, & S.Isidorum illud verbum *Renasci* positum in citatis verbis Joan. 3. videatur significare secundam nativitatem, quam proinde alia præcedat; tamen per alios Patres res ita non se habet, cum per eosdem illud verbum idem indicet, quod verbum *Nasci*. Hæc etiam veritas constat ex c. *debitum* de baptis. Hìc dicitur *In baptismo celebrari* illam spiritualem generationem, de qua Veritas ait: *oportet vos nasci denuo, quia, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c.* Sicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina nascitur, alius est, qui carnaliter gignit, & alius, qui carnaliter gignitur; sic & *in Sacramentali generatione*, qua soboles ex aqua, & Spiritu Sancto *renascitur*, alius debet esse, qui *spiritualiter generet*, & alius, qui spiritualiter generetur. Hactenus citatum capùt. Certè nil clarius ad propositum afferri potest. Certè hoc loci renativitas spiritualis, & nativitas, & generatio spiritualis non distinguuntur; sed accipiuntur tanquam unum, & idem. D. etiam Gregorius Nazianzenus apud August. lib. 1. c. 5. contra Julian. Pelag. eadem docet; ait enim *Venerare nativitatem, per quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus est*. Et iterum: *Cum Christo ergo nascamur, & cum Christo Crucifigamur*. Ergo quod à D. Augustino dicitur *Renativitas, & Renasci*, per Nazianzenum dicitur *Nativitas*, & *Nasci*. Porro nativitas, & generatio spiritualis non exigunt nativitatem ex utero, ut patet in iis, qui in utero fiunt Sancti, & dixi supra.

95. Probatur quintò. Infans in utero potest reddi sanctus, quod est fidei dogma de B. V. Sanctitas autem consistit in Gratia sanctificante, & habitibus *supernaturalibus*, ut omnes scimus. Regeneratio verò spiritualis, quid aliud est nisi fieri sanctus? nam D. Ambrosius approbatus à D. Thom. 3. par. q. 68. art. 2. de obitu Valentiniani Imperatoris ante med. scribit de illo mortuo Catechumeno: *Quem regeneraturus eram, amisi; verumtamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.* Certè Valentinianus gratiam regenerationis petierat ab Ambrosio; quid autem per hoc desiderium obtinuit nisi gratiam sanctificantem, & reliquos habitus *supernaturales*? Ergo regeneratio spiritualis non est nisi generatio Gratiæ sanctificantis, & aliorum habituum supernaturalium: cum verò gratia sanctificans, & alii habitus supernaturales dati fuerint infantibus in utero existentibus, ut dicebam; sequitur evidenter renativitatem spiritualem necessariò nativitatem ex utero non postulare. Citatus locus B. Ambrosii laudatur à Glossa in c. *Apostolicam* de presbyter. non baptiz. V. *B. Ambrosii*. Hæc confirmantur ex D. Thom. ad 1. ubi scribit; Qui desiderat per baptismum regenerari ex aqua, & Spiritu sancto, *corde regeneratus est, licèt non corpore*. Ecce clarè ante baptismum regeneratio spiritualis. Quid verò tunc producitur nisi Gratia sanctificans, & cæteri habitus supernaturales? Baptisma quidem etiam Caracterem producit, quem Adversarii dicere possent, sed sine ulla ratione, nativitatem ex utero exigere. Sed nullo modo affirmare queunt regenerationem spiritualem connecti cum caractere; quia D. Ambrosius, D. Thomas, & Glossa narrant Valentinianum Gratiam regenerationis adeptum fuisse, & tamen sine Caractere baptismi obiit.

96. Confirmatur ex Tridentino sess. 5. can. 5. dicente. In renatis nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundùm carnem ambulant, *sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundùm Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt;* hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; *ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur*, Ecce renativitas spiritualis consistit in generatione Gratiæ Sanctificantis, quæ deinde peccatum expellit, & veterem hominem &c. sess. verò 6. c. 3. hæc habet: *Nisi in Christo renascerentur, nunquam justificarentur*, cum *ea renascentia per meritum passionis ejus gratia*, qua justi fiant, *illis tribuatur. Pro hoc beneficio* (renascendi) *Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum*

in

in lumine, & eripuit de potestate tenebrarum, transtulitque in Regnum filii dilectionis, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum. Hactenus Concilium. Ecce manifestè *renativitatem spiritualem implicare generationem Gratiæ sanctificantis*, qua justi reddimur, *quæ nos redimit à potestate tenebrarum, remittit peccata, & transfert in Regnum Filii dilectionis.*

97. In cap. 4. subdit Tridentinum. Quibus verbis (scilicet illis *Qui nos dignos fecit*) justificationis impii descriptio insinuatur, *ut sit translatio ab illo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum Gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, Salvatorem nostrum*, quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest, sicut scriptum &c. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ecce hæc verba. *Nisi quis renatus fuerit &c.* significant & translationem à statu, in quo nascimur, ad statum gratiæ, & filiorum Dei, & necessitatem habendi hanc translationem per aquam, & Spiritum sanctum; ideoque per Baptismum, vel per ejus votum. Ex his intelligimus significatum illorum verborum: *Nisi quis renatus fuerit &c.* nullam habere connexionem cum nativitate ex utero, cum hæc translatio haberi possit in infantibus in utero existentibus; ut patet in iis, qui olim in utero sancti facti sunt.

98. Nec juvat, si dicas, statum, de quo mentionem facit Concilium, esse illum, in quo *Nascimur*; verbum autem *Nascimur* significat nativitatem ex utero. Non juvat, inquam, nam si quis in utero sanctus fieret, nasceretur sanctus; & tamen baptizari deberet, nec transferretur à statu, *in quo nascitur ex utero*, sed in quo *nascitur in utero*. Ergo verbum *Nascimur* in auctoritate Tridentini vel significat nativitatem in utero, vel est explicandum in eventis consuetis, & extra necessitatis tempus.

99. Si vera esset illa opinio hominem à Deo ex nihilo creatum; ac propterea ab Adam non descendentem per naturalem generationem, baptizari posse; tunc evidens esset mea conclusio; quoniam hic homo non esset genitus, & natus, sed ex nihilo creatus; & nihilominus secundùm hanc opinionem renasceretur per baptisma. Ergo renativitas, & regeneratio spiritualis in hoc eventu non connectuntur cum generatione, & nativitate ex utero, sed cum procreatione ex nihilo. Ergo renativitas spiritualis necessariò non postulat nativitatem ex utero. Dixi *si vera est illa opinio*, quia satis intelligere non possum baptisma institutum ad delendum peccatum fieri posse in eo, qui nec peccator fuit, nec

ec ullum peccati reatum habuit. Hinc ille homo à Deo ex nihilo creatus ad aliam providentiam spectaret.

100. At in baptismo renascimur; renasci autem, ut verbum onat, novam nativitatem significat. Ergo baptismum debet ræcedere nativitas, & quidem nativitas ex utero; quandoquidem Vulgus nomine nativitatis nativitatem ex utero intelligit.

Ob hoc argumentum illud de Adversariis affirmari posse credo: *Dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur* .6. c. 8. c. 15. de verb. signific. Ipsi verbum *Renasci* attendunt, quod in naturalibus cognitionem ingerit de priore nativitate; at non animadvertunt applicari ad rem supernaturalem, quod connexionem cum modo producendi non habet. Significatum renativitatis spiritualis, ut patet ex dictis n. 95. importat gratiam sanctificantem cum habitibus spiritualibus. Hæc res, ut existat, exigit solùm substantiam rationalem, sive hæc sit in utero, sive extra; sive ex nihilo sit creata, sive sit genita ex alia, sive sit homo, sive sit Angelus, semper est æquè capax hujusce rei, hujusce regenerationis, hujusce gratiæ sanctificantis. Quia verò in rebus Theologicis non est verbum considerandum, sed significatum; nam verba aptanda sunt intentioni, non è contrario ex c. *humanæ aures* 22. q. 3. ideò, cum in re nostra significatum per verbum *Renascimur* non connectatur cum nativitate ex utero, debemus quæstionem dirimere secundùm naturam significati, non verò secundùm id, quod vox ipsa *Renativitas* videtur innuere. Præterea regenerationem spiritualem cum nativitate in utero connecti est manifestum; nam certè exigit necessariò hominem; homo verò à sola nativitate in utero progignitur; contra verò nativitas ex utero solùm transfert hominem à loco ad locum, scilicet ab utero ad locum extra uterum. Quis verò dicat regenerationem spiritualem fieri non posse, nisi in hoc loco, & non illo, connectique cum hoc loco, ab illoque summè refugere?



CAPUT VIII.

Divus Augustinus in præsenti materia opinionem tradit, non Assertionem; *hinc rationes urgentes in medium producuntur, quibus opinionem benignam sequi licet.*

101. PAter Dominicus Viva laudata par. 3. Theol. disp. 1. de grat. auxil. q. 7. n. 7. existimat D. Augustinum in auctoritatibus allatis n. 17. & 18 nobis non esse contrarium; sed illas interpretandas esse de infantibus in utero omnino clauso existentibus, ut sunt, antequam partus immineat, & dixi n. 40. Hæc interpretatio probari forsan posset ex D. Thom. in 3. dist. 3. q. 1. art. 1. quæstiun 3. ad 1. ubi interpretans auctoritatem illam D. Augustini ex Epist. 57. depromptam ait ideò Augustinum ita affirmasse, quia infans in utero operæ humanæ non subjicitur. Cum verò hoc tunc solùm sit verum, quando uterus est omninò clausus, ergo D. Augustinus solùm loquitur de eo tempore, non verò, de tempore, quando uterus est apertus, ut est, quando partus instat, nostra verò opinio de hoc tempore loquitur.

102. Si alicui tamen hæc explanatio non arrideret, aliam subdo, & observo diverso modo. S. D. sententiam de non iterando baptismo tradidisse, ac præsentem Doctrinam de non baptizandis infantibus in utero existentibus. De illa veluti de re certa à Patribus accepta loquitur. Istam uti rem ambiguam argumentis probare studet. Ergo in materia nostra D. Augustinus meram opinionem docet, non certam sententiam. Hinc

103. Dicendum in rarissimo casu, urgentibus rationibus D. Augustini opinionem deserere fas esse, præsertim ut sequamur opinionem Animarum æternæ saluti magis faventem, & in majorem Christi gloriam redundantem, nunquam tamen ab Augustino, & aliis Ecclesiæ Doctoribus in *Assertionibus* recedere licet. Hanc opinionem esse D. Bonaventuræ in 1. dist. 15. dub. 3. expos. litt. pro certo habeo. En verba D. Bonav. *Catholici tractatores* (Sancti Patres) *aliquid dicunt assertivè*, *& aliquid dicunt opinando*. Quod assertivè dicunt, in hoc non discordant; *quia*, quod asserunt, per revelationem Sancti Spiritus dicunt, qui

non

on est sibi contrarius, *in eo verò, in quo opinantur, dissentire ossunt; quia opinio aliquando venit ex probabili conjectura rationis, in qua homo frequenter decipitur deceptione potiùs, quæ est pæna, quàm culpa.*

104. Ecce Patrum *Assertiones* à Spiritu sancto existunt; ac roindè ab ipsis dissentire nefas est, ne nobis exprobretur illud .ct. 7. 51. Vos semper Spiritui sancto &c. Ecce Patrum opiniones Spiritu sancto non proficiscuntur, sed *à probabili conjectura*; ac ropterea, cum à principio incerto proveniant, easdem sine erroris periculo, cum prædictis conditionibus, deserere licet.

105. Sic etiam Ægidius in 2. dist. 8. q. 1. art. 1. ad 1. q. 2. art. 2. d 1. & dub. 2. litter. dissentit à quibusdam opinionibus, quæ idebantur esse D. Augustini, & afferens rationem, cur dissentiat, hæc scribit: Augustinus ut plurimum de Angelis non loquitur, *asserendo*, sed *opiniones recitando, vel dubitando, & modos ponendi assignando.* Ita Ægidius, quæ apertè mihi favere nficiabitur nemo.

106. Divus Augustinus videbatur quædam dixisse lib. 7. de en. ad litt. c. 24. 25. & 27. de Animæ rationalis generatione; uæ ex toto vera D. Thomæ par. 1. q. 90. art. 4. non videbantur. elatis verbis D. August. subdit Doctor Angelicus. *Sed hoc non* *cit*, asserendo, *ut ejus verba demonstrant; dicit enim* credatur, *nulla scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit.* cce expresè D. Thomæ sufficit, ne videatur falsa docere, ut . Augustinus non tradat aliquid *asserendo*. Hoc idem docent lurimi alii Theologi antiqui, dum quærunt, an de Divinis *Nominibus* sine peccato liceat contrarias opiniones sequi; affirmant uidem; si tamen nihil *asserant*, sed solùm *opinentur*. Videanur Albert. in 1. dist. 26. art. 27. Alen. par. 1. q. 68. membr. 1. t. 2. D. Thom. in 1. dist. 32. art. 5. & par. 1. q. 32. art. 4. D. onav. in 1. dist. 27. par. 1. q. 4. Ægid. dist. 33. par. 2. q. 2. Stehanus Brulifer dist. 27. par. 1. q. 4. Pelb. in Rosar. V. *Opinio* n. 1. ltenstaig Lex. Theol. V. *Opinari*. Tabien. V. *Opinio* q. 2. Fumus . *Opinio*. Audiamus Alensem. Ideò licet Magistris opinari, sed on licet eis *asserere*; si enim quis *asserat* aliquid dicendo, quod on sit determinatum in sacra Scriptura .... *Mortaliter peccat.* lagistri autem Theologiæ *nihil asserunt, sed tantùm Opinantur.* ropter hæc in prima editione Opusculi num. 100. dixi *licere D. Augustini opinionem deserere;* consultò enim posui illud verbum, *pinionem;* quia allatæ Doctrinæ memineram,

107. Nunc referendæ sunt urgentes rationes, quibus in re nostra, salva penitus Maximi Doctoris D. Augustini reverentia, opinio-

opinionem benignam sequi licet. Primò, quando Patres unanimi consensu in explicando aliquo Sacrę Scripturę loco conveniunt, tunc rem certam constituunt ex Tridentino sess. 4. de edit. & usu sacr. libr. ergo interpretatio unius, vel alius Patris solùm est probabilis, non certa. Hinc D. Thomas par. 1. q. 1. art. 8. ad 2. scripsit auctoritates Doctorum Ecclesiæ præbere quidem argumenta propria Theologiæ, sed *probabiliter*. Nota, dixit *Probabiliter*. Ergo certitudinem non afferunt.

108. Præterea D. Thomas lib. 4. contra Gent. c. 24. num. 5. scribit; Habetur in determinationibus Quinti Concilii c. 16. sequimur *per omnia* Sanctos Patres, & Doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium &c. Ambrosium, *Augustinum* &c. & suscipimus *omnia, quæ de recta fide, & damnatione Hæreticorum exposuerunt*; Ecce materia, in qua cogimur sequi Sanctos Patres in omnibus. Certè quæstio nostra in hujusmodi materia non continetur.

109. Tertiò. Approbatur doctrina D. August. ab Ecclesia in c. *Sancta* 15. dist. sed hujusmodi approbatio per Turrecrematam in hunc Canonem q. 3. fin. non generat nisi *Probabilitatem Veritatis*. (Nota Gloriosam Probabilitatem floruisse tempore antiquo Turrecrematæ) & ego puto evidenter hoc colligi ex ipsa auctoritate; ab ipsa enim laudantur Opuscula D. Cypriani, D. Hieronymi; & tamen ille docuit baptismum iterari posse; & iste de aliquibus minùs probabiliter locutus est. Præterea Epistola Leonis Papæ ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum probatur ab illo Canone in omnibus *ad ultimum Iota*. Sic etiam ibidem Ecclesia specialiter fatetur se sentire de libertate humana, quod Beatus Hieronymus contra Rufinum docuit. E'contrario Opuscula alia Patrum simpliciter approbantur ab Ecclesia. Ex hac diversa approbatione cum Suario argumentari licet de leg. lib. 4. c. 5. Epistolam illam, & illam Hieronymi Doctrinam esse in omnibus certas; Opuscula verò alia Patrum habere auctoritatem gravissimam humanam. Hinc Glossa V. *in istis* apertè erravit, dum illam approbationem specialem Epistolæ Leonis de omnibus Patrum libris intelligi voluit; quod patet esse falsum legenti ipsam approbationis formulam; & quia fieri non potest, ut taliter probentur, cum nonnulla detecta sint falsa; & nonnulla inter se contraria contineant.

110. Scio Doctrinam D. Augustini specialiter approbatam fuisse à plurimis summis Pontificibus, quas approbationes colligit Cardinalis Noris in Vindic. August. c. 6. & 7. Sed ex illis argumentari non possumus necessariò sequendas esse quascun-

que

que ejus enuntiationes nulla excepta; aliter, etiam, dum contraria aliis Patribus tradit, ut facit in quæstione: An Mundus sit creatus simul, ipsum sequi cogeremur; & matrimonio juncti, dum nulla spes prolis affulget, ne veniali culpa se inficerent, a copula se temperare cogerentur. In materia de Gratia, & Prædestinatione specialiter est approbatus, ut omnes fatentur.

111. Quartò. Subtilissimus Doctor in 3. dist. 3. q. 1. fatetur Sacræ Theologiæ Magistros docere communi consensu B. V. *originali* culpa maculatam fuisse. Pro hac opinione in medium produxerat tum Sacram Scripturam, tum Patres, tum rationes. Postea illo loci, in quo ponitur argumentum, quod *sed contra appellant*, duas auctoritates Patrum faventes piæ opinioni adduxerat; mox subdit plures rationes naturales, & duas auctoritates Aristotelis faventes pariter piæ opinioni. Inter auctoritates Patrum contrarias puritati Conceptionis aderat una D. Bernardi clarissima, quæ cuidam rationi nitebatur. Scotus respondet quidem huic rationi, & ostendit nihil probare; auctoritatem verò D. Bernardi silentio præterit. Nos ergo ad normam Subtilium Principis rationibus D. Augustini respondere contendemus, deserendo interea in hac quæstione cum debita reverentia ejus opinionem, ut opinionem majorem Christi gloriam præseferentem, & Animarum saluti æternæ consulentem sequamur.

112. Quintò. Idem Scotus auctoritatem D. Bernardi deseruit, ut opinionem, sequeretur, quæ magis redundaret in Excellentiam Virginis: *Videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariæ*. Ergo multò magis auctoritatem alicujus Patris deserere possumus, ut amplectamur sententiam, quæ magis redundet in excellentiam Christi, in honorem Sacramentorum; quæque infinitam Dei misericordiam nobis magis commendet, & æternæ Animarum saluti proficiat, quæ omnia mirificè benigna nostra opinio præstat; præsertim cum videatur consona Capiti *Majores* de baptis. §. *cautè autem*. Hìc dicitur: Absit enim, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis *misericors Deus*, qui neminem vult perire, *aliquod remedium procuraverit ad salutem*. Ergo inter duas opiniones ea sequenda est, quæ *Dei misericordiæ*, & Puerorum saluti magis favet; cum potissimùm etiam in utero pereant illorum uon pauci. Vide infra n. 146. Præterea Doctrina illa Scoti in 3. dist. 12. q. 1. litt. H. est omninò vera. *In commendando Christo, si in alterutrum incidendum est, melius esse excedere, quàm deficere*. Hinc Theologi hanc regulam statuunt omnia esse concedenda, quæ in ejus dignitatem redundant, si manifestè non repugnant.

113. Sex-

113. Sextò. In hac quæstione speciale argumentum habemus deserendi D. Augustini opinionem. Cardinalis de Noris in Vindic. August. c. 3. §. 5. totus est, ut ostendat D. Augustinum docuisse pueros sine baptismo decedentes Inferni igne cremari, & hanc opinionem nulla censura notandam esse. Addit Gregorium Ariminensem secutum eandem ab Adversariis *Tortorem puerorum* nuncupatum fuisse. Nihilominus Cardinalis Bellarminus ex mandato Clementis VIII. parvam Catechesim Christianam componens, qua pueri mysteria, & veritates Christianas edocerentur, in §. *de peccatis* tradit *Morientes cum peccato Originali descendere in Limbum, cum mortali verò in Infernum*. Ecce Christiani opinionem D. Augustini opinioni contrariam docentur, quando agitur de exhibenda pueris misericordia. Ergo multò magis etiam nos ad exhibendam misericordiam in re nostra infantibus hisce omnium miserrimis, salva reverentia D. Augustini, deserere possumus ejus opinionem, & sequi contrariam ipsis faventem.

114. Hìc nota malè Doctores tenentes pueros sine baptismo decedentes Inferni igne cruciari vocari *Tortores puerorum*; etenim ex eo quòd illi opinionem severam tueantur, non propterea isti torquentur; infantes enim ab hominum opinionibus non torquentur; quin etiam illi Doctores præter intentionem iisdem misericordiam conciliant; quia Fideles, etiam mulieres, audientes illos igne esse comburendos, si sine Sacramento moriantur, majore studio, & totis viribus curant, ut baptizentur; quia optimè intelligunt, quanta pœna sit ignis; at difficulter percipiunt illum magnam pœnam subire, qui beatifica visione privetur; hinc aliquando ex negligentia eos sine baptismo mori sinunt; ut aliquoties factum propter hoc fuisse dolens recordor. Contra verò tenentes in re nostra opinionem Antiquorum consultò ipsos non baptizant, & quia non baptizantur, æternùm pereunt, ut Fides docet; tenentes verò opinionem nostram, illisque baptismum conferentes, si vera est opinio, eosdem in Cœlum evehunt.

115. Hinc patet quæstionem nostram esse similem illi, quam Pontifex in c. *significasti* el. 2. de homicid. diremit. In hoc imperat illam opinionem esse sequendam præ alia, quia nimirum in illa nullum ęternæ salutis discrimen imminebat, in hac verò multum. Cum ergo in opinione D. Augustini periculum æternæ salutis sit, in nostra verò nullum periculum extet, ut patet; imò salus æterna affulgeat, debemus, salva reverentia D Augustino debita, sententiam nostram amplecti.

116. Quod

116. Quod si dicant in illo capitulo sermonem esse de periculo peccati, in re verò nostra intercedere solùm pœnæ periculum; contra, nam etiam in re nostra adest periculum peccati; quia, si Sacramentum est validum, ob necessitatem fit licitum; ideoque etiam tenemur illud ministrare. Nec reponant sequendo nostram opinionem nos incidere in periculum, ne nullum fiat Sacramentum; nam respondeo Sacramenta esse propter homines, non è contrario. Ergo potiùs considerandum est periculum erga hominem, quàm erga Sacramenta. Tum sequendo Adversarios in duo mala incurrimus, & Deum offendimus, & proximum; at sequendo nostram opinionem solum Deum offenderemus; quod tamen non est verum; ideoque nostra sequenda est secundùm normam argumentandi ex c. *de homine* de celebr. Missar.

117. Septimò. Ex D. Thoma in 2. dist. 13. art. 3. ad 1. D. Augustinus in philosophicis non gaudet suprema auctoritate; hinc Doctor Angelicus ab ipso diffidet in re philosophica, & revera secutus est opinionem falsam in talibus negando Antipodas lib. 16. de civit. Dei c. 9. etiam refellendo contrariam ut errorem; & Cardinalis de Noris non negat. S. D. docuisse hanc opinionem; sed solùm ostendit fuisse ab efficacissimis rationibus ad illam tradendam adductum; & ex hoc capite ejus auctoritatem tuetur. Ita etiam nos dicimus; quia per experientiam patefactum est Antipodas extare, licet ab opinione Augustini recedere, & ejus auctoritatem illæsam servamus ex Cardinali de Noris fatendo suam opinionem tradidisse adductum à validissimis rationibus. Ergo pariter, quia patefactum est infantes nostros posse ablui; ac propterea fieri in ipsis omnia, per quæ secundùm Concilia Sacramentum perficitur; deserere possumus opinionem Augustini, qui talem ablutionem non agnovit; ejus verò auctoritatem illæsam tuebimur fatendo à validissimis rationibus adductum ad illam opinionem tuendam.

118. Præterea nostra quæstio est de re supernaturali; sed S. D. suam conclusionem solis rationibus naturalibus comprobat. Ejus rationes sunt. *Nemo renascitur, nisi sit natus. Si nativitas in utero computaretur in baptismo, puer ex utero egressus diceretur renatus, & baptisma esset tertia nativitas; & ipse, dum baptizaretur, renasceretur, antequam nasceretur.* Certè hujusmodi rationes ex fontibus naturæ manant, non ex principiis supernaturalibus Scripturæ Sacræ, Traditionis, Conciliorum, Pontificum &c. Ergo D. Augustinus in hac quæstione, cum eam tractet illis principiis, in quibus ex D. Thom. suprema auctoritate non potitur, non habet supremam auctoritatem; ac

D proin-

proinde ab hac opinione discedere possumus. Hìc nota D. Augustinum afferre quidem in medium illud Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit &c.* at, ut ostendat rectè citari, probat allatis rationibus naturalibus. Tum etiam affertur ad probandum id, quod dubium non erat. Dubium non est, an infans debeat esse natus, ut baptizetur; sed an debeat esse natus ex utero, de quo nihil in dicta auctoritate.

119. Ex his constat auctoritatem D. Augustini intra Probabilitatis limites contineri, exceptis quibusdam materiis, in quibus certitudinem assequutum fuisse constat apud omnes. Hinc sequitur in rarissimo casu materiæ probabilis, prædictis conditionibus, nos posse contrariam opinionem sequi; quia ex Parisien. tract. de Fide c. 1. Nider in consolat. timor. conscien. par. 3 c. 19. & Rodon. in glossa Raym. lib. 4. tit. *qualiter accusatio sit facienda* §. 2. V. *inquisitioni* cuicunque Probabilitati contradicere possumus. Præterea Abulen. in Defens. par. 2. c. 18. discedit ab Augustino in quæstione de die mortis Christi: & Petrus de Comitibus August. Familiæ Auctor in disp. metaph. Theologicè agitatis lib. 2. art. 5. scribit licere privatis Doctoribus aliquando recedere ab aliquo Ecclesiæ Doctore, si rationem gravem habeat, & sermo non sit de rebus supra exceptis, ut nostra quæstio non est. Quin Joan. Major in 4 dist. 4. q. 1. concl. 2. voluit nos posse illi opinioni adversari, quam Papa in Concilio Generali, ut probabiliorem decreverat; quod forsan etiam docuit Ocham in 4. q. 3. litt. R. An hoc sit verum, expendent Probabilioristæ; est enim Major unus ex Prababilioristis antiquis; quem tanto plausu citare solent ad ostendendum sententiam de opinione probabiliore sequenda esse Antiquorum sententiam.

120. Denique ipse D. Augustinus relatus in c. *noli*, c. *negare*, c. *ego soli*, c. *neque quorumlibet* 9. dist. non vult, ut acquiescamus iis, quæ scribit; quia ita ipse dicat; sed quia per illos auctores *Canonicos*, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere poterit c. *ego solis*. Et possumus, salva reverentia, aliter sentire, quàm ipse senserit, si invenerimus Divino adjutorio secus docuisse, ac veritas patiatur c. *neque quorumlibet*. Sed opinio contraria opinioni D. Augustini in hac materia videtur probabilior ex dictis, & dicendis. Ergo ex venia ejusdem Sancti Doctoris licet opinionem contrariam opinioni ejusdem D. Augustini defendere.

121. Quæret hìc fortasse quispiam cur in *assertionibus* non licet à D. Augustino, nec ab aliquo Doctore Ecclesiæ discedere: quia nimirum nomine *Assertionis* significabant pronunciatum aliquod,

aliquod, quod tanquam certum habebant; hinc num. 103. D. Bonav. dicebat Assertiones à Spiritu sancto proficisci, & in ipsis Doctores inter se non posse esse discordes. Item Theologi n. 106. dicunt posse quidem nos in materia de Divinis Notionibus habere diversas opiniones, si tamen *Assertio* abesset. Hinc D. Bernardus lib. 5. de consid. c. 3. dicebat Opinionem, *si habet assertionem*, esse temerariam. Et D. Augustinus lib. 12. de Gen. ad litt. c. 1. scripsit. Ab exordio Scripturæ sacræ .... undecim libris sive *asserendo*, atque deferendo *quæ certa nobis sunt*, sive inquirendo, & ambigendo *de incertis*. Et lib. 7. c. 1. Rectè est autem veraciter, atque congruenter nihil audacter refellendo, nihil temerè affirmando, dum adhuc dubium est, verum falsumne sit.... quod autem doceri potest *vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima sine cunctatione asserendo*. Me judice nil clariùs dici poterat. Notabis hìc obiter quanti sit facienda *ratio naturalis*, dum per eam D. Augustinus mysteria difficillima Sacræ Geneseos explicuit. Notabis verò illam particulam *Vel*, quæ vim habet disjungendi. Hinc S. D. aliquando sola ratione hæc mysteria explanabat. Cur ergo hi Auctores disputationes sacras spernunt, quas aliquando sola ratione naturali dirimimus? Hoc licuit Magno Augustino, nobis negabitur?

CAPUT IX.

Infans in utero necessitatis tempore licitè *baptizari potest.*

122. Dicendum primò ad *validitatem* baptismi non exigi infantem habere aliquam partem vel extra cavitatem uteri, vel extra vaginam; hinc si quis per vim tempore ante partum uterum aperire tentaret, ut scio factum fuisse, & revera aperiret, & manu immissa membranas infantem amicientes solveret, & aqua ipsum ablueret, esset baptizatus; vel, si membranas non solveret, ablueret fœtum in illis membranis inclusum, esset quoque baptizatus secundùm illam opinionem relatam num. 67. Prima pars propositionis nostræ patebit ex sequenti.

123. Dicendum iterum instante partu posse *validè* baptizari *infantem* in utero ex toto positum necessitatis tempore, quando nempè non speramus fore, ut vivus exeat; posse etiam id *licitè* fieri; nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum,

ut alibi dixi, & constat dilucidè ex c. *quod non est* de reg. jur. & aliis juribus in Glos. V. *necessitas*.

Prima pars propositionis nostræ, in qua præsentis disputationis summa consistit, plurimis rationibus probatur. Et primò in c. *firmiter* de sum. Trinit. & Clemen. eod. §. *ad hoc* Statuitur Baptisma, quod ad Dei invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus sancti consecratur in aqua tam *Parvulis*, quàm adultis in forma Ecclesiæ à quocumque ritè collatum proficere ad salutem; & in Tridentino sess. 5. decr. de orig. pecc. can. 3. tanquam fidei dogma definitur peccatum *originale* non tolli, nisi per meritum Christi, & hoc meritum applicari tam adultis, quàm *Parvulis* per baptismum in forma Ecclesiæ ritè collatum, quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; unde illa vox: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Et illa: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*. Duplex nunc argumentum efficio: Tam adulti, quàm *Parvuli* sunt capaces baptismi; sed infantes in utero sunt Parvuli. Ergo sunt capaces baptismi. Nostros infantes esse Parvulos probatur Genesi c. 25. ubi dicitur de Rebecca habente Gemellos in utero: Collidebantur in utero ejus *Parvuli*, & in c. *firmissimè* §. 2. de consecr. dist. 4. expresè dicitur homines ratione utentes, & *Parvulos*, qui sive in utero incipiunt, sive cum de matribus nati &c. Nec dicas Tridentinum, Clementinam &c. nomine *Parvulorum* significare pueros extra uterum; nam sine ulla ratione contrahitur decretum generale. Tum Tridentinum in can. sequenti volens contrahere doctrinam ad *parvulos* extra uterum expresè id facit dicens: Si quis *parvulos* recentes ab uteris matrum baptizandos negat &c. ergo in canone antecedenti, dum loquitur simpliciter de *parvulis*, explicari debet de omnibus, etiam in utero clausis; maximè cum illa verba Evangelii *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*, quæ Concilium moverunt ad condendum canonem, aptari possint ad *parvulos*, etiam in utero existentes; quia illæ voces, *peccata Mundi*, sunt adeò generales, ut hosce infantes comprehendant; quin locus ex c. *firmissimè* expresè etiam loquitur de *parvulis* in utero existentibus.

124. Alterum argumentum, quod ex decreto allato conficitur, est hujusmodi. Baptisma collatum, ut Ecclesia præcipit, prodest illud suscipientibus. Sed Infantes in utero sunt capaces Sacramenti collati, ut Ecclesia præcipit. Ergo baptisma infantibus in utero prodese debet. Secunda argumenti propositio probatur. Baptisma collatum ex Ecclesiæ præscripto impli-

cat

cat ex c. *non ut apponeres* de bapt. & d. c. *firmiter* Verbum, & Elementum. Verbum sunt illæ voces: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* ex c. *Si quis* eodem. Elementum est aqua ex d. c. *non ut apponeres*, & tanquam fidei veritas definita est à Trid. sess. 7. can. 2. de bapt. Postulatur præterea ad Sacramenti perfectionem intentio ministri; quapropter Concilium Florentinum in *Decreto Eugenii* dicebat Sacramenta tribus perfici, *rebus*, *verbis*, *& intentione ministri*. Et Tridentinum sess. 7. can. 11. docet esse fidei dogma ad Sacramenta esse necessariam saltem intentionem faciendi, *quod facit Ecclesia*. Sed infantes in utero horum omnium sunt capaces; ablui enim posse c. 4. & 5. evidenter probavi; dum verò abluuntur, verba pronunciari possunt, & minister habere potest intentionem debitam, ut est evidens. Ergo infantes in utero sunt capaces Sacramenti collati eo modo, quo ministrandum est ex mandato Ecclesiæ.

125. Probatur iterum. Tridentinum sess. 5. decr. de orig. pecc. can. 4. sic inquit: Si quis *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat*, etiamsi fuerint à parentibus baptizatis orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari; sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; *unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur*, *anathema sit*. Hæc est prima pars canonis. Afferens Concilium rationem hujusce Decreti prosequitur. [Quoniam non aliter intelligendum est id, quod di-
„ xit Apostolus: per unum hominem peccatum intravit in
„ Mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines
„ mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmo-
„ dum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit; pro-
„ pter hanc enim regulam Fidei ex Traditione Apostolorum
„ etiam Parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc com-
„ mittere potuerunt, in remissionem peccatorum *veraciter ba-*
„ *ptizantur*, *ut in eis regeneratione mundetur*, *quod generatione*
„ *contraxerunt*; nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiri-
„ tu sancto non potest introire in Regnum Dei.] Hic canon depromptus syllabatim est ex c. *placuit* 153. de consecr. dist. 4. & olim conditus fuerat à Concilio Milevitano.

126. Certum est primam partem expresse loqui de *parvulis* extra uterum existentibus, ut constat ex illis verbis: *Parvulos recentes ab uteris matrum*. At certum pariter est *Parvulos* in utero habere peccatum, & hoc ab Adam contrahere; ideòque verè peccatorum remissionem accipere, quæ sunt rationes, ob quas

Concilium canonem illum condidit. Cur ergo nobis dicere non licebit idem docendum esse *de parvulis in utero existentibus*? Quia parvuli ex utero nati peccato *originali* maculantur, verè baptizari possunt. *Parvuli* in utero peccato quoque *originali* inficiuntur; quin etiam ideò illud habent, *quia nati sunt in utero*; quare verè baptizari non poterunt?

127. Sed plusquam clarè nostris parvulis aptantur alia, quæ in altera parte canonis subjunguntur. Certè verba Apostoli verè dici possunt de nostris infantibus, quia & mors, & peccatum in nostros infantes pertransierunt ratione Adæ ex Tridentino sess. 6. c. 3. Certè sunt *Parvuli*, & hoc loci Canon non addit particulam, ob quam contrahatur ad solos *Parvulos recentes ab uteris*. Certè & ipsi finem baptismi obtinere possunt; nam baptizarentur in hunc finem, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*; cum infantes in utero *generatione id contraxerint, quod regeneratione mundandum est*. Imò sola generatione in utero, non ex utero, contrahitur, quod regeneratione mundandum est.

128. Verum maximè observanda sunt ultima verba canonis, in quibus expresse, & apertè determinatur *per regenerationem mundari id, quod generatione contrahimus*, & hanc veritatem comprobari per Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* Duo ex hoc sunt in promptu. Primum regenerationem baptismi referri ad generationem, *per quam contrahimus id, quod est mundandum*. Alterum hanc veritatem significari ab illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* Addo ego, sed sola generatio in utero; sed sola nativitas in utero, non *ex utero*, est generatio, *per quam contrahimus id, quod est mundandum*; hinc infans moriens in utero sine baptismo certissimè damnatur ex c. *firmissimè* de consecr. dist. 4. ut supra innui, & est fidei veritas. Ergo regeneratio baptismi cum generatione, & nativitate in utero, non ex utero, connectitur, & hæc connexio significatur ab illis verbis *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto &c.* Ergo, quando Adversarii credunt illa verba: *Nisi quis renatus &c.* significare renativitatem Spiritualem connecti cum nativitate ex utero, apertè sentiunt contra decretum Tridentini. Ex his dilucidè diluitur argumentum Adversariorum unicum, quo hisce temporibus uti poterant, nimirum regenerationem Spiritualem necessariò connecti cum nativitate ex utero. Vide num. 141.

129. Hæc veritas: *per regenerationem mundari id, quod generatione contrahimus*, colligitur clarè ex Patribus. Innocentius

pri-

Primus in decreto, quo Pelagium, & Cœlestium damnavit, definit *parvulos*, etiam ex Christiana muliere natos, per baptismum renasci debere, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*. D. Augustinus in Enchir. c. 52. & refertur c. *ut ostenderet* de consecr. dist. 4. scribit: *Cui autem peccato Parvuli renascendo moriuntur, nisi quod* nascendo *traxerunt*? Eandem veritatem docet c.64. post init. & c.119. lib. 1. Retract. c. 7. Epist. 107. nunc 217. c. 5. num. 16. Epist. 157. quæ nunc est 190. num. 15. lib. 3. de peccator. merit. c. 5. Lib. 1. contra Pelag. c. 2. & 3. serm. 14. de verb. Apost. c. 20. & affert D. Cyprianum Epist. 59. Vide num. 159. D. etiam Thomas par. 3. q. 68. art. 9. ait: *Ipse autem Dominus dicit* Joan. 3. nisi quis renatus fuerit &c. *unde necessarium fuit pueros baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrerunt* Nascendo, *ita per Christum salutem consequantur* Renascendo. *Fuit etiam conveniens &c.* Cum hæc doctrina ad verbum reperiatur in Patribus & sit edita in canone fidei, in quo, ut certi simus, quid sit credendum, Ecclesia loqui debet proprietate sermonis, hæc auctoritas Tridentini facit rem certam; nec licet interpretari, ut dicebat quidam Theologus, Concilium loqui ad uberiorem doctrinam, & ad modum majoris explicationis. Ergo negare non possunt renativitatem baptismi referri ad nativitatem in utero. Ego etiam, atque etiam Lectores precor, ut hanc Tridentini definitionem sedulò meditentur, & spero ipsos nostram opinionem secuturos.

130. Probatur tertiò. Baptismus vel consideratur in seipso, vel in suis effectibus. Primo modo consideratus implicat materiam, formam, & intentionem ministri. Effectus verò baptismi sunt gratia sanctificans, & habitus supernaturales ex Clemen. de summ. Trinit. & ex Tridentino sess. 6. c. 7. Remissio omnium peccatorum, & totius pœnæ; Apertio Cœli ex c. *majores* de bapt. & Triden. sess. 5. decr. *de orig. pecc.* can. 5. denique generatio caracteris ex d. c. *majores*, & ex Triden. sess. 7. de Sacram. in gen. can. 9. Hæc ab omnibus sunt concedenda; hinc argumentum efficio. Infans in utero est capax horum omnium. Ergo est capax baptismi. Infantem nostrum esse capacem ablutionis satis demonstratum est c. 4. & 5. cum verò abluitur, ministrum posse dicere verba formæ, & habere intentionem dictum est supra, & per se est evidens. Quod ad effectus attinet, certum est infantem in utero esse capacem gratiæ Sanctificantis, & habituum supernaturalium, ut toties dixi, & hoc est evidens ex eo quod B. V. fuit non solùm in utero reddita Sancta, sed Sancta genita est, ita ut in ipso conceptionis temporis puncto decorata fuerit sum-

ma gratia santificante, & nunquam habuit peccatum originale; nam, ut ait Damascenus orat. de B. V. Nativit. Gratia Divina priùs produxit suum fructum, antequam natura suum germinaret. Præterea, quod est capax unius est etiam capax alius contrarii; cum ergo infans in utero sit filius iræ, & vindictæ, injustus, impurus, maculatus ex Triden. sess. 6. c. 1. erit etiam contrarii; ideò fieri poterit filius misericordiæ, justus, purus, immaculatus, innocens, hæres Dei, & cohæres Christi. Qui autem gratiam Sanctificantem habent, peccato carent, ut fides docet ex Triden. sess. 6. c. 7. Ergo infantes sunt capaces remissionis peccati *originalis*. Sunt ulteriùs capaces Characteris baptismi; cum nulla de hoc afferri possit repugnantia. Tum effectus Characteris est rèddere Animam *fidelem*, ipsumque ab *infideli* distinguere; infans autem in utero est capax hujusce effectus, & cæterorum supernaturalium. Tum tandem est capax præcipui effectus supernaturalis, qui scilicet provenit à gratia Santificante; ergo & reliquorum; unde valet illud effatum Canonistarum: *Cui licet plus, licet & minus.* c. *cui licet* de regul. jur. in 6.

131. Probatur quartò. Nativitas in utero est vera, & propria nativitas; hinc infans Jesus in utero existens dicitur Matt. 1. natus. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est;* hinc D. Thom. par. 1. q. 27. art. 2. scribit: Originem alicujus viventis à principio vitæ conjuncto esse *propriè nativitatem*. Et supra n. 85. cum D. Thom. Alberto, D. August. & D. Gregorio diximus nativitatem aliam fieri *in utero*, aliam *ex utero*. Et num. 129. cum SS. Innoc. August. Cypriano, & Thoma docuimus Infantes *nascendo* peccatum *originale* contrahere; per solam autem *nativitatem in utero* hujusmodi peccatum contrahi. Ergo, si infans in utero baptizaretur, *esset renatus*; quia post primam nativitatem alteram subiret; & evaderet purus, immaculatus, novus homo &c. evaderet pariter justus, mundus, innocens, &c. quia injustus, immundus, nocens est capax justitiæ, munditiei, & innocentiæ. Ergo verè baptizaretur; ideò enim quis verè baptizatur ex Triden. sess. 5. can. 4. & 5. quia suscipit illos effectus. Ergo nativitas in utero baptismo sufficit.

132. Confirmatur. Sordibus infectus lavari potest, & lavacrum exigit. Sed infans in utero est sordibus infectus. Ergo lavari potest, & lavacrum, spirituale, exigit; tale verò lavacrum est baptisma; cum sine lavacro regenerationis ex Triden. sess. 6. c. 4. peccatum *originale* tolli nequeat. Secunda argumenti propositio probatione non eget, cum illam fide credamus; prima verò est se ipsa nota; nam lavacri proprium est lavare, & sordes

sunt

sunt id, quod est lavandum, & mundandum; hinc statim, ac nos aliqua sorde inquinamur, accipimus aquam, & ablutione sordes detergimus.

133. Hìc inquiunt. Infans, antequam uterus aperiatur, est sordibus infectus; & tamen nec per nos etiam baptizari potest.

Sed contra; quia infans in hujusmodi statu non est ex seipso incapax Sacramenti; sed ob extrinsecum impedimentum. Taliter tempore D. Augustini Antipodes baptizari nequibant; non enim baptizari poterant ob impedimentum, quod in ipsis inesset, sed ob spatium interjacens inter eos, & nos. Sic etiam infantes in utero clauso existentes baptizari nequeunt ob impedimentum, quod inter eos, & nos interjacet. Ex hoc dicebamus, si quis violenter uterum aperiret, infantem baptizari posse. Hinc Doctor Subtilis consultò comparat infantem in utero existentem cum puero in Corio incluso, aitque, si aqua ad puerum perveniret, puerum baptizatum iri; secus, si aqua ad ipsum non pertingeret. Ergo infans in utero clauso non intrinsecè, & ex se baptismi est incapax; sed extrinsecè. Ergo ablato hoc extrinseco impedimento, baptizari poterit. Sed instante partu uterus aperitur, & aufertur hujusmodi extrinsecum impedimentum, ut patet ex dictis; ergo infans in utero existens instante partu baptizari poterit. Hinc, si quis dono miraculorum præditus esset; unde posset facere, ut aqua per uterum clausum transiret, & puerum tangeret, infans ille baptizari posset.

134. Probatur quintò. Valet argumentum à definitione ad definitum, quod concedunt Logici, Physici, & Metaphysici, & etiam Jureconsulti; quia bona definitio converti debet cum definito l. 1. ff. *de dolo malo*, Bertachinus, Tuscus, V. *definitio* alios Jureconsultos citantes. Sed infans in utero est capax definitionis baptismi; ergo & definiti, ideòque baptismatis. Secunda propositio argumenti probatur. Definitur baptismus à Magistro in 4. dist. 3 c. 1. *Est ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum*. Hæc definitio est eadem, ac illa D. Augustini trac. 15. in Joan. c. 4. *Est intinctio in aqua verbo vitæ Sanctificata*. Theologi hanc definitionem approbant in 4. dist. 3. ubi D. Thomas, D. Bonav. Harvæus, Palud. & alii, quos sequuntur *Casuistæ* Albericus, Hostien. Sum. Pisanella, & ejus Supplementum, Rosella afferens Directorium juris V. *Baptismus* nu. 1. & ante omnes D. Petrus Cœlestinus in summa de bapt. c. 1. Consentiunt plurimi alii. Sed de infante in utero verè enuntiari potest allata definitio; quia ex dictis constat hujusmodi infantem physicè ablui posse, & eodem tempore dici verba formæ baptismi

cum-

cum debita intentione Ergo etiam definitum enuntiari poterit de nostro infante. Ideoque verè baptizari.

135. Alensis par. 4. q. 8. membr. 1. D. Thomas loco citato. Et par. 3. q. 66. art. 1. Richar. dist. 3. art. 1. q. 3. D. Bonav. dist. 3. par. 1. art. 1. q. 1. quatuor definitiones in medium proferunt quorum una est illa Magistri; alia ex Hugone lib. 2. par. 6. c. 2. quæ talis est. *Baptismus est aqua abluendis criminibus Santificata.* Aliæ duæ definitiones sunt de effectibus baptismi, non de baptismo. Illa secunda definitio verissimè de nostris infantibus pronunciabitur. Infantes enim tum in utero, tum extra uterum peccato originali maculantur. Imò plures tali peccato infecti sunt in utero, quàm extra uterum. Nam in utero, exceptis Christo, & Beatissima ejus matre, omnes fuerunt, sunt, & erunt maculati. At extra uterum Beatus Joan. Baptista, & Hieremia infecti non fuerunt. Et DD. fatentur hujusmodi privilegium aliis concedi posse. Ergo aqua tam debet esse consecrata ad abluenda crimina infantium intra uterum existentium, ac extra uterum.

136. Scotus in 4. dist. 3. q. 1. duplicem definitionem efficit de baptismo, quarum prima est: Baptismus est ablutio hominis aliquantulum consentientis facta ab alio in aqua simul verba cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione Divina ablutionem animæ à peccato. Rubion in 4. dist. 3. q. 1. art. 1. fin. Gabriel dist. 3. fin. Scotum sequuntur. Hæc etiam definitio verè de nostro infante enuntiari potest. Dubium aliquod posset esse in illis verbis: *Significans efficaciter ex Divina institutione ablutionem animæ à peccato*. Sed tollitur dubium; nam illa verba effectum Sacramenti significant; Cum ergo priora verba, quæ causam significant, dici queant de nostris infantibus, dici etiam poterunt posteriora, quæ effectum indicant; siquidem posita causa effectus ponitur, quod axioma maximè verum est in causis, quæ necessariò suum effectum generant, ut sunt Sacramenta; hinc Concilium Tridentinum de *Sacramen. in gen.* sess. 7. can. 6. expresè definit: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre &c. anathema sit.* Et can. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant; sed aliquando, & aliquibus, anathema sit.* Ut ritè baptisma conferam, infantis corpus abluere debeo, proferre verba, & intentionem habere. Sed hæc omnia fiunt tum in infante in utero, tum extra uterum. Ergo ille bap-

tismus debet esse *signum efficaciter significans ablutionem animæ peccato*; ut dicebat Doctor Subtilis.

137. Probatur sextò. Sequens argumentum latissimè prosequor in meo Tract. de Probabil. c.41. à num.49. Depromitur autem ex eo, quod licet baptisma sæpè *Renativitas* appelletur, & per baptisma pueros renasci, ut dicitur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Nihilominus sæpè, quin sæpiùs, *Regeneratio* nuncupatur, & per ipsum hominem regenerari; hinc Paulus ad Tit. 3. dicebat: *Secundùm magnam misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Et hoc forsan significat D. Petrus 1. Epist. c. 1. dum ait: *Regeneravit nos in spem vivam*. Patres etiam communiter sic loquuntur. Dionysius de Eccles. Hierarch. c. 2. D. Justin. Apolog. 2. D. Irenæus lib. 3. c. 19. Tertull. de Resurrect. carnis c. 47. Origenes in Joan. tom. 8. in illum locum. *Ego quidem baptizo vos in aqua*. Athanasius in illa. *Omnia mihi tradita sunt à Patre*. D. Epiph. hæresi 28. D. Cyrillus Hierosol. Cathechesi 3. D. Chrysost. in Joan. homil. 23. D. Innoc. 1. in decr. contra Pelag D. August. in plurimis locis, ut legenti indicem suorum operum V. *Regeneratio* patebit. Epist. 157. aliàs 89. utitur sæpissimè Verbis *Generatio*, *Regeneratio*, & semel num. 13. V. *Nativitas*, & *Renativitas*. D. Cœlestinus Epist. ad Galliar. Episcopos. D. Leo Magnus Epist. 37. c. 1. D. Cyril. Alexand. In Joan. c. 3. v. 3. 4. 5. D. Damascenus lib. 4. de fide Ortodoxa c. *de fide*. Theophilac. In Joan c. 3. §. *dicit ad eum Nicodemus*. Beda lib. 1. in Luc. c. 10. & in Joan. c. 3. D. Thom. 3. par. q. 62. art. 2. q. 65. art. 2. contra Gent. lib. 4. c. 59. & alibi frequenter. Hoc etiam cernere possumus in c. *qui in maternis*. c. *si baptizata* de consecr. dist. 4. c. *debitum*. c. *majores* de bapt. c. *cum Marthæ*. §. *quæsivisti* de Celebr. Missar. Concil. Florent. decr. Eugenii de bapt. Tridenti sess. 5. can. 4. sess. 6. c. 4. In Canone quoque Missæ vers. *Hanc igitur oblationem* die Paschæ, & Pentecostes. Certò ergo credentes baptisma regenerare

138. Nunc argumentum conficimus. Qui est genitus, regenerari potest *Spiritualiter*; sicut qui natus est, renasci potest *Spiritualiter*. Sed infans in utero est genitus. Ergo regenerari potest Spiritualiter. Prima argumenti propositio videtur per se nota; quia post primam sequi potest altera. Tum Regeneratio Spiritualis non est nisi prima generatio Gratiæ Sanctificantis, per quam reddimur filii Dei, & Divinæ naturæ consortes; gratia autem inhæret substantiæ rationali, quæ si est homo, producitur per generationem; si est Angelus, per creationem ex nihilo. Probatur verò altera argumenti propositio. Ex Arist. 5. phys.

c. 2.

c. 2. alia est generatio simpliciter, alia *secundùm quid*. Per primam gignitur *ens simpliciter*, inquiunt Philosophi, scilicet substantia. Per secundam producitur *tale ens*, nempè *accidens*.

139. Generatio simpliciter sumitur vel propriè, & est generatio viventium, quæ per D. Thomam 1. par. q. 27. art. 2. definitur. *Est origo viventis à principio vitæ conjuncto*, & hæc *propriè*, inquit Doctor Angelicus, *est nativitas*. Vel magis propriè; ad hanc autem per eundem D. Thomam ibidem *requiritur*, *quod procedat secundùm rationem similitudinis in natura ejusdem speciei*. Idem docet Scotus in 1. dist. 13. ad 1. & in 3. dist. 8. §. *ad tertium*. Hinc Scotistæ apud Mastrium de Generat. disp. 8. q. 1. hanc propriissimam generationem definiunt *Esse productionem naturalem viventis à vivente similis producenti in natura*. Rectè ponitur in definitione illud verbum, *Naturalis*; quia dicebat Arist. de Anim. lib. 2. c. 5. esse naturalissimum viventibus generare sibi simile ad conservandam speciem. Per hanc generationem res producta dicitur Filius.

140. Ex his evidenter intelligimus infantem in utero esse genitum *simpliciter*, *proprie* & mag*is* *propriè*, & esse filium sui Patris, & Matris; dum verò ex utero exit non generari nisi *secundùm quid*; quia non producitur substantia, aut vivens, ac propterea nec *ens simpliciter*; sed *tale ens*; quia solùm fit translatio hominis de uno ad alium locum.

141. Sed respondent apud Philosophos, atque Theologos hæc esse vera, non apud vulgus, quod nomine generationis accipit effusionem fœtus ex utero. Ita in publica concertatione respondit quidam Sacræ Theologiæ Magister.

Verùm ex dictis num. 128. hoc objectum refellitur; nam Tridentinum sess. 5. can. 4. ut dixi ibidem explicat regenerationem Spiritualem, ut sit illa, *qua mundetur id*, *quod generatione contraxerunt*. Ergo per Tridentinum regeneratio Spiritualis refertur *ad generationem*, *qua contrahimus id*, *quod est mundandum*; Porrò hanc esse solam generationem in utero est per se evidens, & supra non semel ostendimus. Præterea Theologia sibi sufficit in explananda Sacra Scriptura; ergo, ut eam interpretetur, non debet considerare, an vulgus intelligat interpretationem diverso modo; vulgus enim est docendus à Theologia, non Theologia à Vulgo. Tum qua ratione suum dictum probant Adversarii? Tandem non negamus generationem in eo significato, quo illam Vulgus accipit; at negamus regenerationem Spiritualem baptismi referri ad hujusmodi generationem; nam Tridentinum dilucidè pronun-

iat infantes *veraciter baptizari*, ut in eis regeneratione mundetur, *quod generatione contraxerunt*.

142. Probatur septimò. Beneficium Principis est latissimè explicandum c. *cum dilecti* de donat. c. *ex parte* el. 2. de decim. c. *quia circa* de privil. c. *olim* de verb. signif. l. *beneficium* ff. de constit. Principum. Verba legis: *Beneficium Imperatoris, quod scilicet à Divina ejus indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus*, & adeò latè interpretari debemus, ut solùm contrahi debeat, quando, si non contraheretur, in damnum aliorum redundaret c. *Acrhidiaconum* 85. dist. fin. Gloss. fin. d.c. *olim*. Cum ergo Baptisma sit beneficium ex Tridentino sess.6. c. 3. & sit beneficium infinitè potentis, infinitè benefici, infinitèque misericordis; & longè plures, & potiores favores nobis præstet, quàm olim præstiterit circumcisio c. *majores* de bapt. Ergo est latissimè explanandum; præsertim cum de ipso quàm propriè verba legis dicantur; verissimè enim *à Divina Clementia* Christi, *beneficium Baptismi profectum est*.

143 Lege num. 86.& ex verbis Evangeliorum ibi citatis videbis hanc formam emergi ingentis beneficii baptismi. *Omnis Gens est baptizanda: Omnis creatura est baptizanda.* Porrò nomine *Creaturæ* ex D. Gregor. homil.29. in Evang. intelligitur Homo. Omnis ergo homo est baptizandus. Sed infans in utero est homo. Igitur infans in utero est baptizandus. Credo etiam in nomine Gentis nostros infantes includi; nam Gen. 25. de Rebecca gemellos in utero gerente dicitur *Duæ gentes sunt in utero tuo*.

144. Confirmatur. Triden. sess. 5. can. 2. ex illis verbis. *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex his, inquam, verbis statuit *peccatum Adæ redundare tum in ejus propaginem, tum in nos*. Ex regula ergo quia *omnes homines peccaverunt in Adam* Concilium definit & nos, & infantes in utero contraxisse peccatum *originale*. Ergo ex illa regula, quæ est æquè generalis, *omnis homo est baptizandus*, hæc veritas definienda est *Infantes in utero sunt baptizandi*. Et hoc multò magis est dicendum; quia prima regula est odiosa, & odia sunt contrahenda. Contra verò secunda regula est favorabilis, & favores sunt ampliandi, & utrumque determinatur in c. *odia* de reg. jur. in 6. Tum, *quod nulli nocet, & alteri prodest*, est facilè concedendum l. 38. ff. *de evict.* cum ergo concedere baptisma omnium infelicissimis nostris infantibus nulli noceat, & iisdem maximè prosit, non solùm concedendum est, sed etiam facilè, namque ex epist. 37. c. 1. Leonis Magni *inprimis providere debemus*,

ne,

ne, dum speciem quamdam cautionis teneamus, *in damnum regenerandarum animarum incidamus*.

145. Confirmatur iterum. A l. *qui in utero est. l. qui in utero sunt*.ff. de stat. homin. expressè deciditur infantes in utero existentes censendos esse natos, quando agitur de ipsorum favore. Ergo etiam Ecclesia debet eos natos judicare, quando agitur de ipsorum favore; sicut enim Sacratissimæ leges non dedignantur Sacros Canones imitari; ita Sacri Canones leges probant, & imitantur c. *Clerici* de judic. c. 1. de juram. calumn. c. *intelleximus* de nov. oper. nuntiat. nisi tamen leges Sacris Canonibus sint contrariæ Gloss. d. c. *intelleximus* V. *adjuvantur*. Cum ergo in re nostra agatur de favore, & maximo quidem, hujusmodi infantes censendi sunt nati; ideòque baptizandi. Tum *præcepta Divina* benigniùs *interpretanda sunt, quàm humana* ex Nider par. 3. timor. Conscien. c. 11. *quia Deus est Legislator benignior, quàm homines*. Ergo, si leges humanæ nostros infantes censent esse natos, si agatur de ipsorum favore, multò magis interpretari debemus Legem Divinam de baptismo habere pro natis eosdem infantes, cum agatur de immenso beneficio Divinam hæreditatem acquirendi. His accedit privilegium martyrii prodesse nostris infantibus ex Scoto in 4. dist. 4. q. 3 ergo & privilegium baptismi; cum hoc videatur æquè generale, atque illud. Quin ex forma privilegii videatur generalius; hujus enim est. *Omnis creatura est baptizanda*; illius verò: *Quicumque* Confitebitur *me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, ubi verbum *Confitebitur* videbatur solos adultos significari; quia tamen agitur de favore, Doctores illud satis largè interpretantur, & ad infantes etiam illud ampliant. In forma baptismi nullum profectò verbum invenitur, per quod significetur hujusmodi beneficium esse contrahendum; imò omnia sunt *generalissima*, ut supra notabam.

146. Probatur octavò. In psal. 129. de Christo dicitur *Copiosa apud eum redemptio*, & hæc redemptio non solùm debet esse copiosa, quia fuit infinita; sed debet esse copiosa, quia ad omnes, nullo excepto, redundaverit; hinc ad Rom. 5. habetur: *non sicut delictum*, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt; *multò magis gratia, & donum unius hominis Jesu Christi* in plures *abundavit*. Ecce gratia Christi *in plures* redundavit, quàm delictum Adæ. Ergo redundavit & in eos omnes, quos Adæ delictum infecit, & in alios etiam. Et revera Theologi dicunt Christum meruisse Angelis plures gratias; Ergo, cum delictum Adæ nostros infantes inquinaverit, in eosdem gratia Christi redundaverit. Si Adam illos morte Corporea, & Spirituali occidit:

Ergo

Ergo multò magis Christus voluit ipsos vita spirituali donare; ac propterea etiam pro ipsis Sacramentum instituit, quo hujusmodi vita acquiritur. Hìc mihi videtur afferri posse Chrysost. hom. 10. Rom. laudatus à D. August. l. 1. contra Julian. Pelag. num. 27. Si peccatum valuit, & peccatum unius hominis, gratia, & Dei gratia, & non solùm Patris, sed etiam Filii, quemadmodum non amplius prævalebit? Multò, enim hoc rationabilius; *nam alium pro alio damnari non valdè videtur habere rationem; alium autem pro alio salvari & decentiùs magis, & rationabiliùs apparet. Si igitur illud factum est, multò magis hoc.*

147. Nec juvat, si dicas, posse ex privilegio speciali reddi Sanctos, ut Joannes Baptista, & Hieremias; vel etiam salvos fieri per martyrium. Nam, *quod à jure exorbitat, non est trahendum in consequentiam* ex c. *quæ à jure* de reg. jur. in 6, ergo ex illo privilegio speciali non debemus legem generalem constituere. Hinc ex illa doctrina Adversariorum sequeretur, si solam legem communem consideraremus, delictum Adæ in plures redundasse, quàm gratiam Christi. Ad illud de martyrio vide num. 145. Tum infans in utero per martyrium *Spiritualiter* nascitur. Ergo nativitas Spiritualis nativitatem ex utero non postulat.

148. Confirmatur. In c. ult. de transact. Pontifex sancit in his, in quibus jus non invenitur expressum, *procedas æquitate servata*, semper in humaniorem partem declinando, *secundùm quod personas, & causas, loca, & tempora videris postulare*. Et in c. ult. de senten. excomm. præcipitur propter defectum ætatis rigorem esse mansuetudine temperandum. Glossa in d. c. de transac. V. *in humaniorem* scribit. Semper debemus promptiores esse ad absolvendum, quàm ab condemnandum ff. de act. & oblig. *Arrianus*, & ff. de pœnis *respiciendum*, & de probat. *ex litteris*, & 26. q. 7. *tempora pœnitudinis*, & promptiores ad misericordiam, quàm prætendere inclementiam 86. dist. *non satis*; & sententia, quæ misericordiam vetat, fugienda est 50. dist. *ponderet*, & 26. q. ult. *alligant*, ubi dicit, *Quod si Dominus est largus dispensator, ejus famulus non debet esse tenax*, & 9. dist. *sana*; & 1. q. 7. *exigunt*. Hactenus *Glossa*. Certè in re nostra non reperitur jus expressè vetans baptismum hisce infantibus. Ergo *humaniorem* partem sequi debemus, eosque à pœna æterna, & culpa baptismo liberare ita postulante imbecillitate *Personæ* impotentis ex utero egredi. Debemus etiam esse promptiores ad exhibendam ipsis misericordiam, quàm sinere, ut æternùm pereant. Si Dominus ita fuit largus dispensator, ut instituerit Sacramentum in materia ubique existente, ne alioquin aliquis periret, & aqua ipsis infanti-

bus

bus applicari potest. Cur ejus famulus erit ita severus, tenax immisericors, ut nolit ipsos aqua abluere? Hìc syllabatim d. *alligant* 26. q. ult. valet. Eunuchus Reginæ Candacis Act. c. 8. videns aquam statim Philippo dixit *Ecce aqua*, quid me prohibe baptizari? Nostri revera infantes non clamant. Sed alii pro ipsis: Ecce aqua, quid prohibet eos baptizari? Antiqui quidem excusatione digni erant, si illos non baptizabant, quia scilicet bona fide credebant aqua ablui non posse; At quas excusationes no prætexere poterimus, cum sciamus in ipsis omnia fieri posse, quibus baptisma confertur? Prisci Pontifices jure excusabantur si ad Antipodas nec Sacerdotes, nec Episcopos mittebant; quia nimirum D. Augustino, Lactantio, aliisque celeberrimis Doctoribus, & Naucleris affirmantibus illas Regiones esse fabulosas vel invias credebant. Nunc verò nullam excusationem mererentur, si operarios Evangelicos illuc non dirigerent, cum optimè didicerint à nostris Recentioribus esse terras veras, ab hominibusque cultas, oceanumque navibus edomari.

149. Confirmatur ex D. Thoma 2. 2. q. 30. art. 1. cum D. August. de Civit. Dei lib. 9. c. 5. Hìc ait miseriam esse objectum movens ad misericordiam, & quò miseria est major, & difficiliùs expelli potest, eò magis ad misericordiam movere. Infantes sive in utero, sive extra uterum sunt omnium miserrimi, & ex se miseriam magnam peccati *originalis* depellere nequeunt. Ergo Christus motus à tanta miseria debuit instituere Sacramentum ad depellendam hujusmodi miseriam non modò à pueris extra uterum extantibus; sed etiam in utero existentibus, & nos pariter debemus inter plures opiniones illam seligere, quæ est misericors erga hujusmodi infantes, & eos propterea baptizare.

150. Dicebat olim in suis prælectionibus amicus ille meus, magis misericors Christus fuisset, si instituisset pro materia baptismi sputum; quod tamen non fecit; hinc nullum fuisse Sacramentum collatum in sputo declaratur in c. *non ut apponeres* de bapt. sic etiam Deus magis misericors fuisset, si omnes ad gloriam destinavisset; & tamen hoc non fecit ex Rom. c. 9. *aliud vas in honorem*, *aliud verò in contumeliam*; & ex illo terribili: *Multi sunt vocati; pauci verò electi*.

Hoc objectum proficiscitur ex juris ignorantia. Si D. Thomæ 2. 2. q. 67. art. 4. ad 1. credimus, misericordiam solùm exhibere possumus in iis, quæ Judicis arbitrio permittuntur, *in quibus boni viri est, ut sit diminutivus pænarum*, ut dicit Arist. 5. Æth. c. 10. *In his autem, quæ determinata sunt secundùm legem divinam, vel humanam, non est suum misericordiam facere*. Ecce clarè, in

qui-

quibus legis decisio reperitur, in iis misericordia adhibenda non est; utique verò in iis, quæ Judicis arbitrio permittuntur, & in his Judex benigniorem partem sequi debet. Hæc doctrina consentanea est iis, quæ in loco citato de transac. habentur.

151. Præterea D. Thomas q. 120. art. 1. ad 3. scribit: Interpretatio habet locum in dubiis, in quibus non licet absque determinatione Principis à verbis legis recedere, *sed in manifestis non est opus interpretatione*, *sed executione*. Hoc statutum est l. *si quis* C. de liber. præter. & exhær. Sputum non esse materiam aptam Sacramento est definitum à jure. Ergo in hac materia non est opus *interpretatione*; sed *executione*. An infans in utero baptizari possit est dubium. Ergo in hac materia misericordiam exhibere possumus. Ergo est opus interpretatione benigna, non executione severa.

152. Eodem modo respondeo ad exemplum de Prædestinatione ad beatitudinem æternam; Fides enim docet aliquos esse ad ipsam destinatos, alios ad æternas pœnas; cum ergo hæc sit materia clara, & nostra quæstio sit de re obscura, ab illa ad hanc ratiocinari non licet. *Quæ conventio lucis ad tenebras* dicebat Apostolus? Quod enuntiatur de uno, dicitur quidem de alio simili c. *inter corporalia* de translat. Episc. c. *cum secundùm* de præben. c. *per venerabilem* qui filii sint legit. sed nunquam dici potest de dissimili; imò contrarium est affirmandum c. *qualis* 25. dist. c. *quamquam* de cens. in 6. & probat Barbosa de axiom. jur. 74. in. ex l. *inter stipulationem* §. *Sacram.* ff. de verb. oblig. Igitur secundùm Jurisconsultos ita argumentum efficiendum est. In materiis claris misericordia exhibenda non est. Ergo in materia obscura, ut est nostra; exhibenda est.

153. Hanc objectionem Adversarii à *Probabilioristis* mutuati sunt. Hi Doctores producunt in medium contra Probabilitatem longissimam auctoritatum seriem, præsertim Sanctorum Patrum, & sibi propterea adeò plaudunt, ut jam actum de Probabilitate confidenter præsumant; & tamen, si rem sedulò, & maturè considerarent, eos præter rem afferri clarè perspicerent. Rem exemplo declaro. Si unquam aliqua auctoritas videtur Probabilitatem manifestè oppugnare, est illa D. August. lib. 1. de bapt. contra Donat. c. 3. & 5. scribit hìc. *In materia spectante ad salutem Animæ non sunt præponenda certis incerta.* Mirum est, quantùm sibi plaudant Adversarii. Verùm affirmatè assevero nihil prorsus probare, & præter propositum in medium adduci. Sanctus Doctor loquitur in materia de recipiendo baptismo ab Hæreticis, ut liquet legenti S. D. Hujusmodi materia semper fuit cla-

ra, & Joan. Epist. 2. dilucidè præcipit. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert;* nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis, *qui enim dicit illi* Ave, *communicat ejus operibus malignis*. Et D. Paulus ad Tit. c. 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem* devita, *sciens quia subversus est*. Eadem veritas docetur à Patribus c. *quæ dignior*. c. *si quem* 24. q. 1. c. *quamvis* de consecr. dist. 4. Quin Cyprianus cum LXXXIII. Episcopis, & plures *Synodi* Orientales apud Juenin. par. 8. dissert. 2. q. 5. c. 2. crediderant baptismum collatum ab Hæreticis non solùm malum esse, sed etiam nullum. Nota hanc opinionem nunc esse hæresim. Sanctus Thomas quodl. 3. art. 10. hanc veritatem manifestè docuit; ait enim non posse aliquem ab erroris vitio excusari, si aliquam opinionem tueatur *contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenet Ecclesia*.

154. Igitur, si quis non modò probabiliter, vel magis probabiliter, sed etiam certò credat posse sine peccato recipi baptisma ab Hæreticis, extra necessitatis tempus, hic ab erroris vitio excusari nequit; ideòque neque à peccato. In hac ergo materia, & in similibus; ac proindè in aliis materiis claris, & in quibus, ut loquar cum Angelico Doctore, *poßumus, & tenemur scire veritatem*, incerta non sunt præponenda certis; hæc enim est materia *scientiæ*, non opinionis, & *Probabilitatis*. Verùm in materia incerta, *opinativa*, probabili, obscura, & in qua scientia haberi non potest, dicunt Probabilistæ *Incerta certis præponi poße*, & hanc veritatem puto certam, si incertum sit *Probabilius*. Ratio est, quia etiam Sancti in multis inter se diffident, ait D. August. lib. 1. contra Julian. Pelag. c. 6. num. 22. princ. etiam in moralibus dicit D. Antonin. par. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. Hinc necesse est unam ex illis opinionibus esse falsam. Ita etiam Antiqui plurimas falsitates docuerunt, ut longa serie refero c. 10. 11. & 12. mei Operis. Ut verò nemo de hoc dubitet, exemplum produco D. Thomæ q. 2. de malo art. 8. ad 3. Hìc scribit: *Sicut semel inebriari est peccatum veniale; ita & multoties inebriari per se loquendo;* per accidens autem, & dispositivè *multoties inebriari potest esse peccatum mortale*. Ita Doctor Angelicus. Hæc opinio illis priscis temporibus erat multorum, præsertim Canonistarum; hinc in defensionem D. Thomæ dici potest non fuisse ejus errorem; sed *ejus sæculi*, sicut hoc modo defendit Tertullianum Pater Georgius Ambianus Capuccinus tom. 1. *Tertulliano Redivivo* in Vindic. c. 2. sec. 3. sicut & eodem modo D. Augustinum tuetur Cardinalis de Noris in Vindic. August. c. 4. §. 8. Tertullianus voluit baptizatos ab Hæreticis esse iterùm baptizandos,

dos, & D. Augustinus negavit Antipodas. In 2.2. q 150.art.2. clarè, & expressè D. Thomas docuit Ebrietatem esse *per se peccatum mortale*. Certè D. Thomas, antequàm summam componeret, opinabatur Ebrietatem *per se non esse peccatum mortale*. Hoc autem tunc erat incertum. Ergo in hac materia tunc obscura, *opinativa*, & incerta Angelicus Præceptor incerta certis præposuit. Idem dico dè aliis Sanctis, & Antiquis, qui opiniones falsas tradiderunt.

155. Sicut ergo Probabilistæ, & Probabilioristæ opinionem benignam, quæ potest esse falsa, opinioni præponunt, quæ certò nullum peccatum implicat; præponunt, inquam, si tamen in illa materia non est jus expressum; ideòque est materia opinionis, & *Probabilitatis*. Ita nos in materia, in qua jus expressum non est, imitantes Pontifices, & antiquos Doctores in humaniorem partem inclinamus, & miserrimis illis infantibus misericordiam exhibemus, illosque homunculos baptizamus; & ita hanc opinionem sequimur, & docemus, ut simus parati ad illos non baptizandos, & sinendum, ut æternùm pereant, si Pontifex opinionem contrariam approbaverit. Si verò judicaverit illa verba: *Tam parvulis, quàm adultis baptismum proficere* ex c. firmiter de sum. Trinit. Et Clemen. eod. & illa alia: *Nec sexum, nec ætatem à baptismo excludere* esse intelligenda etiam de nostris *Infantibus*, tunc explosa Adversariorum opinione sequenda erit nostra, salva tamen reverentia Antiquis eam docentibus; & hoc ut sequamur decretum Alexan.VIII. propos. 30. ex damnatis.

156. Probatur nonò ex D. Thom. 3. par. q. 68. art. 9. & Scoto in 4. dist. 4. q. 1. & credo me posse omnes Antiquos afferre. Theologorum Principes tractant hìc quæstionem illam: *An Parvuli sint baptizandi*, & affirmantem partem contra Pelagium sequuntur illa ratione, quia sicut per Adam *nascendo* peccatum *originale* contrahunt, & damnantur; ita multò magis per Christum *renascendo* salutem æternam consequentur, & salvi fient. Certè hæc ratio evidenter probat etiam de nostris infantibus. Ecce argumentum. Ideò per Theologos pueri baptizantur; quia contraxerunt peccatum *originale*. Sed Infantes tam in utero, quàm extra uterum existentes peccatum *originale* contraxerunt; immò illud contraxerunt, quia nati sunt in utero, ita ut esse extra uterum nihil conferat ad contrahendum tale peccatum. Ergo Infantes sive in utero morantes, sive extra uterum existentes sunt baptizandi.

157. Tam Doctor Angelicus, quàm Doctor Subtilis ita diluunt

objecta, ut hujusmodi doctrina sit vera etiam de Infantibus in utero, ut loca allata legenti patebit. Quin etiam D. Thomas ad 1. clarè nostris parvulis favet. En verba: Quod Regeneratio spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodò similis *Nativitati carnali* quantum ad hoc, quod, sicut *pueri in maternis uteris constituti* non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiæ salutem suscipiunt. Ecce regeneratio baptismi est similis *Nativitati carnali*. Sed quænam est hæc *Nativitas carnalis?* Ex sequentibus illis verbis *Pueri in maternis uteris constituti &c.* patet hanc esse nativitatem in utero. Si ergo regeneratio baptismi est similis *nativitati carnali* in utero, dici poterit renativitas baptismi per comparationem ad illam nativitatem; iteratio siquidem debet esse de eadem re, ut patet ex toto titulo de *Sacram. non iterandis*. In re nostra certè esse eadem omninò nativitas nequit; quia baptismus est aliquod supernaturale. Ergo sufficit esse eadem sola similitudine; cum ergo per D. Thomam regeneratio baptismi sit similis *nativitati carnali* in utero, regeneratio baptismi dicetur renativitas per comparationem ad nativitatem in utero. Supra num. 94. ex Theophilacto, & Ruper. aliam similitudinem attulimus inter regenerationem baptismi, & nativitatem in utero.

158. Confirmatur ex eodem Doctore Subtili in 3. dist. 3. q. 1. ut retuli num. 111. Agit ibi de conceptione B. V. an fuerit concepta in peccato originali. Allatis rationibus utriusque partis, quæ ibidem retuli, in §. *tertium est manifestum* concludit his verbis: Quod autem horum trium, quæ ostensa sunt possibilia, factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, *videtur probabile*, quod excellentiùs est attribuere Mariæ; hoc est, ut dicit dist. 18. §. *aliter dicitur ponendo* B. V. nunquam fuisse inimicam Deo sive per peccatum *actuale*, sive per peccatum *originale*. Negare nequeunt Sacramentum baptismi institui potuisse etiam pro infantibus in utero manentibus; inficiari etiam nequibunt opinionem nostram habere auctoritates Patrum ipsi faventes, sicut & rationes. Ergo ad exemplum Scoti, imò multò magis, quia agitur de Christo infinitè excellentiore Maria, concludamus. *Si auctoritati Ecclesiæ, vel auctoritati Scripturæ, non repugnet*, videtur probabile, *quod excellentius est, attribuere Christo*; ac propterea Baptisma institutum fuisse ad abstergenda peccata non modò adultis, & pueris extra uterum positis, sed etiam infantibus in utero existentibus.

159. Pro-

159. Probatur ultimò ex D. Cypriano Epist. 59. ad Fidum, cui nomine Concilii respondit. In hac Epistola loquitur quidem S. D. de pueris recèns natis, quos esse baptizandos etiam ante octavum diem cum Concilio decernit. In iis, quæ dicit, meo judicio, plurimùm mihi favet. Audiamus. In hoc, quod tu (Fidus) putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potiùs judicavimus nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam; nam cum Dominus in Evangelio suo dicat, Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare, quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est; *quid enim ei deest, qui semel* in utero *Dei manibus formatus est*? ita Cyprianus. Hæc verba: *Quid enim ei deest &c.* clarum pro mea opinione continent argumentum.

160. Subdit Sanctus Doctor: esse denique apud omnes sive infantes, sive majores natu unam divini muneris æqualitatem declarat nobis Divinæ Scripturæ fides. Quæ res, si secundùm nativitatis nostræ, & corporis qualitatem cogitetur, adulto, & provecto infans non posset æquari. *Sed illic æqualitas Divina, & spiritalis exprimitur*, quòd pares, atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt. *Cum Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur*. Subdo ego. Si Divina bonitas æqualis est omnibus, sive provectis, sive infantibus; cur non erit æqualis infantibus in utero existentibus, *quando à Deo semel facti sunt*?

161. Prosequitur Cyprianus: Nam Deus, ut personam non accipit, *sic nec ætatem*, cum se *omnibus* ad cœlestis gratiæ consecutionem *æqualitate librata præbeat patrem*. Ecce per Cyprianum nec Deus accipit personam, *nec ætatem*; sed omnes vult, ut cœlestem gratiam adipiscantur. *Si Deus ætatem non accipit*, nec nativitatem ex utero postulabit: quia hæc cum ætate conjungitur. Quare Adversarii ætatem accipiunt?

162. Subjungit S. D. Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse ea lege, quæ jam statuta est; *Sed omnem omninò hominem admittendum esse ad gratiam Christi; quando & Petrus in Actibus Apostolorum loquatur, & dicat, Dominus mihi dixit neminem communem dicendum, & immundum*. Hìc me continere non possum. *Si omnis omninò homo* admittendus ad baptismi gratiam est; cur repellendi infantes in utero? Nunquid non sunt homines. Vel in illis perquam generalibus verbis *omnis omninò homo* contineri non possunt nostri homunculi?

163. Finit Epistolam Cyprianus hisce verbis. Porrò autem si

etiam gravissimis delictoribus remissa peccatorum datur, & à baptismo, atque gratia nemo prohibetur; quantò magis prohiberi non debet infans, qui recèns natus nihil peccavit, nisi quod secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ primâ nativitate contraxit; qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso faciliùs accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata, & idcircò hæc fuit in Concilio nostra sententia à baptismo, atque à gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi, quod cum circa universos observandum sit, atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos, & recèns natos observandum putamus.

164. Ecce expresè per Cyprianum omnibus *Deus misericors, benignus, & pius est*. Quam pietatem, quam benignitatem, quam misericordiam infantibus in utero Deus largitur, si ipsos à baptismo excludit? Nec sufficit; si dicamus Deum posse illos Sanctos reddere; nam modò non quærimus, quid Deus largiri possit, præsertim de suprema ejus Omnipotentia; sed quid modo largiatur; *quia Deus omnibus est misericors, benignus, & pius*.

165. Præterea si multò magis infans *recèns natus* à baptismo prohiberi non debet ob hanc rationem, *quia*, nempè, *nihil peccavit; sed solùm secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit*. Cur infans in utero, qui contagium mortis antiquæ *prima nativitate* contraxit, qui secundùm Adam carnaliter natus est, & nihil peccavit, idest, nullum peccatum commisit, à baptismo prohibendus erit? Certè, si veritatem fateri volumus, dicamus, oportet, omnes rationes, ob quas Cyprianus, & Concilium sanxerunt infantes recèns natos baptizandos esse, ostendere infantes in uteris existentes baptizari posse. Hæc auctoritas Cypriani laudatur à D. Augustino lib. 1. c. 3. num. 6. contra Julian. Pelagian. & à Divo Hieronymo lib. 3. Dialog. adversus Pelag. fin. Hinc patet, quanti sit æstimandum hoc ultimum nostrum argumentum.



CA-

CAPUT X.

Rationes opinionis contrariæ, una excepta, Diluuntur.

166. NUnc restat, ut rationibus contrariæ opinionis c. 2. productis respondeamus, quod facilè erit ex dictis. Ad quatuor illas num. 15. quibus Antiquiores utebantur, respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 6. q. 1. art. 1. Ad primam ex D. Ambr. lib. 1. Epist. 12. super Ezech. c. 36. Baptisma non exigere pœnam exteriorem, & peccato *originali* pœnam sensibilem non deberi. Ad secundam, & tertiam *nihil valere, quia repugnant Sanctificationi in utero, & baptismo*. Ad quartam. *Nativitas neque est Animæ, nec corporis, sed conjuncti; unde in nativitate in utero nascitur & corpus, & Anima*. Addo ad primam ex dictis clarè constare infantem in utero ablui posse instante partu; hinc si volunt hujusmodi ablutionem pueri extra uterum existentem esse *pœnam sensibilem, & exteriorem*, talem pœnam infligere poterunt infanti in utero existenti.

167. Ego maximè laudo responsum ad secundam; quia ex ipso sequitur dilucidè rationem suam unicam, nimirum *Renativitatem Spiritualem necessariò nativitatem ex utero postulare*, esse falsam; nam ex eodem Sancto Thoma Regeneratio Spiritualis habetur ab iis, qui in utero à Deo *Sanctificantur*, in quibus per Adversarios generatio non reperitur. Igitur prima generatio Gratiæ per D. Thomam, quæ est regeneratio spiritualis, non exigit necessariò generationem; ideòque nec nativitatem ex utero. Addo ad tertiam Placentam aliquando post partum utero hærere ex Daniele Sennerti tom. 2. Operumque 3. lib. 4. par. 2. sec. 6. c. 3. Etmul. tom. 2. Colleg. pract. sec. 8. de regim. puerper. Philippo Maziero *Sogno Chirurgo Giornata prima*. Hinc infans natus ex utero conjungitur adhuc per Umbilicum causæ *originalis* peccati; & nihilominus certum est baptizari posse, licèt in vagina existentem, & solum caput extra eam habentem. Quapropter rectè Doctor Angelicus dixit illam tertiam rationem *repugnare baptismo*; quia scilicet nullus aliquando existimandus esset; cum tamen certò esset ratus, & *validus*.

168. Ad rationes D. Thomæ num. 16. allatas patet ex dictis infantem in utero instante partu ablui posse; ac propterea operæ humanæ subjici, atque nobis esse notum; hinc Soto, & Estius

manifestè decepti sunt putantes rationem illam, *quia scilicet, infans in utero nequit ablui* esse evidentem, & *manifestissimam*. Si D. Thomas intelligi posset solùm de tempore, quo uterus est clausus, tunc rationes ejus veræ essent; sed quæstio non dirimitur ex toto; cum adhuc quærendum esset an infans in utero instante partu baptizari posset. Infans etiam in utero vivit, si non cum aliis, saltem cum sua matre; hinc mortua matre, si citò non extrahitur, moritur ipse quoque. Sed ob quam causam, quæso, dici nequit vivere cum aliis hominibus? Et cur hoc necessariò à Sacramento postulatur?

169. At inquiebat amicus ille meus non scimus certò, an id, quod est in utero, sit homo, vel monstrum; sicut nec, an sit vivum; cum aliquoties Medici peritissimi decipiantur.

Quorsum hæc? Fiat tunc, quod fit, quando facto partu nescimus, an natum sit vivum, vel monstrum. Num tunc omninò baptisma omittitur? Nonne ex c. de *quibus* de bapt. sub conditione baptisma conferendum est? Ita ergo fiat in eventu, quando non essemus certi an infans in utero sit vivus, sit monstrum &c. Hìc ego argumentum retorqueo in Adversarium; si quando dubitamus, an puer natus sit vivus &c. Parochus nollet ipsum baptizare, nonne Parochus maxima pœna dignus esset, & crudelissimus censeretur? Idem ergo dicam de eo, qui ex eo quod incertum est an infans in utero sit vivus &c. Sacramentum conferre non vult. Verùm multoties nos esse certos infantem in utero esse vivum, non esse monstrum &c. evidentissimè patet ex dictis c. 4. & 5. Ergo Adversarius meus saltem in hoc eventu Sacramentum conferat; si vult aliàs esse tam religiosus, dum ab illo inani dubio torquetur.

170. Ad Canones *Si baptizata*, & *qui in maternis* non est certum habere vim legis Ecclesiasticæ; adhuc enim dubium est An Decretum Gratiani vim legis Ecclesiasticæ obtinuerit, de quo vide Suarium lib 4. de leg. c. 5. num. 6. Ego partem negantem sequor; cum hanc Doctor Angelicus, & Subtilis apertè tueantur. Ille 3. par. q. 80. art. 6. ad 3. ait c. *cum sæpè contingit*, & c. *si Episcopo* 2. q. 4. errorem continere. Hìc in 4. dist. 6. q. 8. docet Canonem *quibis* de consecr. dist. 4. non posse pœnam *Irregularitatis* infligere Ecclesiæ; quia ille Canon est Archiepiscopi Cantuariensis, qui auctoritate non pollet in tota Ecclesia; cum solus Pontifex tanta auctoritate potiatur. Ergo D. Thomas, & Scotus non agnoscunt in canonibus Decreti Gratiani vim certam legis Ecclesiasticæ. Eodem modo respondet Canoni *si ad matris*. Præterea hic Canon decernit solùm infantem in utero non posse

aptizari eodem baptiſmo, quo ipſa mater baptizatur, quod
xpreſsè dicitur in Rubrica illius Canonis. Ratio quidem Cano-
is videtur mihi contraria, quod tamen mihi non officit; quia
anon quidem eſt certus; ratio tamen Canonis ſemper non eſt
erta ex Gloſ. in c. *majores* de bapt. V. *originale*, & probavi in
eo Tractatu Probabilitatis c. 41. num. 83.

171. Ad rationes num. 18. In noſtra ſententia Infans in ba-
tiſmo tertiò non naſcitur; utique verò in contraria, ut patet
x dictis. Sic etiam ex ratione, & auctoritate D. Thomæ patet
egenerationem Gratiæ neceſſariò non exigere generationem na-
uræ; ideòque nec nativitatem ex utero. Vide n. 166. Tum toties
ixi quoſdam in utero fuiſſe *Sanctificatos*, & Angelos fuiſſe gene-
atione Spirituali Donatos; & tamen nemo ex his natus erat ex
tero. Ergo renativitas Spiritualis non connectitur niſi cum actio-
e, qua producatur Subſtantia Spiritualis, quæ ſola eſt capax
egenerationis ſpiritualis.

172. In noſtra quoque opinione eſt certum infantem ex utero
xeuntem non dici renaſci, & hoc omnes fateri debent; nam
ctio, per quam homo producitur in utero, eſt propriè nativi-
s ex D. Thoma, & Theologis, ut ſuprà dicebamus. Ergo, ſi
fans egrediens ex utero debet dici renaſci, computando nativi-
atem in utero, omnes coguntur vocare illum puerum renatum.
gitur renativitas eſt, quando eadem nativitas iterum habetur.
um ergo toto cœlo nativitas in utero, & nativitas ex utero dif-
erant; quia illa *ens ſimpliciter* producit, hæc *ens ſecundùm quid*;
la à non eſse hominis ad eſse hominis transfert; hæc ab uno ad
lium locum; jam nativitas ex utero non eſt iterata nativitas;
leòque nec renativitas.

173. Neque pariter ex noſtra ſententia proficiſcitur illud ab-
urdum, hominem ſcilicet renaſci, antequam naſcitur; dici-
nus enim infantem in utero baptizatum renaſci *Spiritualiter*,
ntequam naſcatur ex utero; ſed non antequam naſcatur in ute-
o; at nullum eſt abſurdum hominem priùs naſci, ſeu renaſci
piritualiter, priuſquam naſcatur ex utero; quia ex D. Thoma
vis momenti eſt illa credulitas, qua judicamus *generationem
ratiæ ſupponere generationem naturæ*; (utique ex utero) Gratia
nim ſolùm exigit, ut ſit, ſubſtantiam ſpiritualem, quæ certè
abetur, antequam accidat nativitas ex utero.

174. Nec opinio Adverſariorum eſt Eccleſiæ Traditio; de
ac enim dicebat D. Auguſt. lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 24.
*Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper
etentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè*

cre-

creditur. Et Lirinensis Commonit.c.4.ajebat: Illud esse traditum, *quod Ecclesiæ Doctores & Magistri uno, eodemque consensu apertè frequenter, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docuerunt*. Adversarii referre debent DD. florentes ante D. Augustinum; qui opinionem eorundem docuerint, & cum nullum invenerint fateantur necesse est Divum August. fuisse auctorem (si tamen fuit) hujusmodi opinionis. Debent etiam in medium producere Auctores viventes inter tempus D. Augustini, & D. Isidori quod complectitur ex Philippo Labbè de Script. Eccl. ducentum, & sex annos. Sed quinam Doctores, viverunt inter tempus D. Isidori, & Magistri Senten. (spatium quingentorum, & viginti octo annorum ex eodem Labbè) & docuerunt opinionem Adversariorum? Cum ergo tanto tempore non habeantur Doctores stantes ab Adversariis, sequitur hanc opinionem *perseveranter* traditam non fuisse; & cum initium habuerit (si tamen habuit) à D. Augustino, nec semper Doctores habuit; ergo opinio Adversariorum Ecclesiæ Traditio dicenda non est.

175. Sed nec hujusmodi opinionis fundamentum est consuetudo Ecclesiæ, ut videntur num. 21. innuere Adversarii; nam non ritè argumentaberis, si dices. Hoc nunquam factum est in Ecclesia. Ergo nec posthac faciendum est; etenim ante annum 1492. nunquam ab Ecclesia missi fuerunt Operarii Evangelici in Americam; ergo nec posthac mittendi erunt. Ita etiam usque modo nunquam missi sunt Sacerdotes in Regiones polares. Ergo nec postea mittentur. Certè hæc argumentatio prophetica esset contemnenda, & Principes non propterea desisterent ab exploratione illarum Regionum. Igitur *veritate manifestata*, dicebat Augustinus lib. 3. c. 6. contra Donat. *cedat consuetudo veritati*. c. *veritate*. c. *si consuetudinem*. c. *qui contempta*. c. *frustra consuetudo*. c. *si solum* 8. dist. Tum ex D. Hieronym. lib. 3. in Marcum c. 11. & Beda in Marc. lib. 3. c. 11. non omnia scripta sunt, quæ in Ecclesia sunt gesta. Sicut non omnia, quæ Christus gessit, scripta sunt, ut ait Joan. ult. ergo, licèt non legamus baptizatos fuisse infantes in utero, non propterea certò credere debemus id factum non fuisse.

176. Sic etiam Ecclesia antiquitus Ministros ad Zonam torridam non mittebat, ultra Oceanum, & ad Antipodas; quin etiam tempore D. Thomæ par. 1. q. 102. art. 2. ad 4. Opinio Aristotelis affirmantis illam Zonam esse inhabitabilem probabilior videbatur; Oceanum verò ut innavigabilem docuit D. Nazianzenus Epist. 71. & orat. 10. Quod si plures veterum cognoverunt eum esse navigabilem apud Malvendam de Antich. lib. 4. c. 21

in-

intelligendi sunt de Oceano, per quem ad plagas Orbis veteris transmeamus, non de illo, per quem ad novum Orbem navigamus. Antipodas esse Gentes fabulosas docuerunt Lactan. de Instit. Divin. lib. 3. c. 24. D. August. de civit. Dei lib. 16. c. 9. Procopius Gazæus in 1. Genesis, & Beda de ration. temporum c. 32. Quin tempore Durandi in 4. dist. 44. q. 9. num. 8. communiter credebant *ex opposito terræ nostræ habitabilis non esse nisi aquam*. Cum ergo in hoc facto Ecclesia à Doctoribus deciperetur, veritatem sequi non poterat, quæ necessariò ab hoc facto dependet, & mittere operarios Evangelicos ad illas Regiones. Hìc nota Ecclesiam in Facto *nonnunquam opinionem sequi, quæ sæpè falli contingit, & fallere* ex c. *à nobis*, el. 2. de senten. excomm. & Panormitanus num. 2. ait id etiam intelligi de *Ecclesia Universali*. Manifestata postea veritate à nunquam satis laudato Christophoro Columbo nunc Ecclesia in Zonam torridam, ultra Oceanum, & ad Americam Ministros mittit, missura etiam ad plagas polares, si Recentiores magnanimo ausu detegent esse ab hominibus cultas. In re nostra antiqui Theologi credebant infantes in utero ablui non posse; (Soto, & Estius hanc existimationem certam credebant num. 168.) hinc Ecclesiæ Ministri hosce libros legentes hac credulitate imbuebantur; ac proindè operam non navabant illos infantes baptizandi. Accedebat in Patribus, si Tertullianum excipias, forsan hujusce ablutionis vestigium non reperiri.

177. Ad Confirmationem rationum num. 23. respondetur facilè. Quamvis vulgus infantes in utero non vocet natos, nec genitos, tales illos appellant Theologi, & Patres illi, de quibus num. 85. sicut & à D. Cypriano num. 163. Ab his verò explananda est Scriptura Sacra, non verò à Vulgo; præsertim cum Infans Jesus in utero Matt. 1. *Natus* nuncupetur. Sed de hoc satis alibi dixi.

178. Ad Leges ibidem allatas. Ex dictis num. 145. patet Leges civiles infantes in utero existimare *Natos*, quando agitur de ipsorum favore; quando verò agitur de eorum damno, nec illos tanquam natos habet, nec tanquam homines distinctos à Matre, sed nomine *Ventris* eosdem accipiunt. Et licet in d. l. *ventri* agatur de favore; nihilominus nomine ventris vocantur figuratè, utendo scilicet continente pro contento. Ex dictis etiam num. 80. & 89. patet abortus vivos esse baptizandos. Ergo ad baptismum non exigitur perfecta generatio. Ideò verò abortus testamentum non frangunt, quia infantes in utero sibi prodesse possunt, non aliis l. *qui in utero* ff. de stat. homin.

179. In

179. In meo Tract. c. 39. & c. 40. clarissimis exemplis demonstravi Opiniones ex capite *Novitatis* non esse improbandas; quin etiam D. Antoninus ex hoc præsertim laudat Doctorem Angelicum. In d. c. 39. num. 21. & seqq. demonstro Novitates contra principia certa esse absurdas, & prohibendas; non verò *Novitates* contra principia probabilia, & incerta, & hoc modo explicandi sunt Canones num. 30. pro contraria parte producti. Cum ergo opinionis contrariæ fundamenta solùm sint probabilia; quin principale, quo utuntur præclariores Theologi, non possit esse verum eo tempore, de quo nos quæstionem facimus, possumus illis solutis contrariam sententiam docere ex D. August. Epist. 111. relato in c. *neque quorumlibet* 9. distin. Præterea, ut dicebam num. 11. Opinio nostra in re Theologica non est nova; cum tradita fuerit à Gabriele Biel; utique verò in materia philosophica; in qua tamen summa laus est eam sequi, & ostendere tot, & tantas falsitates, quas boni antiqui Philosophi venditabant. Tum licèt Theologi antiqui contrarium in re philosophica docuerint, non sunt tamen magnæ auctoritatis; quia ad Theologos non pertinet agere de rebus philosophicis, præsertim practicis; hæc enim ad Medicos, Chirurgos, & Obstetrices attinent. Laudatus Pater Viva ait Theologos esse explicandos de tempore, quo uterus est omninò clausus. V. num. 184.

180. Ad auctoritatem Tridentini, & c. *placuit* allati nu. 25. patet responsio num. 125. Auctoritas autem Ritualis Romani explicanda est de tempore, quo uterus est omninò clausus; unde aqua ad infantem pervenire nequeat. Ratio est, quia in obscuris minimum est sequendum c. *in obscuris* de reg. jur. in 6. ergo sufficit, si regula Ritualis sit vera in uno eventu inter plures, qui inter se sunt diversi. Tum per Rituale posita quacumque parte extra uterum potest infans baptizari; (quod tamen est valdè controversum apud Theologos) ergo ob hanc benignam Ritualis opinionem argumentari possum ipsum etiam esse concessurum baptisma, si agnovisset ablui posse, nostris infantibus. Cæterùm dubium non habeo Ecclesiam Romanam, etiam sine Concilio Generali, errare non posse in rebus ad Fidem, & bonos mores pertinentibus; at negò esse nobis contrariam; imò valdè credibile est, cum sit maximè misericors, cum sciverit veritatem physicam de ablutione horum infantium, esse iisdem Sacramentum concessuram. Nec nos ritus Sacramenti mutamus; nec ad arbitrium; sed ob extremam necessitatem, ob quam sæpissimè nostris oculis videmus omitti, prætermittimus.

181. Quia Innoc. Undec. num. 1. decrevit in conferendis Sacra-

ramentis, quando de eorum *valore* agitur, nos non posse uti opinione probabili, *relicta tutiore*; hinc in re nostra conferendum est Sacramentum sub conditione; sic enim vitatur periculum Sacramenti, si vera esset opinio Adversariorum, & periculum Animarum, si esset falsa. Hinc nos ita faciendo certum tenemus, quia omne periculum vitamus, quod non faciunt Adversarii; nam negando baptisma nostris infantibus in periculum æternæ damnationis eorumdem incurrunt.

182. Denique, quod attinet ad auctoritates Theologorum, quas adeò exaggerant Adversarii, dico in re nostra existimationem illam, quàm aliàs obtinent, non merentur; cum evidens sit majorem, & meliorem partem in dirimenda quæstione nostra uti ratione, quæ vel falsa est, vel non loquitur de ipsa. Dicunt *infantem in utero ablui non posse, nec esse notum Ecclesiæ*. Si loquantur de tempore, antequam partus instet, verum est; at nos loquimur de tempore, quo partus instat. Ergo ratio opinionis Antiquorum Theologorum nullam vim habet contra nostram sententiam. Si loquantur de tempore, quo partus instat, falsum omninò affirmant, ut manifestè constat ex c. 4. & 5. Sunt tamen excusandi, quia hæc materia ad Theologos non spectat, sed ad Medicos &c.

Pater Martinus Vvingandt in Tribunali Confess. tract. 11. exam. 5. num. 18. sequitur antiquam opinionem non quidem propter rationem, qua toties utitur D. Thomas, quia scilicet infans non subjicitur operæ humanæ. Sed quia infans non est natus. Mirum est Auctorem Scholę D. Thomæ rationem toties allatam ab eodem S. Doctore non adhibere. Num vidit rationem illam revera veritatem non continere pro tempore, de quo nos disputamus? Voluit ergo uti potiùs illâ, quam semel S. D. retulit, & retulit eo loci, quod *argumentum sed contra* vocant, ubi argumenta ponuntur solùm dubitandi gratia. Hoc argumentum forsan D. Angelicus judicavit infirmum, & imbecille. V. num. 166. 167.

183. Quidam Religiosi viri ridebant, & me approbantem ablutionem Clystere faciendam deridebant; aliis verò videbatur esse valdè indecens baptizare infantes existentes vel in cavitate uteri, vel in vagina. V. num. 215.

Verùm ipsi potiùs sunt risu digni, qui judicant actionem illam esse ridiculam; cum tamen revera sit eadem, atque illa, qua pueri extra uterum existentes Cœlum acquirunt; nec illa actio irreverentiam Sacramento irrogat; sed solùm minorem quandam reverentiam, quæ tamen est excusabilis ob extremam

necessitatem horum infantium c. *quod non est* de reg. jur. Deinde nonne circumcisio fiebat sine ulla irreverentia in parte generationi dicata? Et si aliqua pars sit extra uterum, licèt reliquum corporis sit in utero, nonne baptizatur sine ulla irreverentia? Tandem Deo nulla pars corporis est indecens; hinc Lactantius de opific. Dei c. 13. vocat hujusmodi partes Admirabile Dei opus, & rem Sanctissimam. Et Cassiodorus de Anim. c. 16. opus *Decorum, atque pretiosum*. Hinc D. Augustinus jure scripsit lib. 9. c. 16. de Gen. ad litt. Utilius in matris corpore ostendit *nihil pudendum esse, quod castum est*. Vid. lib. 2. retract. c. 7. num. 3.

CAPUT XI.

Diluitur objectum dicentium Opinionem nostram esse Patribus incognitam.

HÆc objectio afferri solet à Probabilioristis in qualibet passim materia, &, ut ita dicam, quando ipsa opinio eis non arridet. Sed quò faciliùs usurpatur, eò faciliùs contemnitur, utpotè nulla ratione fulcita.

184. Quęstio nostra, si credimus majori, & potiori Theologorum parti dependet ab illo principio: *An infans in utero ablui possit, & sit notus Ecclesiæ*. Quia verò veritatem hujusce rei habere non potuerunt; ideò simpliciter baptisma nostris infantibus negaverunt. Ne dicamus tot, & tantos viros deceptos fuisse, juvat credere eos non cogitasse specialiter de hoc dubio: *an instante partu infans in utero ablui possit*, à quo solo nostra quæstio dependet. Hinc decet Theologos illos explicare de tempore, antequam instet partus. Verum hoc principium pendere non videtur à principiis vel è Scriptura Sacra depromptis, vel è Patribus; sed à solis Medicis, Chirurgis, & Obstetricibus. Ergo quæstio nostra non est dirimenda à Patribus. Ergo incassum Adversarii nobis objiciunt quæstionem nostram esse Patribus incognitam.

185. Quod si velimus etiam concedere hoc principium Medicum probandum esse per Scripturam, & Patres, libentissimè morem gerimus. Legant Adversarii Tertullianum à nobis productum num. 62. & videbunt Tertullianum affirmare Medicos Ethnicos telo occidisse infantes in utero, ne ipsi infantes matricidæ evaderent; insuper *anulo cultrato* infantem in utero in frusta discerpsisse, ut faciliùs ex utero educeretur; educebant autem *Hebete unco*. Ut verò Lectores hæc fieri posse, quæ videbantur dif-

ifficilia, crederent; de industria notat Auctor crudeles illos Medicos habuisse quoddam instrumentum, quod *Organon* vocat; hoc verò instrumento *secreta patescere coguntur tortili tempeamento*. Patentibus ergo secretis illis partibus *anulum spiculum* ntus immittebant, infantemque occidebant; immittebant *annum cultratum*, & infantem in frusta cædebant; immittebant *lebetem uncum, quo*, inquit Tertullianus, *totum pecus extrahiur violento puerperio*. Concessis hisce veritatibus, quas omnes redere tenemur, ne Tertullianum mendacem historicum faciamus, exclamabam ego num. 64. *Etnicorum impietas invenit Instrumenta effundendi sanguinem infantis in utero, ipsumque in frua laniandi. Christianorum pietas instrumenta non inveniet, quius super eundem infantem parum aquæ effundatur? Numquid faʾilius erit infantem laniare, quàm lavare?*

186. Si alii Patres contra sævum illum Etnicorum morem cripsissent; etiam ipsi nos hanc medicam veritatem docuissent; um verò occasio hujusmodi ipsis non se obtulerit; quid mirum, i de hac veritate medica mentionem non fecerunt? Fortasse sinile dixit D. August. lib. de prædest. Sanctorum c. 14. num. 27. *Quid igitur opus est, ut eorum* (Sanctorum) scrutemur *Opuscula, ui priùs, quam ista hæresis* (Quæstio) *oriretur, non habuerunt ecessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? Quod roculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur*.

187. In Scriptura etiam mihi vedetur contineri veritas illa hysica *Infantem in utero esse notum Ecclesiæ*. Gen. c. 38. v. 27. dicitur de Thamar: *instante autem partu apparuerunt gemini in utero*, quem locum explicans Tostatus q. 5. propè med. scripsit: *sti duo parvuli apparuerunt in utero .... Et hoc sensit Obstetrix er motum ipsorum interius applicando manum ad uterum; quia entiebat quendam accedere ad ostium ventris, & eodem recedente lterum permanere.* Ecce Obstetrix manum demittit in uterum, & ensit ibi esse duos infantes. Ergo instante partu Ecclesia potest ognoscere fœtum, an sit unus, vel duplex; ideòque an debeat el semel vel bis Sacramentum conficere. Adversarii poterunt ingere ad baptismum postulari præter hanc aliam cognitioem?

188. Sed aliter objecto respondeamus. Optandum omninò st, & suadendum, ut quæstiones omnes morales, atque Theoogicæ Patrum auctoritatibus dirimantur. At hujusmodi neotium est adeò arduum, & difficile, ut paucissimi id exequi posent; namque nimia librorum copia, & nimium tempus postuaretur; quapropter certum puto, si quis vellet ex hisce solis

prin-

principiis tractatum de matrimonio conficere, priùs vitam con-fecturum, quàm librum.

189. Præterea si Adversarii per hujusmodi objectum probar velint opinionem nostram non habere argumenta, quibus osten datur; vel aperire nobis fontem adeò clarum, ut ex ipso sempe vera argumenta hauriamus; unde nec unquam erremus. No rectè loquuntur. Non primum; quia, cum per Theologo præcipuos principalis difficultas in re nostra versetur in hoc: a haberi possit materia proxima Sacramenti, scilicet *ablutio*; & an fœtus in utero dignosci possit; jam hæc, ut toties dixi, in telligi optimè possunt ex Medicina, Chirurgia, & arte Obste tricum; Et si Ecclesia ea scire vellet, proculdubio Medicos &c consuleret, non Theologos; ut fecit olim Eminentissimus Vi carius Urbis, de quo num. 10. Non secundum; licet enim do ctrina Patrum sit verissima, & clara, & longè aptior ad dirimen das quæstiones, quàm principia naturalia; quin ad plurima sola sit apta; tamen Theologus ob mentis suæ imbecillitatem hæ principia interdum malè applicabit. Hæc propositio cum fact quæstionem præseferat, est testibus comprobanda.

190. Primus sit famosissimus Canonistarum Princeps, Gra tianus. Hujus errores colligit D. Antonin. par. 4. tit. 11. c. 8. d quibus ego in meo Tractat. Probabil. c. 12. num. 3. Hìc unicum referam tanquam deteriorem plurimis, & plurimis. Longissi mam, etsi vocat brevem, quæstionem facit de pœnit. dist. 1. a confessio peccatorum præcipiatur. Octoginta novem Patrum & Conciliorum auctoritates in medium adducit dirimendæ quæ stionis gratia, plures pro parte affirmante, plures verò pr negante. Denique sic concludit: *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur* (an scilicet sit necessaria, vel non, inqui Glossa) *in medium breviter exposuimus*; cui autem horum potiùs adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur, *utraque enim fautores habet sapientes, & Religiosos viros*. Ergo ne vir ille acerrimi Ingenii, Gratianus, post exactissimam, & longissimam Patrum, & Conciliorum citationem videre non potuit splendi dissimam Fidei veritatem; quin potuit dare licentiam sequend laxissimam hæresim, quæ sola deterior est omnibus laxis opinionibus, quas invexisse Juniores in materia Confessionis canunt Adversarii?

191. Secundus sit Theologorum Magister, Petrus Lombardus, *Magister Sententiarum* dictus, quia Patrum sententias in unum volumen coegit, & ex eis conclusiones Theologicas collegit.

git. Hoc volumen Henricus Gandavensis de Script. Eccles. c. 31. vocat *Opus magnum*, *& arduum*. Credo ego *Opus magnum* vocari non ratione molis, in hac enim est parvum; sed materię rerum sublimium. Hujus celeberrimi Theologi errores D. Antonin. collegit ibidem, & ait esse quatuordecim. Carthusianus in 4. senten. princ. & Bellarminus de Script. Eccles. affirmant esse viginti, & sex. Ego ibidem solùm de sex mentionem facio. Hìc tantùm duos afferam. In 4. dist. 34. §. *de his* docet cognoscentem sororem uxoris suæ non teneri uxori petenti debitum reddere. Et dist. 36. §. ult. docet uxorem habentem in Patria, si in alia regione alteram matrimonio sibi copulet, & facti pœnitens velit ad priorem redire, & nequeat; sed per Ecclesiæ disciplinam secundam retinere cogatur, *incipere excusari per obedientiam, & timorem, quod poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse nunquam poscere debet; & sic de aliis hujusmodi sciendum*. Ecce aperta injustitia, & apertum adulterium à famosissimo Theologo quæstiones dirimente principiis supernaturalibus excusata.

192. Tertius testis sit Glossa Canonum. Quantùm versati fuerint in libris Patrum Auctores Glossæ canonicæ, facilè intelligent legentes glossemata, quæ in Decretum, & Decretales ediderunt. Quot, & quantos errores sequuti fuerint hi viri famosi, scire possumus, si legamus c. 10. illius mei Tractatus. Hìc iterum duos refero. In c. *Pastoralis* de offic. Judic. Ordin. §. *præterquam* in antiquis Glossis tradit posse Laicum absolvere à peccatis mortalibus necessitatis tempore, & ex hoc argumentatur posse absolvere ab excommunicatione. Dist. 5. *de pœnit.* § *in pœnitentia* V. eod. docet Confessionem non esse jure Divino prçceptam; sed Ecclesiastico; *& quia hæc lex Ecclesiæ non emanavit apud Græcos; ideò Græci non tenentur ad Confessionem Sacramentalem*.

193. Alii duo testes nostræ veritatis erunt Recentiores; sed valdè famosi, & ambo Episcopi, & versatissimi in sanctis Patribus. Sunt autem Cornelius Jansenius, Episcopus Iprensis, de quo tantùm loquitur tota Europa; & Franciscus Genettus, cujus Theologiam moralem Eminentissimus Cardinalis *Le Camus*, Episcopus Gratianopolitanus, præcepit ad laxitates compescendas, ut Clerici suæ Diœcesis ediscerent.

194. Uterque ex his illustrissimis Episcopis est illius opinionis, videlicet Theologicas opiniones solis Scriptura Sacra, & *Traditione* dirimendas esse. Episcopus Iprensis in præfat. sui Operis gloriatur se totum Augustinum duodecies legisse; libros verò de *Corr. & Gratia trigesies*. Jam scimus quinque famosas *propositiones* docuisse, quas tanquam hçreticas Sedes Apostolica condemnavit.

195. Episcopus Vasionensis tom. 1. tract. 1. c. 1. q. 1. affirmat *nullum esse* casum, *ut in hujusce operis prosecutione facilè videbitur*, *qui non sit* expresse *decisus*, *aut saltem cujus decisio* per legitimas, & nullo modo violentas consequentias *non possit erui*, *& haberi à Conciliis*, aut Sanctis Patribus.

196. Sed videamus, quæso, utrum ipse quoque errores docuerit, & facta verbis consentiant. Igitur Auctor ibidem c. 2. q. 2. tradit duas esse *tantùm* conscientiæ species, ad quas cæteræ reducuntur. Prima vera est, & ea, ad quæ obligamur, rectè ostendit. Altera falsa, aut erronea appellari potest; *quia nos in errorem inducit*, *& falsum pro vero proponit*.

197. Ecce in hac quæstione conscientiam falsam ait esse eandem, atque erroneam; & tamen Discipulis notum est quàm maximè inter se differre. Conscientia falsa potest esse probabilis, quin probabilior. Erronea nunquam. Aut Thomista, Aut Scotista habet conscientiam falsam, dum opiniones contrarias docent; sed nunquam erroneam. D. Antoninus 3. par. tit. 13. c. 4. §. 7. habuit conscientiam non peccandi graviter, si de industria animo in alia distractus horas canonicas psalleret. Certè hanc benignissimam opinionem damnat Illustrissimus Clerus Gallicanus anno 1700. ad Comitia Generalia coactus, & damnant Probabilioristæ. Certum est tamen S. Antoninum non habuisse conscientiam erroneam.

198. Alter error est tom. 3. de bapt. c. 8. q. 7. Hìc quærit in quo consistat cognatio, quæ oritur ex baptismo. Affert c. *nedum* de cognat. spirit. in 6. in quo statuitur baptizatum contrahere cognationem Spiritualem, etiam *cum suscipientis filiis*, *& Uxore*. Nescio, an in Gallia approbetur Triden. sess. 24. de reform. matrim. Certè c. 2. decernitur cognationem Spiritualem in baptismo *tantùm* contrahi à baptizato cum suscipientibus, & baptizante, & à patre, & matre baptizati cum baptizante. Et in fine capitis tolluntur omnes aliæ cognationes. Si in Gallia jura antiqua perseverant, Auctor est aliquantulum excusabilis; sed non sunt excusandi, qui volunt opus excudi pro Italis. Apud quos est error manifestus illa opinatio. Num Probabilioristæ credunt omne illud esse laudandum, quod severitatem continet?

199. In progressu Operis ejusdem Auctoris non solùm *facilè video* nullum esse casum, *qui non sit* expresse *decisus*, *aut saltem per consequentias legitimas*, *& nullo modo violenter deductus à Conciliis*, *& Patribus*; sed plures invenio nullo modo ex his principiis comprobatos. Pauca referam. Quisque ex se hoc vide-

dere poterit. In tom. 1. tract. 3. c. 7. quatuor quæstiones facit. Primam dirimit suo judicio, & l. *Obligatio* ff. mandati. Alteram ratione naturali, & auctoritate Ciceronis in Epist. pro sexto Roscio. Tertiam solis rationibus naturalibus. Quartam ratione naturali, & quasdam propositiones evidentes confirmat auctoritate D. Thomæ. Ecce hoc loci tres quæstiones solis rationibus naturalibus diremptæ. Auctor oblitus est Conciliorum, & Patrum, & eorum loco Ciceronem voluit supponere. Si id nos fecissemus, conquererentur nos ab inferno testimonium accersere ad approbandas veritates cœlestes. Quarta quæstio dirimitur quidem auctoritate D. Thomæ; quæ tamen ad propositum non affertur. Dubium est an quæstiones Theologicæ dubiæ probari possint Conciliis, & Patribus, non verò an propositiones certæ, & evidentes. Cui in mentem venire potest Concilia, & Patres nescivisse certa, & evidentia non vidisse? Hic est error plurium Probabilioristarum, quem in meo Probabilitatis Tractatu sæpè detexi, & infra detegam. Hi Auctores in materia de Probabilitate majore, & aliis longa serie Patrum auctoritates in medium proferunt, quas si maturè perpenderis, videbis afferri non ad confirmandam rem dubiam, de qua est quæstio; sed rem certam, quam etiam vident Probabilistæ; & quia est clara, ipsi eam adducunt sine ulla probatione, ut quæstio brevior evadat. Ex hoc vario modo quæstiones agitandi hi Probabilioristæ occasionem capiunt gloriandi se quæstiones Theologicas nobilissimis Conciliorum, Patrumque principiis dirimere, Probabilistas verò vilibus ex natura depromptis argumentis. Sed hanc gloriam, & hunc contemptum à solo Vulgo probabitur, non à viris doctis. Alia exempla Lector ipse videre poterit. Lege tract. 4. c. 4. & c. 14.

200. Quod attinet *ad consequentias legitimas, & nullo modo violenter deductas*, ut ipse loquitur. Ipse in pluribus locis ad probandum aliquod ad jus Ecclesiasticum spectans affert vel Concilium Provinciale, vel Diocœsanum, vel statuta alicujus parvæ Abbatiæ, & hæc licèt novissimè celebrata. Hunc modum probandi in hac materia improbat Scotus in 4. dist. 6. q. 8. ubi docet ignorantem ignorantia facti bis baptizatum non esse irregularem, quamvis talis sit per c. *quibis* de consecr. dist. 4. & rationem affert; quia scilicet Canon ille non est conditus à Pontifice, sed à Theodoro Episcopo Cantuariensi, qui proindè totam Ecclesiam obligare nequit. Vide tom. 3. tract. 2. c. 3. q. 7. tract. 4. c. 9. q. 5. c. 10. q. 8.

201. Infra disp. 5. ostendam, meo judicio, evidenter posse

aliquas quæstiones Theologicas dirimi sine ullo vel Scripturæ Sacræ, vel Patrum testimonio. Ergo quamvis opinio nostra fuisset Patribus incognita, non propterea esset rejicienda, improbandaque. Si mens mea non me decipit hoc mihi videtur expressum in c. *de quibus* 20. dist. en verba Canonis. De quibus causis nulla solvendi, ligandive auctoritas in libris veteris Testamenti, quatuor Evangeliorum cum totis Scriptis Apostolorum appareat, ad Divina recurre Scripta Græca. Si neque in illis: Canones Apostolicæ Sedis intuere; si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias Catholicas à Catholicis Doctoribus scriptas manum mitte. Si nec in illis, Sanctorum exempla perspicaciter recordare. *Quod si omnibus his inspectis hujus quæstionis qualitas* non lucidè *investigatur*, *seniores Provinciæ congrega*, *& eos interroga; faciliùs namque invenitur*, *quod à pluribus senioribus quæritur*. Ecce evidenter contingere potest quæstio, quæ dilucidè nec per Scripturas Sacras, Patres, Pontifices, Historias Sacras, & Sanctorum exempla dirimi possit, & ut dirimatur, congregandi sunt Seniores Provinciæ. Lege Glossam in *figuratione casus*, Archidiac. Præpos. Geminin. Turrecrem. & Bellameram in illum Canonem, qui omnes contingere posse quæstionem credunt, quæ nequeat decidi per illa principia; ac proindè esse congregandos seniores, utique homines viventes, & *quid hìc sit agendum*, *dominus revelabit*, inquit cum Hugo Bellamera. Sed de hac re satis. Copiosiùs infra, ut dixi, in disp. 5.

202. Respondeo etiam aliter objectioni. Hanc sibi fecerat Scotus in 3. dist. 3. q. 1. ex D. Bernar. Epist. 174. qui redarguit Canonicos Lugdunenses, quia instituerint *Novam solemnitatem* de Immaculata Conceptione Beatæ Virginis, *licèt Patribus incognitam*. *Numquid*, inquit Bernardus, *Patribus doctiores, aut devotiores sumus*? Periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. *Nec verò* id tale est, quod nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit omninò diligentiam prȩteriisse: Hanc, inquam, objectionem D. Bernardus fecerat Lugdunensibus, & visum fuerat argumentum efficax ad negandam immaculatam Conceptionem B. V. à tempore ipsius Bernardi ad tempora Doctoris Subtilis. Sibi etiam fecerat, ut dicebam, eandem objectionem Scotus. Sed eam adeò imbecillam existimavit, ut ejus responsionem neglexerit; unde solùm respondit cuidam alii rationi ejusdem Doctoris Melliflui.

203. Verùm volumusne concedere omnem veritatem moralem in Patrum scriptis reperiri? Fatebor id esse verum *virtualiter*, & tanquam in principiis, non tamen *formaliter* sicut *scien-*

tia

via. Sunt verba D. Thom. par. 1. q. 1. art. 7. *Virtute continetur in principiis*. Et Scotus q. 2. prolog. fin. scribit. Orig. homil. de Arca Noe dicit, Nulla scientia omnia scienda explicavit, sed illa, ex quibus possunt alia sufficienter elici; *unde multæ veritates* necessariæ, *non exprimuntur in Scriptura*, *etsi ibi contineantur*, *sicut conclusiones in principiis*, *circa quarum investigationem utilis fuit labor Expositorum*, *& Doctorum*.

204. Si ergo Patrum testimonia sunt principia Theologiæ; sequitur evidenter Conclusiones Theologicas esse cognitas Patribus tantùm *virtualiter*. Hinc c. 9. conati sumus ex Patribus opinionem nostram comprobare. Curavimus etiam ex principiis naturalibus id facere secuti in hac ipsa quæstione D. Augustinum, qui usus est hoc argumento naturali: Nemo potest renasci, nisi sit natus ex utero; sed infans in utero non est natus ex utero; ergo infans in utero renasci non potest. Certè primam propositionem argumenti sola ratione naturali confirmavit, ut patet num. 18. Quin, ut refelleret rationem illam opinionis contrariæ, quę Sacrę Scripturæ testimonio ostendebat infantem in utero esse natùm; ut, inquam, hoc refelleret, sola ratione naturali usus est, ut constat ex eod. num. 18. Nec absurdum est Conclusiones Theologicas aliquando etiam ratione naturali confirmari; hoc enim aliquando est etiam necessarium. Hæc veritas: Mittendi sunt Ministri Evangelici ad baptizandos Antipodas, nunquam demonstrabimus, nisi etiam ad rationes naturales confugiamus.

205. Dicebat Glossa in c. *ego solis* 9. dist. V. *quantalibet* veritatem à quocumque dictam præferendam esse; & Augustinus in d.c.& in c. *Nec quorumlibet* personas dicentes non considerabat, sed dictum. Et in c. *quæritur* 2. q. 7. filium patri præferebat, si ille veritatem testificabatur. Ergo in re nostra considerandum non est, an mea probatio ex Philosophia, vel Medicina proficiscatur; sed ponderandum est ipsum argumentum, an sit verum. Major pars Theologorum, ut dicebam, nostris infantibus Sacramentum negabat, quia existimabat *ablui non posse*. Si ergo ex Medicina contrarium ostendi, & ex jure Medici sunt testes idonei in re medica; jam ampliùs negari nequit in casu nostro reperiri materiam proximam Sacramenti; quamvis hæc probatio à Medicina veniat. Si autem conceditur materia proxima, cum concedatur etiam forma, & intentio Ministri, negari nequibit Sacramentum; quin ex Triden. sess. 7. de Sacram. in gen. can. 12. definitur malum ministrum, *si omnia essentialia*, *quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent*, *servaverit*, *conficere*.

Ecce argumentum pro nostra opinione confectum auctoritate Concilii.

206. Hic placet expendere duo, quæ habent Gaspar Jueninus, & Franciscus Genettus, quorum primum ad præsentem disceptationem attinet, alterum ad aliam, connexam tamen. Jueninus nihili in materia Fidei, & Morum habendos esse Auctores autumat par. 1. dissert. 4. q. 8. qui nec Scriptura, nec Traditione, sed *sola humana ratione, & auctoritate Recentiorum sua Placita* confirmant. Ita etiam loquitur Genettus.. Sed rarò videbis hosce Auctores legem hanc suam tam severam sequi. Sępè equidem unum, vel alterum Patrem in medium producunt. At hoc est probare per argumentum certissimum *Traditionis*? Numquid in uno, vel altero Patre conservatur *Traditio*? Tridentinum ad *Traditionem* unanimem Patrum consensum postulat sess. 4. Decret. de edit. & usu sacr. libr.

207. Idem Jueninus par. 8. dissert. 2. q. 6. c. 2. probat nostros infantes baptizari non posse, & quia ablui nequeunt, & quia, cum non sint nati, nequeunt renasci ex D. August. Epist. 57. ad Dardanum. Genettus tom. 3. tract. 2. c. 2. q. 11. baptizari posse pariter negat, & ad hoc probandum sola auctoritate D. Isidori utitur relati in c. *qui in maternis* de consecr. dist. 4. Hæc probatio nititurne certissimo argumento Traditionis? Auctoritas solius D. Augustini, vel solius D. Isidori, vel utriusque, quę quamvis ingens, & gravissima, non tamen facit rem certam, potuit tam vehementer animum Juenini, & Genetti movere, viros tam desiderantes animarum salutem, ut potuerint sinere nostros infantes ęternùm perire, si talis opinio non esset vera?

208. Tractant pariter quęstionem illam, an, cum infans nasci nequit; unde vel ipse, vel mater vita periclitatur, liceat matris ventrem incidere, ut infans baptizetur. Hanc periculosissimam, gravissimamque quęstionem ita breviter dirimunt. Primus q. 2. Alter q. 12. *Respondetur negativè. Ita D. Thomas 3. par. q. 68. art. 11. ad 3. dicendum, quod non sunt facienda mala, ut veniant bona; & ideò non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum*. Hoc est totum argumentum Traditionis, quod hi Doctores habent, qui nos cogunt ad dirimendas quęstiones vel *Scriptura Sacra*, vel *Traditione*.

209. Auctoritatem D. Thomæ esse certam in Philosophicis practicis nemo dicet. Hinc nequeo ob solam auctoritatem S. D. credere incisionem ventris materni esse occisionem matris. Hæc est materia *Medica*. Ergo Medicos solos consulere debemus. In meo opere c. 41. num. 77. attuli Scipionem Mercurium, & Fran-

Franciscum Rousset Medicos, Georgium Gobat, & Theophilum Raynaudo Theologos tuentes hanc incisionem non esse occisionem matris. Hisce addo ex Medicis, & Chirurgis Andream Laurentii Anat. l. 8. q. 32. Stephanum Blancardi tom. 2. instit. Chirurg. par. 1. c. 22. Gaspar. Bahum. in append. de partu Cæsar. Mauritium Cordæum com. ad lib. 1. Hippocr. de morb. mulier. tex. 12. Jacob. Duval. de Hermaphrod. & partub. c. 24. Veichar. de morb. mulier. c. 50. Jo: Scherich. lib. 4. Observ. medic. Roder. à Castro lib. 4. de morb. mulier. c. 3. Mizal. Centur. 1. memor. Aphor. 100. Francisc. Ranchin. lib. 7. qq. Chirurg. q. 14. Sennerti lib. 4. Medic. pract. par. 2. sec. 6. c. 8. cas. 3. Hos citat, & sequitur Pasqualigus in Theor. & Prax. morient. q. 56. qui multis probat hanc incisionem non esse matri mortiferam. Hinc patet auctoritatem D. Thomæ non facere rem certam. Ergo Jueninus, & Genettus non debebant sola auctoritate Doctoris Angelici negare esse faciendam hujusmodi matris incisionem; ex hac enim negatione sequitur certa damnatio æterna illorum infantium. Ego in d. meo Opere c. 41. num. 78. judicabam *certò* esse licitam hujusmodi opinionem. Nunc re maturiùs considerata solùm probabiliorem judico.

CAPUT XII.

Nova objecta diluuntur. Quæritur insuper, Utrum conducibilius sit Adversarios ipso facto uti nostra benigna opinione.

210. CUm audiverim nonnulla mihi objici, quibus oppugnari videtur mea opinio, operæ prætium postulat, ut, quamvis sint levissimi momenti, ea referam, & refellam. Inter reliquos Amicus ille meus, de quo supra, primas obtinere voluit; hinc pluries in suis prælectionibus sententiam nostram insectari conatus est. Afferam, & rejiciam ea, quæ audivit, & fideliter exscripsit quidam, qui uni ex dictis prelectionibus presens fuit anno 1713. mense Januario.

211. Primò protulit canonem, *qui in maternis*, & subjecit ab ipso opinionem meæ contrariam *determinari*, & ea ratione probari, quia, qui natus non est, renasci non potest. Postea Concilium Senonense anni 1516. & Mediolanense sub D. Caro-

lo celebratum retulit. Tum Rituale Romanum subdidit. Deinde Theologorum *Omnium* consensum, qui, sicut antiquitus Traditionum erat maximus Custos, ita hodie eam vim facit, ut sine maxima audacia non possit contra eum aliquid privatim sentiri. Addebat in ipso facto Ministrum se imprudenter gesturum; siquidem ignoraret an esset unus infans, vel plures; an vivus, vel mortuus; an homo, vel monstrum. Sed lepidum est, quod sequitur: Cum baptisma esset conferendum per fistulam, Sacramentum non ministraretur *natura ipsa dictante, & humano modo*, sed excogitato ab hominum ingeniis. Hoc argumentum ex fistula depromptum multùm alii meo amico placebat. De qua re specialem edidi disputationem.

212. Cęterum Lector videre potest, exceptis Conciliis Senonensi, & Mediolanensi, omnia hęc fuisse à me diluta, & dissoluta. In Conciliis Mediolanensibus celebratis sub D. Carolo sermo habetur de baptismo, de quo multa pręcipiuntur, inter reliqua pręscribitur, ne domi conferatur, sed solùm in Ecclesia. Quorsum hęc? Num tempore necessitatis Sacramentum ministrari non poterit in carcere, in plateis, in Triremibus? Si Amico hoc displiceat, faciat, ut fœmina deferatur in Ecclesiam, & ibi infans baptizetur. Omnia enim tentanda sunt, ne infans ęternùm damnetur. Concilium Senonense anni 1516 legere non potui. Legi illud celebratum anno 1528. sed nihil in ipso reperi ad propositum. Ad canonem *si in maternis* num. 155. primę editionis, num. 166. secundę, nunc verò num. 170. respondeo, quod responsum, cum illud non oppugnaverit, firmum remanet. Idem dico de Rituali Romano. Consule n. 165. primę editionis, num. 176. secundę, & num. 180. pręsentis.

213. Revera satis intelligere nequeo, qua veri specie dicere potuerit *Omnium Theologorum consensum* stare ab opinione contraria. Profectò dicere cogor Amicum meum opusculum meum non vidisse. Nonne & Antiqui plures, & plurimi Recentiores, ut videre licet à num. 8. expressè fatentur infantem in utero baptizari posse, si possit ablui? Ergo sequuntur opinionem nostram in re ad Theologum spectante; & solùm à nobis dissentiunt in eo, quod ablutionem physicam ignorant, quæ res, ut dixi, & est in promptu, ad Theologum non pertinet, sed ad Medicum &c. ergo falsum est in præsenti disputatione Theologica Theologos omnes nobis esse contrarios; pręsertim cum stent à nobis plures Theologi Recentiores etiam in eo, quod ad Medicinam attinet, & nobis in hoc consentiant ipsi Medici. Sed nota hìc Amicum meum fateri Theologos olim fuisse Traditionis cu-

ustodes; hoc tamen elogium non tribuit nostris Recentioribus. Cur, quæso, tantam differentiam facit? Curiosum valdè est causam tantæ differentiæ cognoscere. Num quia Recentiores nostri expresè improbant Doctrinam aliquam Amici, vel Amicorum Amici?

214. In re tamen nostra Antiqui Theologi Traditionis custodes certè non fuerunt. Amicus ipse in suo Augustino Vindicato c. 1. pag. 12. exigit cum Lirinensi ad Traditionem, ut Doctores eam veritatem *uno, eodemque consensu, apertè, frequenter, perseveranter teneant, scribant, doceant*. Profectò Theologi antiqui scire non curaverunt an eorum opinio in re nostra tali consensu præcedentium Doctorum approbata fuerit. Nec verbum quidem fecerunt. Et si hanc diligentiam fecissent, oleum, & operam perdidissent; quia nulla hìc Traditio intercedit, ut evidenter ostendo num. 174. Theologi ergo antiqui, ut patet ex dictis, vel solis rationibus naturalibus opinionem suam confirmarunt. vel similibus argumentis. Ergo hìc non ut custodes Traditionis se habuerunt, sed ut meri, & puri Theologi. Sed Amicus meus nunquam mihi ostendet Ad Theologos, nempè eos, qui in Scholis methodo quadam Theologiam explanant, pertinere *Officium* res Fidei custodiendi, tuendique. Apostolus enim ad Timot. 1. c. 6. fidem Timotheo Episcopo custodiendam tradidit; non verò homini privato. Et ad Eph. c. 4. ait Deum dedisse alios *Pastores, & Doctores*, quem locum explanans D. August. Epist. 149. alias 59. c. 2. ait: *eosdem puto esse .... ut non alios Pastores, alios Doctores intelligamus ....* hoc tanquam unum aliquid duobus nominibus amplexus est *Quosdam autem Pastores & Doctores*. Ergo D. Paulus doctrinam Ecclesiæ non commendavit puris, & meris Doctoribus, sed Pastoribus Doctoribus.

215. Quod verò affirmet baptisma ministrandum esse *Modo non excogitato ab hominum ingeniis, sed dictante natura*, fateor, si prælectioni præsens fuissem, à risu me temperare non potuissem. Nonne secundùm Theologos baptisma conferri potest aspersione? Hæc verò aspersio nonne fit instrumento ab hominum ingeniis excogitato? An dicet Amicus meus baptisma hoc modo ministratum esse nullum? Alii verò meo Amico displicebat Sacramentum fistula collatum, quia risibus, & irrisionibus Sacramentum exponit. Nonne idem olim tradiderant Ludovicus Scildere, Jacobus Pignatelli, Franciscus Mauriceau, & Georgius Gobat? Cur solùm nunc hoc objicit Amicus? Si tempore necessitatis aqua lutosa Sacramentum fiat; si illa corrupta for-

forma: Ego te baptizo in nomine *Patria*, *& Filia*, *& Spiritu Sancta*, c. *retulerunt* de consecr. dist. 4. certè hæc mutatio est magis intrinseca, cum secunda sit in parte essentiæ, & prima in materia, & tamen in utroque eventu Sacramentum est ratum, & firmum, licitumque necessitatis tempore. Necessitatis tempore nonne peccator, instrumentum nempè fædissimum, ritè, & rectè Sacramentum confert? An dicet clysterem esse turpi officio dicatum? Si hoc Amicus improbat, conficiatur unus, qui baptismo solùm dicetur. Et si materia vilis displiceat, fiat unus ex argento, ex auro, & alia nobilissima materia; sic enim omne subterfugium auferetur; credo enim Amicum concessurum esse posse per tubum argenteum transire materiam remotam baptismi ad conficiendum baptismum, cum in calice argenteo fiat Sacramentum Eucharistiæ; & tubo aureo quibusdam solemnitatibus hauriat Pontifex Vinum consecratum. Quin olim consecrabatur vinum in calice ligneo, vitreo &c. c. *Vasa* de consecr. dist. 1. & hìc Patavii, dum mos erat, ut Laici Sanguinem Christi biberent, id vitrea fistula faciebant, ut refert Joannes Clericatus. V. num. 183.

216. Quia Amicus noster disputationem diligenter tractare voluit; voluit non solùm suam opinionem probare, sed etiam pauca argumenta diluere sententiæ nostræ. Audiamus, an feliciter id præstiterit. Igitur ait Infantem in utero non esse capacem Sacramenti, *quia nondum ad illud temporis momentum, quo Sacramenti fiat capax, pervenit.* Nonne D. Cyprianus, & alii Patres Aphricani contra Fidum decreverunt Deum *non accipere ætatem*, *& omnes homines esse pares*, *& æquales, quando semel à Deo facti sunt*? *omnem* omninò *hominem admittendum esse ad gratiam Christi*? Quid enim ei deest, *qui semel in utero Dei manibus formatus est*? V. num. 159. & seqq.

217. Subdit Amicus repugnare Sacramentum ex parte ministri, *qui ad tale munus non est ab Ecclesia deputatus*. At quibus argumentis id probas? Num te excipis à l. *sciant cuncti.* C. de probat. approbata à can. *sciant.* 2. q. 82. Lego in can. *diaconus* 93. dist. Laicis Christianis in extrema necessitate, etiam Hæreticis 1. q. 1. c. *quicquid* facultatem concessam esse baptismum conferendi. Quin id concedi scimus omnibus hominibus, etiam idololatris. Quid plura desideras? Quot, & quanta tibi reponere possem; nisi crederem te hoc lapsu linguæ protulisse!

218. Attuleram in secunda editione n. 144. & nunc n. 146. illud Rom. 5. *Non sicut delictum ita & donum; si enim unius de-*

licto

cto multi mortui sunt; multò magis gratia, & donum unius ho-inis Jesu Christi in plures abundavit. Respondit Amicus hæc ntelligenda esse *intensivè*, *non extensivè*. Vel si extensivè, hoc se ratione Angelorum, quibus Christus multas gratias *acci-entales* meritus est. Vide, Lector, Amicus est unus ex illis, uibus non placent probationes nisi ex Traditione, & Scriptura acra depromptæ; & ipse nulla auctoritate hanc suam explana-onem, quæ est tam contraria saluti æternæ infantium, nobis ropinat; quæque est tam parum Christo honorifica. Tum bi sermo est de gratia *justificante*, quam certè Christus Angelis on promeritus est. Ulteriùs, si dicamus delictum Adæ non nfecisse B. V. & Christum instituisse Baptismum *pro omnibus mninò hominibus*, ut utar verbis D. Cypriani, explicatio Apo-toli est plana, & secundùm sensum litteralem verborum, est onorifica Christo, atque Animæ salutifera, cur non laudabi-ur? Præterea D. Thomas 3. par. q. 68. art. 11. ad 1. & in 4. ist. 6. q. 1. art. 1. quæstiun. 1. ad 1. Concedit dictam auctori-atem Apostoli esse veram de infantibus in utero; quia videlicet Deo gratia sanctificante donari possunt. Negat autem nostris nfantibus gratiam baptismi solùm, quia non subjiciuntur *ope-ationi humanæ*, ait ipse, ergo cum modo evidens sit infantes ubjici operæ humanæ; jam D. Thomas concederet gratiam aptismi nostris infantibus.

219. At Amicus gloriabundus in me insurgebat. Si uterus sit enitus clausus, infans non est capax baptismi; & tamen crimen Adæ ipsum infecit. Ergo in plures crimen Adæ, quam Gratia Christi abundavit.

Si infans statim à nativitate à Dæmone deferretur supra montem hominibus invium; vel mater ipsum pareret in deserto, ubi nulli alii invenirentur, & mater statim moreretur. Quæro an gratia baptismi abundare possit in hujusmodi infantem, & affirmandum omninò est; Christus enim instituit Sacramentum *pro omnibus omninò hominibus etiam statim post nativitatem*, ajebat Cyprianus allatus num. 159. Reipsa autem infans ille non donatur baptismo non quia ille infans sit incapax; sed quia non adest Minister. Sic etiam nos dicimus infantem in utero ex toto clauso intrinsecè esse capacem Sacramenti, & habere quicquid ex lege Christi necessarium est; tamen reipsa non baptizatur, quia adest impedimentum extrinsecum. Sic etiam Christus instituit Sacramentum pro omnibus adultis. Cur tamen Ecclesia olim Antipodas non baptizavit? Forsitan quia olim Antipodes non haberent, quicquid ex Christi lege postulatur?

Di-

Dicebam, si casus occurreret, ut in partu secundæ non essent fractæ frangi posse digito. Amicus, cui maximè cordi est vita infantium temporalis; statim occurrit dicens ex hac fractione imminere periculum suffocationis infantis à materia fœtida uteri, à quo defendebatur infans per secundas. Tum subdit se satis intelligere non posse, quomodo aqua perveniret ad corpusculum abluendum absque eo quod sordibus immixta, quæ tempore partus eò solent confluere, illum inquinaret potiùs, quam ablueret.

220. Ex his satis intelligere licet Amicum meum hæc dicere, quia nec legit Medicos de hisce tractantes, nec meum opusculum, quod oppugnare contendit; si enim legisset, vidisset hæc esse prorsus inania. Nonne, ut demonstravi ex arte peritis, infantem ante partum plerumque secundas frangere, & tamen non propterea suffocari? Nonne docui esse frangendas secundas, quia ita docent Albucasis, & alii Medici? Num amicus Theologus magis hæc callet, quàm Medici? Nihil mirum esse debet, si satis non percipiat aquam pervenire posse ad infantem, nec à materiis fœtidis uteri infici; ideòque posse eum abluere, non inquinare. Si nunquam Medicinæ studuit, nec Chirurgiæ, nec artis peritos interrogavit, quomodo hæc intelligere poterat? Legat Caput 4. & quintum Opusculi nostri, & facillimè omnia percipiet. Inter alia videbit aliquando partum esse difficilem, quia humores uteri ex toto ante effluxerant. Ergo in illo eventu aqua ab humoribus non inficeretur. Videbit etiam aliquando infantem hærere orificio interiori vaginæ; hinc pars respiciens vaginam a nullo humore circumdatur; cum nullus humor sit in vagina, ut accidit, quando ego anno 1705. die 26. Decembris hora 22. Patavii feci, ut Obstetrix infantem baptizaret. Vide num. 49.

221. Prætereo nonnulla alia, utpotè levissima, & quàm brevissimè refello, quæ ab aliis objici audivi. Dicunt primò mortem infantium in utero fortuitò contingere, & præter naturam; non est autem instuendum Sacramentum pro eventis fortuitis. Sic etiam homini subita morte correpto nullum remedium superest ad salutem æternam consequendam, cum tempus non habeat actum contritionis efficiendi. Sic etiam, si deficiat aqua, vel solus mutus adsit, etiam tempore necessitatis, non propterea Sacramentum confici poterit. Ratio omnium est, quia Lex fertur pro Casibus, qui sæpè, & plerumque accidunt, non qui rarò l. *nam ad ea* ff. de leg. cum aliis Juribus.

Sed contra; quia, si puer in corio involueretur, si aqua ad ipsum perveniret, puer baptizaretur ex Scoto in 4. dist. 4. q. 3. c nemo id negare potest. Ergo baptisma est institutum pro uero fortuitæ morti subjecto. Dicimus ergo, si casus fortuiti in se rationes illas contineant, ob quas lex lata est, hujusmoi casus legi subjici; nam ratio est Anima legis, ut ajunt Doctores ex Can. *consuetudo* 1. dist. *Et ibi legis dispositio locum habet, ubi adest eadem causa finalis* l. *illud* ff. ad l. Aquil. l. *Si postulaverit* §. 2. ff. ad l. Jul. de adulter. & hoc præsertim de ea lege verum est, quæ Animæ favorem continent. Porrò ideò baptisma institutum fuit, ut sordes spirituales per peccatum *originale* contractę mundarentur ex Triden. sess. 5. can. 4. cum ergo hęc ratio, hęc causa tota, atque integra reperiatur in Infantibus in utero existentibus, fateamur oportet baptisma institutum etiam esse pro ipsis. Hinc D. Cyprianus relatus num. 163. ex eo quod infans recens natus haberet *originale* peccatum, argumentabatur esse baptizandum; quia adultus baptizatur, propterea quod *originali, & actuali* inficitur. Secundùm ergo D. Cyprianum hoc argumentum est legitimum: *Adultus habens* originale, & actuale *peccatum baptizatur. Ergo puer recens natus habens originale baptizandus est*. Ergo multò magis, vel saltem æquè, erit hoc argumentum legitimum. Infans recens natus habens originale peccatum baptizatur. Ergo etiam infans in utero existens habens peccatum originale baptizandus est.

222. Exempla defectus aquæ, & hominis muti non sunt ad rem; quia alii humores non continent rationem illam, ob quam Christus voluit aquam esse materiam baptismatis, & mutus nequit proferre verba formæ institutæ à Christo. Contra verò Infans in utero culpa, *originali* inficitur ad quam mundandam Christus Sacramentum instituit. Sic etiam, quia Vinum album, & nigrum, generosum, & debile, *Azymus*, & panis fermento mixtus habent eandem rationem; ideò omne vinum, & omnis panis sunt materia Eucharistiæ.

223. Falsum præterea est homini subita morte correpto nullum superesse remedium; quia in quovis temporis puncto contritio effici potest; nec enim ille æternas pœnas subit, quia nullum remedium habuerit, sed quia contritionem non habuit. E contrario in re nostra infans æternùm puniretur, quia nullum pro ipso institutum fuit Sacramentum, quod patet; nam etiamsi infans noster ablueretur, & cætera fierent, quibus infans extra uterum baptizatur, infans tamen noster per Adversarios non baptizaretur.

224. Cæ-

224. Cæterùm revera Legislator creatus casibus fortuitis lege sua non providet; quia eos non prævidet. Contra verò Legislator divinus omnia prævidet, & videt etiam casus fortuitos continere rationes illas, quas casus, qui sæpè accidunt, continent. Ergo afferri nequit ratio, cur Legislator Divinus noluerit sua lege omnibus casibus sive rarò, sive sæpè evenientibus providere.

225. Dicunt iterum opinionem nostram esse quidem probabilem, non tamen ea uti nos posse, ne Sacramentum periculo exponatur, ut nullum fiat. Bone Deus! quæ audio. Adest spes probabilis ab æterna pęna miserrimos illos infantes liberandi, & Adversarii nostri id facere recusabunt? De hac re breviter disserui num. 181.

226. Dicunt tertiò, & ad nauseam repetunt, me oppugnare D. Augustinum, & D. Thomam. Quia scilicet hosce sanctos Doctores non interpretor, ut ipsi volunt. Ipsi credunt hosce Ecclesiæ Doctores maximos stare ab ipsis, quod ego nego, & num. 101. Patrem Vivam laudo, qui nititur ostendere D. Augustinum loqui de infantibus existentibus in utero omninò clauso. Alio modo ego ipsum interpretor, & affirmo loqui de casibus extra necessitatis tempus. Addo etiam tanquam rem certam Sanctum Augustinum, si est contrarius, docuisse contrarium, non tanquam aliquid acceptum à Patribus, sed tanquam solùm aliquid probabile; & hinc id non probavit aut Scriptura, aut Patribus; sed solis rationibus ex rebus ipsis depromptis. In cap. autem 8. ostendi nefas quidem esse ab *Assertis* Patrum recedere vel semel, non verò ab aliqua opinione in casu rarissimo, & ut æternæ Animarum saluti consulamus. De hoc videnda sunt, quæ infra dicam in disp. de Auctoritate D. Augustini.

227. Quod attinet ad D. Thomam, quàm sæpissimè utor ejus auctoritatibus ad probandas meas propositiones; & quando dicit infantes in utero operæ humanæ non subjici, ipsum interpretor loqui de tempore, antequam partus instet; si enim loqueretur etiam de hujusmodi tempore, loqueretur contra omnes Medicos, dum docent modum volvendi infantem tempore partus, & ipsum, si sit mortuus, ex utero extrahendi.

228. Tandem quis mihi posset objicere cum P. Martino Orelli in suo Opusculo, in quo doctè opinionem contrariam defendit; posset, inquam, objicere, Medicos à se consultos, ut refert pag. 6. affirmare infantes in utero ablui non posse. Fas est crede-

e hujusmodi Physicos explicandos esse de tempore, antequam ıstet partus, & uterus est penitus clausus, & ita expressè lo- quitur Isbrandus Diemerbroech citatus ab ipso P. Orelli. Nostra utem quæstio est de tempore, quando infans egredi tentat, & equit; tunc enim uterus est apertus. Legantur c. 4. & c. 5. ıbi tam clarè ostenditur hæc veritas, ut sperem posthac à nemi- ıe negandam.

229. Antequam dirimam quæstionem in altera parte hujusce apitis propositam animadvertendum est Doctorem posse in ontemplatione unam opinionem sequi, in ipso facto aliam; tiam contrariam, quicquid reclament Probabilioristæ. Hoc atet in Judice, qui licèt ex privata cognitione probè sciat Pe- rum esse innocentem; debet tamen ipsum condemnare ex pro- abilissima opinione, si ex testibus reus appareat. Hoc patet n Sacerdote audiente peccatorum Confessionem, qui secun- dùm Antiquos à me citatos in Tract. de Probabil. c. 38. potest, & aliquando debet absolvere pœnitentem sequentem opinionem Opinioni Confessarii contrariam. Patet etiam in subdito, qui secundùm Antiquos à me in eod. Tract. c. 37. allatos tenetur contra propriam opinionem superiori obedire, & si nollet, à superiore cogeretur. Quin etiam num. 69. ostendi doctissimum Cordubam, celeberrimum illum moralem Scotistam, licèt alioquin Probabilioristam, hoc idem docere. Num. 80. Ob- servavi inter alia ista notatu dignissima Cordubam scripsisse: *Posse aliquem tenere opinionem aliquam, & oppositum in praxi sequi, nec hoc esse contra Conscientiam, sed secundùm eam, ex quo facio secundùm judicium, quo practice judico, id mihi licitum esse etiam contra meam speculativam opinionem facere*. Quæ con- tra objici possunt, ibidem refello, sed copiosiùs ipse Corduba in suo Quæstionario lib. 3. q. 9.

230. Nunc dicendum conducibiliùs esse Adversarios re ipsa sequi opinionem nostram, quàm suam; hinc si ipsis occurreret casus, ut mihi contigit ex num. 49. Imperent Obstetrici, ut in- fantem baptizet. Probatur. In materia baptismi, quando du- bium est, an Sacramentum sit ratum, firmum, & *validum*, si necessitas urgeat, conferendum est Sacramentum. Dubium est, an possit fieri abluendo pedem, manum &c. & communis Antiquorum opinio negat apud D. Antonin. 3. par. tit. 14. c. 13. §. 1. sicut & communis Recentiorum apud Dianam coord. tom. 1. tract. 1. resol. 76. & nihilominus Ecclesia Romana in suo Ritualı de bapt. necessitatis tempore in manu, in pede &c. pue- rum baptizat. Idem facit D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 1.

quæ-

quæstiun. 1. ad 3. Alios casus dubios sive ratione materiæ, sive formæ, sive baptizandi, vide apud eundem Dianam resol. 51. & seqq. Porrò in omnibus hisce eventis Doctores docent necessitate urgente esse Sacramentum ministrandum. Quin etiam in c. *de quibus* de bapt. statuitur, si sit ambiguum aliquos esse baptizatos esse iterum baptizandos sub conditione. Ergo etiam in re nostra, cum dubium saltem sit, an nostri infantes sint Sacramenti capaces, quo inficiari nequeunt Adversarii; debent etiam Sacramentum conferre, quin multò magis id debent. Quia infantes ex D. Cypriano allato num. 163. sunt magis digni misericordia, quam adulti.

231. Probatur iterum. Ubi periculum majus, ibi sine dubio *plenius est consulendum* ex c. *ubi periculum* de elect. in 6. Quàm grave periculum immineat nostris infantibus, si eos non baptizemus, luce meridiana est clariùs; cum ita plures æternùm certò pereant, qui, si servemus nostram opinionem, forsan salvi fierent. Ergo *pleniùs* est consulendum, conferendumque Sacramentum: Præterea ex duobus malis minus est eligendum c. *duo mala*. c. *nervi* 13. dist. ergo multò magis ex duobus est eligendum, quod nullum malum est, & relinquendum, quod malum gignere potest. Si conferamus baptisma sub conditione nostris infantibus, nullum malum est; quia sic saluti æternæ horum infantium consulitur, & per conditionem oppositam omne periculum Sacramenti vitatur. Si verò Sacramentum non conferamus, certò infelices hi humunciones æternùm damnantur. Ergo potiùs est sub conditione ministrandum Sacramentum, quàm non ministrandum; ut etiam dixi num. 181.

232. Posset quis dicere ex Genetto, qui apud Baltassarem Francolinum *de dolore ad Pœnitentiæ Sacramentum requisito* lib. 2. c. 9. num. 26. ait absolutionem à peccatis sub conditione nunquam viguisse per sexdecim sæcula; ac proinde *fuisse magna temeritate introductam*. Quod dixit Genettus de absolutione peccatorum sub conditione data, posset, inquam, quis dicere de baptismo sub conditione ministrato.

Sed contra, quia in c. *de quibus* de bapt. expresè laudatur baptisma sub conditione collatum, si ignoretur an homo sit baptizatus. Ex hoc nos regulam constituimus, quando periculum est, ne Sacramentum irritum fiat, & nullum, Sacramentum conferendum sub conditione; si enim conferimus Sacramentum

sub

sub conditione, dum dubium est, an homo sit capax baptismi; ex eo quod ignoramus, an sit baptizatus. Sic sub conditione conferendum est, si dubium est, an materia sit apta ad Sacramentum. Ergo etiam sub conditione conferendum est baptisma, si dubium est, an homo sit capax Sacramenti; quia ignoramus, an habeat omnia, quæ baptisma postulat ex lege Christi. Hoc consequens est legitimum, quia argumenta deprompta à loco similitudinis sunt probatissima, & valdè efficacia.


233. Confirmatur nostra secunda ratio. Sapientissimus P. Dominicus Viva in Explanat. propos. damnat. in illam de absolut. per litteras §. 11. sub conditione absolvit moribundum dubia doloris signa promentem, & præter plures rationes citat D. August. lib. 1. de adult. conjug. c. 26. & 28. Doctissimus etiam P. Andreas Zucherius in suis Decisionibus anni 1707. quas ex responsis frequentissimi Patavini Cleri egregiè selegit, & compilavit *in casu prudentiali* mensis Junii huic morti proximo, & dubia pœnitentiæ signa promenti peccatorum absolutionem impertit; & addit fere 40. Doctores ita sentire. Ergo idem faciendum in nostro casu; quia, si valet argumentum à baptismo ad Pœnitentiam ex c. *alma mater* de senten. excomm. in 6. *ob summam necessitatem*; licebit etiam argumentari à Pœnitentia ad baptisma *ob ejus summam necessitatem*. Imò in casu nostro multò magis id licebit; quia illi moribundi, & illi adulti fortassis actum contritionis effecerant, & certò efficere poterant; hinc forsan sine Sacramento salvi fierent. Contra in casu nostro, si baptisma eis non conferatur, infantes certò æternùm pereunt.

234. At inquiet fortasse aliquis. D. Augustinus loco citato scribit. *Non tamen damnare debemus eos, qui timidius agunt* (idest non baptizant Cathecumenos improvisò voce destitutos) *quàm nobis videtur agi oportere.* Ergo etiam nos damnare non debemus Adversarios nostros, si nostros infantes non baptizant.

Respondeo illos Cathecumenos, de quibus loquitur S. D. cum essent adulti, & conversati fuisent cum Ministris Ecclesiæ, potuerunt elicere actum contritionis, & forsan illud elicuerant; ideoque in necessitate extrema non erant. Contra verò nostri infantes in extrema necessitate morantur; unde, si non baptizantur, certò æternùm damnantur. Præterea subdit S. D. cum D. Paulo: Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Hoc sedulò ipsi cogitent, &, si possunt, æternùm certò perire sinant misertimos illos homullos. Recordentur etiam at-

tentiùs illum locum S. Leonis Papæ à me citatum num. 144. In primis providere debemus, ne, dum speciem quandam cautionis teneamus, in damnum regenerandarum incidamus Animarum.

Hæc dicta sint ad confirmandam opinionem nostram, quam spero omnibus placituram utpote in majorem Christi gloriam, & miserrimorum infantium salutem æternam redundantem. Sicut pene omnibus placet sententia de immaculata Conceptione Beatæ Virginis, quia mirificè ejusdem honorem amplificat.



DISPUTATIO SECUNDA

An metus Inferni expellere possit voluntatem Peccandi.

Quamvis Recentiores nostri diligentissimi fuerint in tractandis quæstionibus ad mores pertinentibus, ita ut meritò dicere liceat eas omnes copiosissimè pertractasse; hanc tamen pauci illustrarunt; sed de ea vel obiter loquuti sunt, vel potiùs partem affirmantem credentes veram esse nihil de ipsa disseruere. Nihilominus præ manibus habeo nonnullos, qui eam in bono lumine collocarunt, ex quibus quidam expellere affirmant, quidam inficiantur. Inter primos est Pater Claudius *Le Croix* tom. 2. Theol. moral. lib. 6. par. 2. q. 110. Pater Auctor Constitutionis Theologicè propugnatæ tom. 2. propos. 61. & 62. Pater Baltassar Francolinus de dolore Pœnit. l. 1. c. 3. num. 6. & lib. 2. c. 5. num 19. Pater Franciscus Enno Theol. Dogm. & moral. de Pœnit. disp. 4. q. 6. art. 1. PP. Salmat. disp. 7. de Pœnit. dub. 1. ad 4. arg. Inter secundos sunt Pater Natalis ab Alexandro Theol. moral. & dogm. de Pœnit. c. 4. art. 3. propos. 7. Gaspar Juenin part. 8. instit. Theol. de pœnit. dissert. 5. q. 3. c. 4. art. 2. § 1. sed omnium copiosissimè Illustrissimus Lambertus Le Drou, Episcopus Porphyriensis, in Opere de Contrit. & Attrit. dissert. 2.

2. Ad hanc verò disputationem moveor tum ab amore veritatis, tum ut opinionem negantem, quæ nimiùm severa est, rejiciam; ego enim rigidioribus opinionibus perpetuum bellum in-

ıdixi. Hac methodo utar, nimirùm priùs argumenta contra-
a in medium adducam; tum meam ſententiam cum ſuis ratio-
ibus ſubiiciam; poſtremò, ſi quæ diruenda ſupereſſent funda-
ıenta Adverſariorum opinionis, disiiciam.

3. Pater Natalis hanc ſuam ſeveram opinionem vocat *Lucu-
ntiſſimum, & præclarum D. Auguſtini Principium*, illudque va-
is D. Auguſtini, & aliorum PP. teſtimoniis ſuadere conatur.
rimo loco affert D. Auguſt. *de ſpirit. & litt* c. 8. ubi de Judæis
oquens ait: Quicumque faciebant, quod lex jubebat, non
diuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore
ıſtitiæ; *ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram
ominibus apparebat in opere, potiùſque ex illo rei tenebantur,
uòd eos noverat malle, ſi fieri poſset, impunè committere;* &
ap. 14. Mandatum, ſi fit amore pœnæ, non amore iuſtitiæ,
erviliter fit, non liberaliter; *& ideò nec fit; non enim fructus
ſt bonus, qui de radice charitatis non ſurgit.* Et cap. 19. ex hac
romiſſione, hoc eſt Dei beneficio, lex impletur, *ſine qua pro-
iiſſione prævaricatores facit* vel uſque ad effectum mali operis, ſi
tiam repagula timoris concupiſcentiæ flamma tranſcenderit; vel
ertè in voluntate, ſi timor pœnæ ſuavitatem libidinis vicerit.

4. Secundo loco affert l. 3. ad Bonif. contra duas Epiſt. Pelag.
. 4. illi (Judæi) eorum (promiſſorum terrenorum) adipiſcendo-
um amore, & amittendorum timore Dei præcepta ſervabant;
*mò non ſervabant: neque enim fides in eis per dilectionem opera-
atur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis;* ſic autem præ-
epta qui facit; *proculdubiò invitus facit;* ac per hoc in animo
ıon facit; *mavult enim omninò non facere, ſi ſecundùm ea, quæ
upit, & metuit, permittatur impunè;* ac per hoc in ipſa volun-
ate intus eſt reus, ubi ipſe, qui præcipit, inſpicit Deus.

5. Tertio loco in medium profert Epiſt. 145. aliàs 144. & ait
oc docere *diſertiſſimis verbis*. En teſtimonium: Inaniter putat
ictorem ſe eſſe peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia, &
i non impletur foris negotium malæ cupiditatis: *ipſa tamen ma-
a cupiditas intus eſt hoſtis.* Et quis coram Deo innocens inveni-
ur, qui vult fieri, quod vetatur, ſi ſubtrahas, quod timetur?
Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere, quod
ıon licet fieri; *ſed ideò non facit, quia impunè non poteſt fieri:
Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eße juſtitiam peccata prohi-
entem, atque punientem;* & utique ſi mallet non eſſe juſtitiam,
uis dubitaverit, quòd, ſi poſſet, auferret? ... *Inimicus ergo
uſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat;* amicus autem erit, ſi
jus amore non peccat; tunc enim verè timebit peccare; *nam,*

qui Gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut Gehennas odit; tantum porrò quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.

6. Quarto loco enarrationem in psal. 77. citat, ubi pariter de Judæis dicit: Ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare; *non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ;* Nam, quantum attinet ad facta, quæ forinsecus aguntur, & qui timent, & qui amant justitiam, non furantur; *ideò pares sunt manu, dispares corde. Pares opere, dispares voluntate.* Citat etiam conc. 25. in psal. 118. ad illa verba, *Confige timore tuo carnes meas*, ubi ait: Timor iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est; quia carnalis est; & ideò non crucifigit carnem; vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; cum verò creditur secutura, latenter vivit; vivit tamen; *mallet enim licere, & dolet non licere, quod lex vetat; quia non spiritualiter delectatur ejus bono; sed carnaliter malum metuit, quod minatur.* Carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potiùs, quàm vitantur, Spiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem usque ad perfectionem crescente victoria perimuntur.

7. Quinto loco Sermonem 169. aliàs 15. de verb. Apost. c. 6. allegat, & ait *insigni exemplo* suam opinionem probari. Fatetur hìc S. D. aliquem timore pœnæ non furari, non adulterari, *non concupiscere rem proximi sui;* quamquam, *qui timore pœnæ,* inquit, *non concupiscit, puto, quia concupiscit.* Terrore ingenti armorum... etiam Leo revocatur à preda; & tamen Leo venit, Leo redit. Prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia est, qua justitia tibi consulis, ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere? Quis eam non timet? Quis latro, quis sceleratus? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis, quòd latro timet leges hominum, & ideò facit latrocinium; quia sperat se fallere leges hominum; tu autem leges ejus times, ejus pœnam times, quem fallere non potes. *Nam si fallere posses, quid non fecisses?* ergo concupiscentiam tuam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus. Latratu canum, & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus; ipse tamen semper est lupus. In ovem vertatur; facit enim & hoc Dominus sed ipsa est justitia ejus,

non

non tua. Nam quandiu habes tuam, potes timere pœnam, non amare iustitiam. Hactenus S. D similia habet ſem. 179. aliàs 19. de verb. Apoſt. c. 8. quem pariter refert P. Natalis.

8. Cæteris auctoritatibus P. Natalis nihil ſubiecerat credens forſan eſſe adeò claras, ut nulla explicatione indigerent. Hiſce duabus hæc ſubjicere voluit: Ex quibus rurſus colligo hominis peccatoris voluntatem timore pœnæ non immutari: ſicut nec lupi immanis indoles timore immutatur. Ita P. Natalis. Hìc me continere non poſſum, quin exclamem. Ergo metus ſempiternæ, & acerrimæ pœnæ non habebit maiores vires, ac habeant clamores Paſtorum, & Canum latratus? Quis verò ex catholicis dixit peccatorem ex ſolo Gehennæ metu iuſtum fieri, deque lupo ovem? num omnis actus excludens voluntatem peccandi juſtum facit? Si affirmetur; ergo præparatio ad Sacramentum pœnitentiæ nos juſtos reddit, ideòque Sacramentum nunquam nos juſtificaret.

9. Affert etiam D Gregorium Magnum, l. 9. in Job. c. 22. Ego ſolùm ultima exſcribam: Reſpondere homo tot beneficiis debet; *Sed tamen reſpondere metuens non valet*; quia humani generis conditionem, qui adhuc ſerviliter formidat, procul dubio non amat. Nam tunc ſolùm Deo vera obſequia reddimus, cum eum propter amoris fiduciam non timemus: *Nam, qui à perverſitatis opere ex timore reſtringitur, perverſa libenter ageret, ſi liceret*. Addit aliam auctoritatem ex lib. 1. Moral. c. 11. ubi habet: cum verò adhuc timore bona agit, à malo penitus non receſſit; *quia eo ipſo peccat*, *quo peccare vellet*, *ſi inultè potuiſset*.. Dum metum charitas ſequitur, *ea*, *quæ metu reliquitur*, *etiam per cogitationis propoſitum culpa calcatur*.

10. Profert præterea in medium D. Iſidorum lib. 2. ſent. c. 21. dicentem: Qui ſola pœna ſupplicii in ſe vitia reprimit; quamvis non expetat opus peccati, vivit tamen in eo voluntas peccandi.. Ille ergo mercedem boni operis percipit; qui amando juſtitiam facit, *non is*, *qui eam ſolo metu pœnarum invitus cuſtodit*. Addit poſtea D. Bernardum de diligendo Deo, c. 12. dicentem ſolam charitatem avertere poſſe animam ab amore ſui, & Mundi, & in Deum dirigere; *timorem verò*, *& amorem privatum non convertere Animam*, mutare quidem interdum vultum, vel actum, *affectum nunquam*. Facit quidem nonnunquam & ſervus opus Dei; *ſed quia non ſpontè*, *in ſua adhuc duritia permanere cognoſcitur*.

11. Denique concluſionem probat, quia ex D. Ambr. l. 8. in Luc. Voluntas per metum reprimitur, non emendatur. Et certè voluntas peccandi perſeverat, quandiu mundus amatur, & cupidi-

piditas dominatur; amor autem mundi manet in corde radicatus, quandiu non diligitur Deus; *Rationabilis enim animus*, inquit, S. Leo Serm. 5. de jejun. qui sine dilectione esse non potest, *aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.* Infra subdit ex S. August. contra Adimantum Manichæum c. 17. Hæc est brevissima differentia duorum Testamentorum, Timor, & Amor. Illud ad hominem veterem, hoc ad novum pertinet.

12. Gaspar Jueninus ubi supra pro sua opinione citat aliquas ex Auctoritatibus allatis D. Aug. & affirmat in Conc. illa 25. in psal. 118. S. D. comparare temperantem se à peccato ex solo pœnæ metu cum serpentibus, qui licèt præ frigoris acerbitate torpentes palpantibus minimè noceant; veneno tamen vacui non sunt. Hoc loci hujusmodi comparationem non invenio. Sed, si alibi inveniretur, mihi multùm faveret. Nam, sicut serpens præ frigoris acerbitate nec nocere potest; ideòque à se depulit omnem actum nocendi; habet tamen in se venenum, per quod est, & dicitur serpens; ita peccator per timorem à se omnem actum peccandi depulit; Habet tamen peccatum *habituale*, per quod adhuc est, & dicitur Peccator.

13. Sed nemo ardentiùs sequitur hanc opinionem, quàm Illustrissimus Le Drou loco citato; omnem enim lapidem movet, ut eam Lectoribus persuadeat. Plurima dicta dissert. 2. affert præter ea, quæ supra retulimus. Ex conc. 11. in Psal. 118. hæc exscripsit c. 3. David sibi à Deo petere legem poni, quæ Filiis Liberæ in corde datur, quam sciunt intelligendo, faciunt diligendo in latitudine amoris, non in timoris angustiis; nam, qui timore pœnæ, non amore justitiæ, opus legis facit, *profectò invitus facit*; quod autem invitus facit, *si posset fieri, mallet utique non juberi*; ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus; *sed potiùs inimicus*.

14. In cap. 4. Notat ex D. August. lib. 21. de civit. Dei c. 16. Vitia veraciter non superari, nisi veræ delectatione justitiæ; & ex lib. 2. contra Adversf. legis c. 7. habetur: Prohibitio peccati, quod est lex, auget profectò desiderium peccandi, quod non extinguitur nisi contrario desiderio faciendi rectè, ubi fides per dilectionem operatur. Hoc idem ait S. D. *de Spiritu, & litt.* c. 7. quem locum Auctor affert cap. 9.

15. In cap. 5. decem argumenta conficit ex totidem auctoritatibus D. August. Ego solùm sex subiiciam; cætera enim supra memoravimus. Primum est, quia in serm. 7. de temp. ait: Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei. P. P.

Be-

Benedictini novi editores D. August. hunc Sermonem esse S. D. negant. Secundum est ex enarr. in psal. 77. num. 10. ubi dicit cor rectum esse sine Deo non posse, ut incipiant homines non tanquam servi sub lege ambulare metuentes; sed in Lege tanquam filii volentes, *in qua illi ambulare noluerunt; & sub illa Rei remanserunt*; hanc enim voluntatem non timor, sed charitas habet: Infra num. 21. ait *Rectum cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum*; hinc num. 20. dixerat Judæos non quæsivisse Deum; quia propter acquirenda bona temporalia, & vitanda mala temporalia Deum colebant; *id autem colitur, quod diligitur*. Subdo ego. Ergo christiani legem servantes ad obtinendam æternam beatitudinem; & fugienda sempiterna supplicia sine comparatione perfectius legem Divinam non servabunt, quàm Judæi? ergo nos amantes Deum, quia in lege nova nobis spiritualia bona promisit, non colemus Deum? ergo malè Le Drou verba dicta de Judæis Christianis applicat.

16. Tertium conficit ex *l. 2. cont. duas epist. Pelag. ad Bonif. c. 9.* Hic scribit: quando timore pœnæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere; *quando mallet homo non facere, si posset impunè*. Quartum efformat ex conc. 1. in psal. 32. num. 6. ubi inquit, *Implebis* (legem) *amore, quod timore non poteras; qui enim timore non facit male, mallet facere, si liceret*... Non potest adhuc animus (implere legem) *mallet non esse, quod præcipitur, si ad faciendum amore non ducitur, sed timore coarctatur*. Hoc confirmat ex comment. in Epist. ad Galat. ubi ait Judæos per timorem non potuisse legem servare, cum *eam sola Charitas impleat*. Idem docet q. 61. inter 83. Num ex his locis malè intellectis errorem suum 61. accepit Quesnellus: *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore non ducitur?*

17. Quintum efficit ex Enchir. c. 117. ubi affirmat: Legem sine charitate diffusa in Cordibus nostris jubere quidem posse, *sed non juvare*; & insuper prævaricatorem facere. *regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei Charitas*. Subdit Le Drou, omnis, qui solùm timet, est charitatis vacuus; ergo Carnali cupiditate flagrat. Quomodo hic à se voluntatem peccandi excludere poterit? Forsitan Quesnellus malè intelligens hunc locum D. Augustini errorem suum 45. procudit: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante necesse est, ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat*. Sicut etiam 46. *Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt*.

18. Sextum conflat ex *lib. de perfect. Justit.* c. 10. Hic ait: præ-

cepta animo, & voluntate non perfici, quando gravia sunt; Legem verò esse gravem timenti, non amanti; hinc *lib. de nat. & grat.* c. 69. dicebat; *omnia sunt facilia charitati*. Aut enim quisque non diligit; & ideò grave est; aut diligit, & grave esse non potest... Quomodo ergo dicitur: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras; nisi quia utrumque verum est? *Duræ sunt timori, leves amori*. Ultimum argumentum conficit ex *exposit. Epist. ad Galat.* c. 5. ubi S. D. scribit: Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur, *quod nisi Charitate spirituali, quam Dominus exemplo suo docuit, & gratia donavit, fieri non potest*. Subdit Auctor voluntatem peccandi excludi non posse nisi ab eo, qui nihil temporalis commodi justitiæ præponit. Subdo ego, si per timorem Inferni aliquod temporale Justitiæ præponimus; ergo timor Inferni esset malus, qui est error damnatus ab Alex. 8. num. 15.

19. In cap. 8. D. Gregorium magnum l. 3. pastoral. curæ admonit. 14 citat, ubi scribit: *Qui propterea bonum facit, quia tromentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, ut audacter illicita committat*. Unde luce clariùs constat, quod coram Deo innocentia ammittitur, *ante cujus oculos desiderio peccatur*.

20. In cap. 9. plura loca D. Thomæ expendit. Observat. 1. 2. q. 6. art. 6. facta per metum esse mixta ex voluntario, & involuntario; & art. 7. ad 2. ait voluntatem habere repugnantiam ad id, quod per metum agit, & lect. 3. in c. 8. ad Rom. si aliquis bonum facit ex timore, non tamen benè facit; quia non facit sponte, sed coactus; hinc 2. 2. q. 19. art. 9 negat timorem servilem esse donum Spiritus Sancti, quia ex August. *de nat. & grat.* c. 57. *potest habere annexam voluntatem peccandi*, & S. D. loquitur de timore, qui est sine amore justitiæ, *quique facit esse sub lege*; hoc autem præstat, ait Le Drou, etiamsi timor servilis sit intensus. Si ita est, ergo *Baptizatus adhuc est sub Lege*, sicut Judæus, si legem non adimpleat, *aut adimpleat ex solo timore*: Hæc thesis est error 63. Quesnelli. Præterea 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2. asseverat legem veterem, quæ fuit lex timoris, cohibuisse manum, *non animum*; quia, qui timore pęnæ ab aliquo peccato abstinet, *non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet à peccato; & propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere*. Præterea q. 98. Suppl. art. 2. ad 2. notat Damnatos pęnitere peccatorum sine aliqua *aversione* voluntatis; *quia non hoc refugiunt in peccatis, quod appetiverunt*. Sed aliquid aliud, scilicet pęnam; hinc 3. par. q. 86. art. 1. ait, Damnatis non displicere peccatum,

quia

quia culpa eſt: ſed ſolam pęnam. Subdit Auctor: Non excluditur voluntas peccandi, niſi avertamur ab eo, quod appetivimus; cum ergo per D. Thomam per metum pęnæ non avertamur ab eo, quod appetivimus; jam per metum non excluditur voluntas peccandi.

21. Ulteriùs ex D. Thoma 3. par. q. 85. art. 2. ad 1. diſplicentia peccati proximè pertinet ad Charitatem, ſicut & odium culpæ, & vitiorum ex art. 3. ad 4. Deteſtatio pariter peccati ad charitatem pertinet 1. 2. q. 113. art. 5. cum verò, ut excludatur voluntas peccandi, exigatur diſplicentia, odium, & deteſtatio peccati; jam ſola charitas voluntatem peccandi excludet, non autem timor pęnę; preſertim cum hujuſmodi timor ex D. Thom. lect. 3. in cap. 8. Epiſt. Rom. non refugiat malum culpæ, *ſed ſolùm pœnam*. Tandem de ratione veræ pœnitentiæ, quæ nimirum pravam voluntatem depellat, eſt, ut voluntas hominis immutetur, & convertatur ad Deum, & deteſtetur peccatum; *mens autem*, ut ait lib. 4. contra Gent. c. 72. *ad Deum debitè converti non poteſt ſine charitate*, & actus, quo alicui peccatum ſecundùm ſeipſum diſplicet, *eſt motus charitatis* 3. par. q. 85. art. 5.

22. In cap. 10. affert quatuor cauſas, propter quas ait timorem Gehennæ non eſſe ſufficientem ad excludendam voluntatem peccandi. Prima eſt, quia peccator, antequam habeat metum, habebat affectum in ipſum peccatum, qui affectus adhuc remanet adveniente metu. Noſtra quæſtio eſt, an metus inferni excludat voluntatem pravam antè exiſtentem. Le Drou dicit perſeverare adveniente metu; Ergo dicit eſſe verum, quod in quæſtione verſatur. Sed hìc obtrudit exemplum mercatoris, qui invitè merces projicit, & commune Philoſophorum proloquium dicentium, quæ fiunt ex metu eſſe aliquo modo *involuntaria*. Ergo, qui ex metu aliquid facit, ſimul habet voluntatem idem non faciendi, ſi metus non immineret; ergo ob metum deſerens peccatum habet voluntatem pravam illud committendi, ſi metus non deterreret. Si autem metuens peccat, non ſolùm non excludit voluntatem peccandi, imò illam includit. Hoc idem omninò ſequitur ex eo, quòd, quæ fiunt ex metu, ſunt partim voluntaria, partim invita.

23. Idem oſtendit ex D. Auguſtino dicente de Nat. & grat. c. 57. quæ fiunt ex metu non habere delectationem, ſed tormentum. Et conc. 26. in pſal. 118. præcepta veteris legis *non fuiſſe opera volentium, ſed invitorum*. Et ex D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. dicitur metum movere ab extrinſeco; timor enim facit ſervos ex Auguſt. l. 3. contra duas epiſt. Pelag. c. 4. ſervus

verò

verò operatur non à seipso motus, sed quasi ab extrinseco. Ergo metuens non operatur ex corde, id est; à seipso, sed ab extrinseco; ideòque cor non movetur à metu. Ergo cor in metuente idem est, atque ante erat; ante autem habebat actum peccati, & voluntatem peccandi. V. num. 68.

24. Secunda causa est, quia, quod ex metu agitur, non expetitur gratia sui, & in se consideratum; ergo penitentia ex metu non est displicentia de peccato in se considerato, & secundùm illam rationem, quæ placuit, quæque peccatori voluptuosa fuit. Ergo cum metu perseverat oblectatio de peccato; ideòque metus voluntatem peccandi non excludit. Hinc S. August. serm. 7. de tempore docet tunc nos benè ingemiscere ad Deum, quando sic peccati pœnitet, ut amarum sapiat, quod ante dulce fuit in vita. Et epist. 145. aliàs 144. Qui Gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut Gehennas odit.

25. Tertia causa est, quia per Theologos peccatum amicitiam Dei contemnit. Ergo peccatum retractare non possumus, nisi velimus amicitiam Dei; per metum autem amicitiam Dei non volumus, cum metus non Deum, sed solas pœnas consideret. Præterea dicemus num. 46. ad eandem virtutem spectare prosequi unum contrarium, & alterum detestari; cum ergo ad Charitatem pertineat Deum diligere; ad charitatem etiam spectabit detestari ejus contrarium, quod est peccatum. Omitto hìc quartam causam referre, quamobrem metus Inferni excludere voluntatem peccandi nequeat; nam & ipse Le Drou eam affert ut probatam ab aliis; unde ipsi multùm fidere non videtur.

26. Antequam quæstionem dirimamus, operæ pretium me facturum existimo, si quædam tradam, quæ ad quæstionis intelligentiam maximè conducunt; est enim scitu necessarium in re nostra, quid sint Contritio, Attritio, Peccatum, quod habituale vocant, & quid & quotuplex sit timor. D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. quæstiun. 2. contritionem definit esse *dolorem, quo peccatum displicet, in quantum est offensa Dei*; quia verò, ut ait quæstiun. 1. quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet; Deus autem super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur; ideò peccatum, quod à Deo avertit, super omnia displicere debet; hinc contritio est dolor, quo peccatum, ut offensa Dei est, super omnia displicet. Attritio est dolor de peccatis vel ex turpitudine peccati ortus, vel ex Gehennæ, & penarum metu. Ita Tridentina Synodus sess. 14. c. 4. ubi attritionem etiam vocat contritionem imperfectam, & dicit

dicit Communiter ex Gehennæ, & pęnarum metu concipi. Nos in hoc Communi sensu eam accipiemus. Adversarii tamen dolorem remissum, parvum, exiguum, etiam ex amore Dei super omnia profectum, attritionem vocant.

27. Peccatum *habituale* non est id, quod exercitio plurium peccatorum gignitur; sicut Physici pro Habitu quid simile accipiunt. Est igitur ipse actus peccati physicè præteritus, *moraliter* tamen perseverans. Hinc patet etiam unicum actum peccati, physicè præteritum, *moraliter* perseverantem esse peccatum *habituale*. In quo *moraliter* hoc peccatum perseveret, copiosissimè disputant Doctores. Videatur Mastrius in 2. disp. 6. q. 9.

28. Timor est motus voluntatis ab aliquo resiliens, & in se consistens. Seu *est Fuga à malo*. Ita D. Thom. in 3. dist. 34. q. 2. art. 1. Si malum est culpæ, hic timor vocatur Filialis, seu Castus. Si malum sit pœnæ, & pœnæ temporalis, ad quam vitandam aliquando peccatum committimus, est timor humanus, seu mundanus. Si pęna sit æterna, ad quam vitandam nunquam fit peccatum; hic timor dicitur servilis. Si verò fugiamus tum malum pœnæ, tum culpæ, hic timor dicitur initialis. De his quatuor timoribus meminit Doctor Angelicus etiam 2. 2. q. 19. art. 2. Sicut D. Bonav. in 3. dist. 34. par. 2. in exposit. litt. Albertus Magnus ibidem art. 7. Richar. art. 2. q. 2. Alen. par. 3. q. 66. membr. 1. & cæteri Theologi sequuti Magistrum Sententiarum d. dist. 34. qui cap. 4. & 5. ex Cassiodoro, & D. August. eos collegerat.

29. Ex his colligere licet timorem Inferni à Doctoribus vocari servilem; ideò verò talis vocatur, quia servorum proprium est pœnas timere. Non ita verò servorum proprium est timor pęnæ, ut soli servi, non autem filii, pœnas metuere possint; nam, ut notant cum D. Thoma, & Bonav. Doctores, metus Inferni simul cum charitate esse potest; & re ipsa justi abstinere possunt à peccatis propter Infernum. Quin etiam hoc est adeò verum, ut Charitas in hac vita non inveniatur, in qua constitutus justus operari nequeat vel propter Paradisum, vel propter Infernum. Hinc Innoc. Undec. hanc thesim num. 7. impii Molinos damnavit: *Non debet Anima cogitare nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate*. Et Innoc. Duodecimus hanc primam Archiepiscopi Cameracensis proscripsit; *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Nec timor pœnarum, nec desiderium remunerationum habeat amplius in eo partem*.

30. Si veritatem liberè fateri debeo, mihi non placet pro ti-

mo-

more servili accipere metum Inferni, & pro metu Inferni metum servilem; nam ex D. Bonav. q. 2. timor servilis duo significat, habitum nimirum, quo possum timere pœnas, seu actum, quo pœnas timeo; & significat ipsum peccatum. Contra verò Timor Inferni solum unum significat, scilicet vel habitum, quo possum timere Infernum; vel actum, quo timeo Infernum. Hinc evidenter liquet timorem servilem semper indicare malum morale, peccatum nempe; è contrario autem Timor Inferni solùm vel habitum, vel actum significat, qui ex thesi 14. damnata ab Alex. VIII. est supernaturalis; ac proindè bonus in genere moris. Explico exemplo. Pro eodem accipi non debet fides Divina, & Fides informis; Nam hæc significat non solùm habitum fidei supernaturalem, sed etiam *privationem* gratiæ sanctificantis. Illa verò solum habitum fidei supernaturalem indicat: ergo sicut hoc enunciatum: *Fides Divina est informis*, non est verum, utique hoc aliud: *Fides Divina potest esse Informis*. Ita hoc pronunciatum *Metus Inferni est servilis*, non est verum; sed hoc aliud: *Metus Inferni potest esse servilis*; quia scilicet potest esse in homine, qui sit peccator.

31. Propter hæc rejicio comparationem illam Adversariorum Timoris Inferni cum Fide informi. Nonne Timor Inferni est supernaturalis, & bonum morale, ut Catholici ajunt? quomodo ergo comparatur cum Fide informi, quæ peccatum mortale involvit? Hìc exclamaret D Paulus 2. Cor. 6. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate: aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem Christi ad Belial? Concedo tamen timorem Inferni comparandum esse cum Fide, & quidem Divina; siquidem utrumque à Spiritu Sancto existit; & utrumque est supernaturale, & utrumque simul esse potest cum peccato *habituali*. *Habituali*, inquam; nam cum *actuali* externo Fides simul esse potest; non verò timor Inferni, ut etiam fatentur Adversarii; ergo timor magis repugnat cum peccato, ac Fides.

32. Hìc Adversarii, ut solent in aliis materiis, peculiaria docent; dicunt enim amorem Dei super omnia, si sit parvus, & exiguus, & dolorem de peccatis inde profectum non habere vim, extra mortis tempus, gignendi gratiam sanctificantem. Ex hoc sequitur peccatorem remissè diligentem Deum super omnia, dolentemque de peccatis adhuc esse dignum odio Dei, & pœna Inferni, & ad eum Deum non venire; cum tamen Scriptura generaliter dicat: ego diligentes me diligo Prov. c. 8. 17. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum Joan. c. 14. 21. Si quis diligit me, Sermonem meum servabit, & Pa-

ter

ter meus diliget eum, & ad eum veniemus verſ. 23. Mihi etiam videtur ſequi hujuſmodi amorem, & dolorem dici poſſe ſerviles; ideò enim Timor Inferni ſervilis dicitur, quia conjungitur cum peccato; cum ergo talis amor, & dolor conjungantur cum peccato ſaltem *habituali*: jam talis amor, & talis dolor ſerviles dicendi eſſent. Quo quid abſurdius?

33. Ut tandem quæſtionem noſtram dirimamus, dicimus Timorem Inferni poſſe adeò efficacem eſſe, ut depellat ab Anima omnem actum peccati, etiam ipſam voluntatem peccandi, quam *actualem* vocant. Dixi *actualem*, quia voluntatem peccandi *habitualem*, cum ſit ipſum peccatum *habituale*, non poteſt rejicere; cum nec depellatur à proxima præparatione ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut omnes fatemur.

34. Hæc Veritas plurimis argumentis probari poteſt. Primum ſit auctoritas D. Thomæ in 3. diſt. 40. art. 2. & ante alia pono, quia tum auctoritate, tum ratione conflatur. Quærit Sanctus Doctor, *utrum Lex Moſayca cohibeat tantùm manum, an etiam animum*. Huic quæſtioni ita reſpondet: Videtur, quòd Lex Moſayca non ſolùm manum, ſed etiam animum cohibere debeat; ejuſdem enim eſt animum ordinare ad virtutem, & cohibere à peccato. Sed Lex Moſayca ordinat animum ad virtutem, ut patet Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum &c. ergo & ipſa etiam cohibet animum à peccato. Præterea concupiſcentia in anima eſt. Sed Lex Vetus cohibet à concupiſcentia; ut patet in his duobus præceptis; ergo cohibet animum à peccato. Si dicatur, quòd non cohibeat ab omni concupiſcentia, contra: ſub his duobus præceptis, ut dictum eſt, omnis concupiſcentia prohibetur. Sed hæc duo præcepta in lege vetere edita ſunt. Ergo totaliter animum à peccato cohibebat. Si dicas, quòd hoc intelligitur quoad cæremonialia; contra; Cæremonialia enim legis non præcipiebant ab aliquo peccato abſtinere, ſed potiùs quid in figuram eſſet faciendum. Ergo non magis manum, quàm animum cohibebant. Præterea Lex Moyſis perfectior erat, quàm Lex Civilis; ſed Lex Civilis non tantùm cohibet manum, ſed etiam animum; aliàs ad virtutem non induceret, quæ principaliter in animo conſiſtit. Ergo Lex Moſayca non tantùm cohibet manum, ſed animum.

35. Sed contra. Lex Nova eſt perfectior, quàm lex vetus; ſed nihil poteſt eſſe perfectius, quam cohibitio animi, & manus: ergo in lege veteri non cohibebatur utrumque. Præterea Matt. 5. Domin. ſupra præcepta legis, quæ ad factum exterius pertinent, ſicut de homicidio, facit additionem de interiori actu peccati; ſicut

erit de ira; quod non esset, si Lex Vetus animum cohiberet. Ergo lex vetus animum non cohibebat. Præterea nihil cohibet animum, nisi gratia. Sed vetus lex gratiam non conferebat; ergo animum non cohibebat.

36. Dicendum, quòd coactio legis secundùm Philosophum in fin. Eth. ad hoc necessaria est, ut illi, qui persuasionibus ad bonum non inclinantur, per pœnas cogantur, *unde cohibitio legis se extendit, quantum pœna inflicta per legem*. Sicut autem lex vetus infirmis animis non nisi terrena promittebat; ita etiam pro peccatis temporalem pœnam infligebat: Oculum pro oculo, dentem pro dente; pœnæ autem temporales pro peccatis animi infligi non possunt, nisi quatenus in actum ex timore prorumpant; aliàs enim ab homine de eis judicari non potest; *& ideò* lex vetus manum, & non animum cohibere dicebatur; Lex autem nova æterna promittit, & comminatur in præmium, & pœnam; æterna autem pœna ab illo judice infligitur, qui est cordis scrutator. *Et ideò non solùm manum, sed etiam animum cohibet*, quod patet in hoc præcepto; *Non occides*, pro cujus transgressione lex vetus hominem occidebat; sed pro ira interiori lex nova pœnam æternam comminatur; qui enim irascitur fratri suo, reus erit Concilio Matt. 5. 22.

37. Ad primum ergo dicendum, quòd lex præceptis affirmativis, & negativis animum ordinabat ad virtutem, & à vitio retrahebat; non tamen contra transgressores hujusmodi præceptorum pœnam aliquam ordinare poterat, *secundùm quam cohibere, vel cogere dicitur*; & ideò non sequitur, quòd animum cohiberet; & per hoc patet solutio ad 2. Ad tertium dicendum quòd omnem concupiscentiam, quantum ad genus suum lex prohibebat; non tamen ab omni cohibebat per pœnas, sed solùm ab ea, quæ prorumpebat in actum. Ad quartum dicendum, quòd cæremonialia præcepta indicebant sacrificia pro certis peccatis; non autem ita pro peccatis cordis, sicut pro peccatis operis; & ita cæremonialia magis manum, quàm animum cohibebant. Ad quintum dicendum, quòd lex civilis, quamvis intendat per cohibitionem pœnarum ad virtutes inducere, non tamen cogit per pœnas animum, sed solùm manum.

38. In art. 4. quæstiun. 2. ad 3. scribit: Quòd quamvis Lex nova majora supplicia comminetur; tamen comminatio suppliciorum non est principalis inductio in legem novam, sicut erat in lege veteri; Sed magis promissio præmiorum, & commemoratio beneficiorum, quæ ad amorem incitant; *& ideò lex nova non timorem, sed amorem principalem radicem habet.*

Si

39. Si mens mea non me decipit, S. D. clarè adeò loquitur, ut neminem credam negaturum à nobis stare; hinc satis nequeo intelligere causam, quamobrem Pater Natalis, qui juramento se obstrinxit D. Thomam sequi, contrariam opinionem docuerit. Sed oro Lectores, ut notent, per D. Thomam, comminationem suppliciorum non esse causam principalem servandæ legis novæ; sed hanc causam esse amorem. Ergo Adversarii non debent absolutè negare timorem nos movere ad legem novam servandam; sed loqui cum D. Thoma, & solùm dicere *timorem hoc principaliter non præstare*, timoremque non esse causam principalem, præcipuam, præstantioremque legis novæ. Hinc idem S. D. 1. 2. q. 107. art. 1. dicebat *Principalitatem legis novæ consistere in ipsa Spirituali gratia indita cordibus; & propter hoc legem novam dici legem amoris.* Sic etiam rectè dicimus per Facultatem ridendi hominem principaliter non distingui à Bruto; non ideò tamen rectè argumentaberis ex hoc Hominem nullo modo à Bruto distingui per facultatem ridendi. Hinc patet differentiam principalem legis novæ à veteri esse amorem, minùs verò principalem esse timorem Inferni, ex quo respondetur auctoritati D. Augustini relati num. 11.

40. Notent etiam Lectores amorem, qui est causa principalis servandæ legis novæ, originem ducere *à promissione Bonorum, & commemoratione beneficiorum.* Certè Adversarii inficias non ibunt promissionem bonorum, & commemorationem beneficiorum movere ad amorem *Concupiscentiæ*, ut vocant. Concedam etiam movere ad amorem benevolentiæ; videtur tamen amorem *Concupiscentiæ* proximè, amorem verò benevolentiæ remotè gigni. Cum ergo per D. Thomam lex nova dicatur *lex amoris* ob amorem, ad quem incitant *promissio bonorum, & commemoratio beneficiorum*; jam lex nova non dicitur lex amoris ob solum amorem benevolentiæ, & charitatis, ut volunt Adversarii; sed etiam spei.

41. Nunc argumenta conficere juvat, quibus Doctor Angelicus suam sententiam probat, ut videamus, an sint revera fortia, & gravia. En primum. Potentiæ, quæ pœnis puniuntur, pœnis cohibentur. Sed animus in lege nova pœnis punitur, non in veteri; hinc ira interior in lege nova Gehenna plectitur, in lege autem veteri nulla pœna castigatur: ergo animus in lege nova, non in veteri, cohibetur. En alterum: Ideò lex vetus manum, & non animum cohibere dicebatur; quia lex vetus pœnas temporales infligebat, quæ pro peccatis animi irrogari non possunt, cum infligantur hominum ministerio,

qui

qui de animo judicium ferre non possunt. Contra verò Lex nova pęnas sempiternas minatur, & minatur irrogandas per illum Judicem, qui scrutator est cordis, quique cor iis sempiternis suppliciis certissimè addicet. Ergo lex nova non solùm manum, ut lex vetus faciebat, sed etiam animum pęnis cohibet. En tertium. Lex vetus vetabat quidem prava desideria, & turpes oblectationes; nullis autem pœnis afficiebat incidentes in hujusmodi pravos actus; utique verò lex nova; cohibere autem est per pęnas ad aliquid cogere. Ergò lex quidem nova, non verò vetus, prava desideria, delectationesque perversas cohibet. En quartum: Legislator ideò leges pęnales condit, ut ii, qui persuasionibus ad legem servandam adduci nequeunt, pœnis cogantur. Sed Deus in incurrentes in prava desideria, & delectationes turpes statuit legem æterna supplicia infligentem; ergo ideò hoc fecit, ut, qui amore ad hujusmodi legem servandam adduci non possunt, saltem timore cogantur. En quintum: quantum pęna extenditur, tantùm extenditur & *Cohibitio*. Sed in lege nova, non veteri, pęna extenditur ad cor, & peccata interna: Ergo in lege nova, non veteri, cohibentur cor, & peccata interna.

42. Ex his intelligere licet, quantum errent Adversarii, & à D. Thoma dissentiant, cum eò quod lex vetus animum, ejusque actus non cohibeat, idem de lege nova dicendum putent. Scilicet metus gravissimus pęnæ sempiternæ solùm eos, quos metus non multùm gravis pœnæ temporalis movet, movebit. Scilicet omnipotens, & cordis scrutator, & Judex tantùm eos pœnis cogere poterit, quos infirmus Judex humanus, quique corda inspicere nequit, pęnis coercere potest. Cum ergo nulla sit comparatio inter parvissimam, & brevissimam pœnam à lege veteri irrogatam, & gravissimam, æternamque pœnam à lege nova inflictam; inter omnipotentem, & omnituentem Judicem legis novæ turpia desideria, turpesque oblectationes severissimè punientem, & Judicem imbecillum legis veteris sola externa videntem, nec valdè graviter castigantem, interna verò nulla pęna plectentem; sequitur Patres dicentes Judæos ex metu pęnæ legem non servasse, nec servare valuisse, non ritè ab Adversariis citari tanquam etiam dicere velint Christianos ex metu Gehennæ legem servare non posse, ejusque præceptis obedire; hinc auctoritates D. Augustini allatæ num. 3. 4. 6. 15. 16. cum de Judæis loquantur, nihil contra nos valent.

43. Dixerit fortasse quispiam animum quidem cohiberi, ne suam actionem efficacem efficiat, qua movet membra externa,

non

ſioni tamen cohiberi, ne in prava deſideria, & pravas objectationes incidat. Sed contra; nam etiam lex vetus ab illa actione animum temperare faciebat. Præterea D. Thomas expreſsè docet legem novam per metum Gehennæ cohibere animum ab ira interiori, quod facere non poterat Lex vetus.

44. Probatur iterum ex D. Thoma 3. p. q. 86. art. 3. ubi docet aliquem pœnitere non poſſe unius peccati mortalis, quin cæterorum peniteat ex eo, quòd ad pœnitentiam pertinet deſerere peccatum, quia eſt contra Deum, *quod quidem eſt commune omnibus peccatis mortalibus; ubi autem eadem eſt ratio, & idem effectus: unde non poteſt eſse verè penitens, qui de uno peccato peniteat, & non de alio.* Nunc efformo argumentum: Ubi eadem eſt ratio penitendi alicujus peccati, quis penitere non poteſt unius peccati, quin cæterorum pœniteat. Sed in re noſtra ratio penitendi furti eſt, quia furtum nos reos facit Inferni: ergo hic verè furti penitere non poteſt, niſi etiam cæterorum peniteat, quæ nos Inferni reos efficiunt. Sed non ſolùm furtum, & cætera peccata externa, ſed etiam omnia mortalia interna nos Inferni reos faciunt. Ergo quis verè peccati externi penitere non poteſt, quin etiam internorum peniteat. Certè ſi interrogemus Petrum, cur à furto abſtineat, & de furto doleat, nihil aliud reſpondet, niſi *quia nolò ire in Infernum*. Sed omnia peccata interna, interiora, atque *interniſſima*, ſi loqui ſic licet, ſunt certa via eundi in Infernum; ergo ſi verè Petrus non vult ire in Infernum, debet abſtinere non modo à furto, ſed etiam à deſiderio, & delectatione de furto.

45. Reſpondet Le Drou diſſert. 2. c. 11. ad 9. Rationem *adæquatam*, cur metus poſſit cohibere à peccato externo, non eſſe quia per illud incurrimus in Infernum; ſed quia inſuper ad abſtinendum à peccato externo ſufficit quovis modo, & qualicumque voluntatis imperio, etiam extorto, & aliqua ex parte involuntario; *membra compeſcere*, ne ad opus externum progrediantur. Ita Syllabatim Auctor.

Sed contra, quia ad dolorem efficiendum opus non eſt, ut membra compeſcantur. Sufficit, ſi ſola voluntas moveatur: ergo quis dolere poteſt de peccato externo ob metum Inferni, poterit etiam dolere de peccatis internis ob metum Inferni. Quòd verò metus ſit unica cauſa, ideòque & *adæquata*, cur à peccato externo nos refrenemus, probatur. Ad actum voluntatis duæ cauſæ poſtulantur, altera efficiens, finalis altera. Prima eſt voluntas, altera eſt objectum: Sic cauſa efficiens amoris Dei eſt voluntas, adjuta tamen ab auxilio Divino; cauſa ve-

rò finalis est Bonitas Divina. In re nostra voluntas adjuta ab auxilio Dei est causa efficiens fugę à peccato externo; metus verò Inferni est objectum, & quidem unicum; ideòque est unica causa finalis; ac propterea est causa adęquata fugę à peccato. Mirum profectò est, ut voluntas membra compescat, ne eat in Infernum, non verò seipsam reprimat; dum ęquè ibit in Infernum, sive membra non compescat, sive seipsam non refrenet. Certè illud voluntati objicere possemus: *Medice cura te ipsum*, Luc. 4. 23.

46. Probatur tertiò nostra Conclusio ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 113. art. 5. ad 1. quem sequuntur Theologi, & ipse etiam Le Drou dissert. 2. c. 11. ad 8. & 9. Ait ergo ad eandem virtutem pertinere prosequi unum ex contrariis, & fugere ab alio; & ideò charitas & Deum diligit, & detestatur peccatum. Sed ad spem spectat velle Deum, ut sibi bonum: ergo ad ipsam quoque spectabit fugere à contrario hujusce Boni; patet autem omnia peccata esse contraria huic Bono. Ergo ad spem spectat fugere ab omni peccato; cum verò timori Inferni sint contraria omnia peccata, timor enim ex dictis est fuga Inferni; peccatum autem est via Inferni, licet esset *internissimum*. Ergo timor Inferni omnia, etiam interna, peccata fugit. Præterea, ut patet nu. 34. ex D. Thoma virtutes morales perficiunt hominem præsertim in actibus internis; datæ sunt enim hominibus, non bestiis; hinc Religio, quæ est virtus moralis, habet actus interiores, & exteriores, & primi sunt principales ex D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 7. & hæc vera sunt, etiamsi concederemus hasce virtutes non esse supernaturales per se, ut docent Scotus in 3. dist. 36. art. 3. & Scotistæ apud Mastrium in 3. disp. 7. num. 3. Ergo multò magis timor Inferni, qui est supernaturalis ex propos. 14. & 15. damnatis ab Alex. VIII. perficiet homines non solùm in actibus externis, sed etiam internis; ideòque tum manum tum cor frenabit. Ergo, quando num. 6. & alibi D. Augustinus ait, quæ fiunt ex metu non fieri ex corde, explicandus est de metu pœnæ temporalis, non æternæ; vel de metu quidem pœnæ ęternæ, sed remisso, & inefficaci, de quo num. 49.

47. Probatur quartò: Ex duobus malis minus est eligendum Can. *duo mala* Can. *nervi* 13. dist. & est axioma per seipsum evidens; minus enim malum comparatum cum majore naturam Boni induit; est autem verum non modò in genere mali, quod est malum culpæ, de quo loquuntur laudati Canones; sed est certum etiam in genere mali, quod est malum pœnæ, & opponitur bono voluptuoso, & utili; hinc, quæ acriores dolores

gi-

gignunt, magis fugienda ſunt, quam quæ remiſſiores. Quæ nos in periculum vitæ injiciunt, magis vitanda ſunt, quàm quæ ſolius membri diſcrimen afferunt. In re noſtra aut carere debemus breviſſima, parviſſimaque voluptate, quæ ex actibus internis proficiſcitur, aut Rei fieri Gehennæ, hoc eſt, pœnæ acerrimæ, & ſempiternæ. Quodnam ergo majus, acerbius, duriuſque eſt Hoc, an Illud? Nonne dementiſſimi fuere Eſau, & Lyſimachus, quorum alter Primogenituram, alter Regnum vendidit, ille pro lente, hic pro aquæ ſcypho? Ergo dementiſſima erit voluntas, ſi videns ex altera parte ſe certiſſimè ream Inferni facturam, ſi V.G. furtum deſiderabit; Carituram verò eſſe ex altera parte exiguiſſima voluptate, ſi hujuſmodi deſiderium reſpuat; potiùs furti deſiderationem, quàm deſiderii hujuſce contemptionem eligat. *Majore timore minora contemnimus*, dicebat D. Auguſt. enarr. in pſal. 68.

48. Dices ex Le Drou diſſert. 2. c. 11. ad 14. Ad rejicienda hujuſmodi prava deſideria non ſufficit quæcumque gratia; aliter Fides, & *Velleitates* bonæ ſatis eſſent, ut paulò ante notaverat ipſe Le Drou. Ergo nec ipſe timor ſufficit; nam in peccatore metuente Infernum ineſt voluntas, ſaltem *habitualis*, peccandi.

Sed contra, quia concedimus metum Inferni poſſe eſſe ſimul cum voluntate *habituali* peccandi; quia hæc eſt ipſum peccatum *habituale*, cum quo certè perſeverat metus Inferni; ſicut per omnes Recentiores etiam Adverſarios, perſeverat etiam ultima præparatio ad Sacramentum Pœnitentiæ. Quin etiam ipſi dicunt cum peccato *habituali* perſeverare amorem Dei ſuper omnia, ſi ſit parvus, & dolorem inde provenientem, ut dixi num. 32. Quamvis autem præparatio ultima ad Sacramentum voluntatem *habitualem* peccandi non depellat; non tamen benè argumentaberis non depellere voluntatem *actualem*, de quo noſtra quæſtio diſſerit. Ergo idem dicemus de Metu Inferni. Sed quæ comparatio Fidei, & *Velleitatum* cum metu Inferni? Illa reſidet in mente, & cum omni peccato, excepta infidelitate, ſimul eſſe poteſt. Hic verò in voluntate eſt, & cum omni peccato, ſaltem externo, ſimul eſſe non poteſt. Ergo majores vires habet metus Inferni ad rejicienda peccata, quàm fides. *Velleitas* ſic barbarè appellatur, eò quòd per ipſam homo non movetur ad aliquid faciendum; per metum verò, à peccando abſtinemus, & de peccatis dolemus ex Trident. ſeſſ. 6. can. 8. Ergo Metus Inferni efficaciam habet ad repellendum peccatum, non verò *Velleitas*.

49. Probatur quintò; Deus ſua infinita Bonitate ad dupli-

tem amorem movere potest voluntatem, perfectum scilicet, quo homo amat Deum super omnia, & imperfectum, quem Pater Natalis de Sacramento Pœnitentiæ c. 4. art. 3. propos. 4. inefficacem vocat. Per hunc amorem peccator impellitur ad servanda aliqua tantùm præcepta. Ergo etiam Deus ut Vindex severissimus peccatorum movere poterit voluntatem ad duplicem timorem, perfectum nempè, & imperfectum. Per primum movebimur ad timendum Deum in omnibus, in quibus timeri jubet; in iis scilicet, quæ imperat, ut fiant, vel non fiant acerbissimas, & sempiternas Inferni pœnas comminando. Sic in lege veteri timeri non valebat propter iram interiorem; propter ipsam enim nullam pœnam minitabatur. In lege nova timeri vult, quandoquidem, ut notabam cum D. Thoma, Christus Matt. 5. dixit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit Concilio.* Ergo Deus ut vindex scelerum ita timendus est, ut propter vindictam Divinam omnia scelera vitemus; cum omnia scelera æternis suppliciis puniat. Hæc consecutio est evidens; quia ideò ad amorem super omnia movet; quia longè major est quacumque bonitate; cum ergo vindicta Divina longè major sit quocumque alio malo, quod nobis accidere possit, dum omnia scelera relinquimus, debemus propter ipsam omnia scelera vitare. De timore inefficaci etiam Adversarii consentiunt, & per hunc etiam impii aliquod præceptum servare possunt. De utroque timore vide num. 55.

50. Dices ex Le Drou citato cap. 11. ad 13. si timor Gehennæ tam efficax esse potest, jam per ipsum possemus diligere Deum super omnia, & credere fide divina, quando præcepta harum virtutum urgerent. Idem possemus dicere de spe; quin etiam de amore naturali sui.

Sed contra, quia amor sui est actus naturalis; ergo solùm nos movere potest ad actus naturales, non supernaturales. Loquendo verò de spe, & metu Gehennæ dicimus posse credere, & diligere Deum menti, & voluntati imperando, ut illa per auxilium Dei credat, hæc verò amet Deum super omnia. Quod autem hic modus sufficiat ad excludendam voluntatem peccandi, quod ibidem paulò post Le Drou firmiter negat, hoc vel invitus concedet, etiamsi enim diceret Charitatem per seipsam sperare, per seipsam esse patientem, & tali pacto 1. Cor. 13. explicaret: *Charitas omnia sperat, omnia sustinet;* tamen dicere non audebit per seipsam credere; nam fides ad mentem, & cognitionem pertinet; Charitas verò ad voluntatem, & ad amorem, certum est habitum voluntatis physicè gignere non posse actus ad cognitio-

nem

nem attinentes. Sicut & certum est Charitatem voluntatem peccandi excludere V. nu. 69. Præterea D. Thom. 1. par. q. 85. art. 2. ad 1. ait: à Charitate actum dupliciter provenire, uno modo sicut ab ea elicitum. . . . Alio modo aliquis actus à Charitate procedit *quasi à Charitate imperatus*. Et sic, quia ipsa imperat omnibus virtutibus, *utpotè ordinans ad finem suum*, actus à Charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, *hoc immediatè pertinet ad Charitatem . . . Sed intentio operandi ad delectionem peccati præteriti specialem virtutem requirit sub Charitate*. Ecce evidenter Charitas quidem omnes actus virtutum imperare potest; non tamen omnes efficere, sed eget auxilio aliarum virtutum; hinc potest quidem displicentiam peccati præteriti efficere, non tamen intentionem operandi ad delendum peccatum; hic enim actus à speciali virtute pœnitentiæ proficiscitur.

51. Ex his Intelligere possumus illum actum sufficere ad depellendam voluntatem peccandi, qui imperare potest omnibus virtutibus ad efficiendos suos actus; nec esse necesse, ut per seipsum gignere possit hujusmodi actus. Cum ergo non sola Charitas, sed etiam spes, & timor Inferni imperare possint omnibus virtutibus, hoc est, ut loquar cum D. Thoma, *ordinare eas ad finem suum*, efficitur, ut non sola Charitas, sed etiam spes, sed etiam timor Inferni excludere possit voluntatem peccandi. Nonne, ut metuens Infernum obtineat suum finem, qui est fugere Infernum, debet servare totam legem?

52. Nec juvat urgere cum eodem D. Franciscum Salesium l. 2. de amore Dei c. 17. dicere neminem posse solo amore spei servare Dei mandata, & Cœlum consequi; quia est amor, *qui plus præstat affectus*, quàm effectus. Non juvat, inquam, nam Sanctus Episcopus negat solùm *nos servare Dei præcepta per solam spem*; non negat tamen nos posse per ipsam solam habere affectum, id est, voluntatem Dei mandata servandi; imò hoc videtur concedere, cum dicat *spem plus affectus servandi mandata Dei præstare, quàm effectus*. Cùm ergo voluntas Dei mandata servandi excludat voluntatem peccandi, ipso fatente Le Drou; jam spes voluntatem peccandi excludet, & idem dicendum erit de metu Inferni.

53. Probatur sextò. Quamvis odium Dei sit actus, qui fertur in Deum non propter ipsum, sed propter aliud, nimirum propter pœnas, quas Deus nobis irrogat, & amor Dei sit actus tendens in Deum propter ipsum, nihilominùs inter se repugnant, & si-

& simul esse nequeunt. Ergo etiam, etiamsi odium peccati ex metu Inferni sit actus volens in peccatum non propter ipsum, sed propter aliud, simul tamen esse non poterit cum amore, & desiderio peccandi, qui sunt actus volentes in peccatum propter ipsum, & hoc multò magis, quia odium peccati propter Infernum est supernaturale, odium verò Dei est naturale. Supernaturale autem habet validiores vires, ac naturale.

54. Dices. Diligere peccatum secundùm se, & gratia sui, illudque aversari propter aliud non repugnant inter se; hinc tempestatis tempore propter tempestatem projicit merces mercator, at eas propter se amat; hinc sibi displicet eas projicere. Ita Le Drou c. 11. pluries inculcat, & ad object. 13. addit, si affectus simplicis complacentiæ erga merces afferret periculum naufragii, non expelleretur à metu naufragii; quia metus naufragii moveret quidem voluntatem ad odium mercium non propter se, sed propter aliud. Revera hoc est præcipuum contrariæ opinionis fundamentum. Sed valdè miror, cur tam sæpè, & tàm confidenter eo utantur Adversarii. Nonne ipsi rationes naturales minimi faciunt? cur potiùs exemplum à nobis allatum, quod est de re supernaturali, non adhibent, & nobiscum non sentiunt?

Dicimus ergo, si objecta non sint inter se connexa, voluntatem posse velle unum, & aliud nolle. Ita se habent amor mercium, & projectio mercium. At si unum sit cùm alio connexum, *Ipsa ratio connexi*, dicebat Cicero lib.4. Acad c. 30. *Cum concesseris superius, cogit inferiùs concedere; si unum nolueris, aliud & nolle cogeris*. Hinc impius, cui displicent mala, quæ patitur, odio Deum habet. Cur quæso? Quia nimirùm Deus connectitur cum iis malis, quos impius fugere vult. Ergo fieri non potest, ut velimus unum connexum, & non aliud, vel nolimus unum, & aliud non nolimus, quamvis voluntas diverso modo in ipsa feratur, neque enim diversus modus in re nostra aufert rationem connexi, quæ inter eadem intercedit. Ergo malè negat Le Drou voluntatem projecturam etiam amorem mercium, si ex hoc amore naufragium proveniret.

55. Probatur septimò Conclusio nostra. Hoc enuntiatum est verissimum. *Per metum Inferni dolemus de peccatis, & à peccatis abstinemus*. Si quis dixerit, ait Synodus Tridentina sess. 6 can. 8. *Gehennæ metum*, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, *peccatum esse.. anathema sit*. D. Basilius in Ps. 33. ait *Timor salutaris est*.. Vis enarrem, qualis sit. Si quando te senseris ad aliquod cieri, & prosilire peccatum, ad mentem revoca formidabile illud, nec ulli

mor-

mortalium tolerabile Christi Judicium . . . *Hæc time, & hoc timore eruditus animum à concupiscentia ad hæc mala, velut fræno, cohibe ab ea, quæ malum est, cupiditate*. Paulò ante recitata verba scribit: *Timenti itaque non est inopia, hoc est, nihil illi ad ullam virtutem deest, qui per timorem ab omni prava affectione cohibetur*. D. Ambrosius in Psal. 118. vers. 20. ait, configat has carnes timor Domini, & judiciorum ejus, & servituti redigat. Quòd carnes istæ rejiciunt clavos Divini timoris, haud dubiè dicitur: non permanebit spiritus meus in his hominibus, quia carnes sunt: *Sicut sunt aculei timoris, quibus compungimur; ita sunt clavi timoris, quibus configimur. Qui compungitur, excitatur; qui configitur, mortificatur, ut peccato deficiat, & Deo vivat*. Hìc videre potes non solùm per timorem judiciorum Dei nos à peccato temperare, sed etiam carnes crucifigi; quod negat Le Drou malè explicans D. Augustinum allatum num. 6. & insuper duos timores esse; alterum parvum, quo compungimur, & excitamur, alterum, quo configimur, & ita configimur, *ut mortificemur, deficiamus peccato, & Deo vivamus*. Hosce timores nos docuimus num. 49.

56. Divus Aug. ser. 156. aliàs 13. de verb. Apost. c. 6. ait: Timor servus est, charitas libera est, & ut sic dicamus, timor est servus Charitatis. *Ne possideat Diabolus cor tuum*, precedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum. *Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*. Si per timorem facimus, ne Diabolus possideat cor nostrum, necesse est, ut abstineamus non solùm à peccatis, sed etiam ab omnibus peccatis. Conc. 30. in Ps. 118. ad illud *Et à verbis tuis trepidavit cor meum* dicitur: Habuerunt quidem illi (Tyranni) verba minacia, *proscribo, occido &c.* sed tua me potiùs verba terruerant. Nolite timere eos, qui occidunt corpus; sed eum timete, qui potest & corpus, & animam perdere in Gehennam. *Ab his verbis formidavit cor meum, & contempsi persecutorem, & vici Diabolum*. Possumusne vincere Diabolum, nisi peccata, & quidem omnia, fugiamus?

57. D. Thomas 2. 2. qu. 19. art. 7. ait, per timorem servilem nos discedere à peccato secundùm illud Eccles. 1. Timor Domini expellit peccatum. Et art. 2. per hunc timorem hominem *ad Deum converti, & ei inhærere*. Et q. 54. art. 2. ad 4. ait timorem Domini operari *ad vitationem cujuslibet peccati; quia, ut dicitur Prov. 15 per timorem Domini declinat omnis à malo*. Operatur autem ad vitanda omnia peccata, quia facit fugere negligentiam, & excitat ad actus rationis. D. Bonav. Opusc. de grat. Sanct. lib. 5. c. 4. ait timorem servilem præparare viam ad chari-

tatem, *& à peccato retrahere*. In 3. dist. 34. par. 2. art. 1. qu. 1, dicit: *Carnes crucifigi*, ut ait Ps. 118. non solo timore casto, *sed etiam servili*, quo timentur æterna supplicia, *& propter illorum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione*. In eadem quæstione ad 1. scribit. *Qui timet, elongatur à malo, & stat intra fines proprios, ita quòd supra se non erigitur*. Ego credo, si quis vel unum peccatum internum efficiat, hunc *non elongari à malo*, sed quàm maximè malo appropinquari, & se supra se erigere. Certè hic pro suo ultimo fine Deum non habet.

58. Illud idem generale pronunciatum clarè apparet in Scriptura Sacra, in ipsa enim dicitur *per timorem nos non peccare, declinare à malo, odisse malum, expellere peccatum, converti ad cor suum*. Hæc loca congerit Auctor Constitutionis *Unigenitus* Theologicè propugnatæ propos. 61. c. 2. Voluissem ego, ut Vir doctissimus rejecisset responsiones, quas hisce auctoritatibus dat Le Drou dissert. 2. c. 11. sicut & in Confutatione Theologica c. 21. §. 1. Dicit ergo vel Scripturam loqui de timore initiali, non servili, vel si de servili, affirmat hosce effectus à timore servili effici *subindè reprimendo voluntatem à peccato externo; subindè etiam ab interno, sed mediante charitate*. Illud Eccles. cap. 1. de servili explicatur à D. Thoma 2. 2. q. 19. art. 7. sed qua ratione dicitur timorem servilem hosce effectus præstare per charitatem, cum Scriptura toties dicat præstari à timore, & nunquam hoc generale pronunciatum contrahat? si dicimus fidem non per seipsam, sed per charitatem salutem afferre, etsi Scriptura dicat omnem credentem non periturum: credentem non judicandum esse &c. Joann. 3. hoc meritò dicimus; nam alibi Scriptura ipsa hoc apertè significat; ait enim Jacobi c. 2. fidem sine operibus mortuam esse. Si Scriptura tam sæpè simpliciter, & toties dicit timorem peccatum depellere, nec alibi innuat hoc non præstare per seipsum; cur Adversarii hoc dicunt, & non illud?

59. Idem Le Drou ad object. 5. ait illud generale enunciatum esse explicandum de peccatis externis, non internis; nam D. Augustinus laudatus num. 5. ait: *Qui Gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere*. Hæc verba Auctor imprimi fecit majoribus caracteribus, ad significandum scilicet in ipsis inesse veritatem evidentem. Si ita est. Ergo D. Augustinus majore diligentia composuit epistolam illam, in qua sunt illa verba, quàm Concilium Generale Canonem fidei confecit. Sed hic fidei Canon non est tam angustis terminis circumscribendus; nam Luterus, qui ibi damnatur, generaliter dicebat facta ex metu esse peccata, & peccatores pejores per ipsa fieri; nec specialiter de externis loque-

batur,

batur. Præterea Concilium cap.6. sess.6. ait petentes Baptisma *peccatores se esse intelligentes à Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur.* Certè hi postulantes baptisma agnoscunt se peccatores esse etiam propter peccata interna, in quæ sæpiùs, & faciliùs incurrerunt. Sciunt præterea fide Divina tum propter peccata externa, tum interna æternæ damnationis esse reos. Num ex his cognitionibus solùm propter externa, non interna utili timore concutientur? Quis non exhorreat, quis non contremiscat, ubi intellexit se magno supplicio destinatum? Hìc dicere nequeunt ad dolorem de peccatis externis sufficere voluntarium mixtum cum *involuntario*. Nam ad dolorem de peccatis externis nulla membra movenda sunt, sed sola voluntas. Ergo dolor hujusmodi est actus omninò internus. Ergo non potest esse partim invitus, partim voluntarius. Erit ergo solùm voluntarius.

60. Sed quomodo explicabimus D. Augustinum, qui videtur apertè contrarius? Facillimè. Dum per metum vitamus peccatum externum, objectum materiale hujus vitationis est ipsum peccatum externum, combustio verò est objectum formale; nam peccatum externum fugio propter combustionem. Hæc à nullo neganda sunt. Ergo D. Augustinus negare non potest nos fugere peccatum, dum Infernum timemus, sed solùm negare potest nos fugere peccatum propter ipsum. Ergo, qui *Gehennas timet, non peccare timet* propter ipsum peccatum; *sed ardere timet* propter ipsum ardere.

61. Probatur octavò nostra Conclusio ex Scriptura Sacra. Dicitur Ecclesiastici c.23. v.25. & seqq. adulterium, etiam occultum, esse fugiendum, quia scilicet illud videt Deus, & de ipso vindictam sumet. Si Deus videt prava desideria, eaque æternùm puniet, ex hoc voluntas non movebitur ad abjicienda illa prava desideria? Matth.10. v.28. ait, Christus non esse timendos, qui solùm corpus occidere possunt, non animam, esse verò timendum illum, *qui potest & Animam, & Corpus perdere in Gehennam.* Adversarii hoc apertè negant. Nam timetne Gehennam, timetne Deum, qui turpia desideria fovet, licèt non furetur, licèt non adulteretur? Verè nos timemus homines, quia omnia, quæ puniunt, fugimus, & si aliquando non fugimus, est, quia speramus nos posse Judices fallere. Contra verò, quamvis sciamus nos Deum fallere non posse, nihilominùs in prava desideria incidimus, quæ scimus castiganda esse æterno supplicio. Matt. 5. v. 28. Eodem verborum tenore Christus minatur æternam pœnam tum homicidio, tum injuriis, quæ sunt peccata ex-

terna,

terna, tum iræ; quæ est peccatum internum. Ergo, sicut ex illa lege intelligimus Christum velle, ut ob timorem Inferni illa peccata externa vitemus; ita debemus credere Christum illam legem pœnalem in peccata interna statuisse, ut homines ob pœnæ timorem à peccatis internis se temperarent.

62. Dicunt Adversarii metum esse causam effectus, qui simul est voluntarius, & *involuntarius*. Si ita est; ergo effectus timoris Inferni partim est bonus, partim malus; bonus; quia voluntariè homicidium relinquit; malus: quia hæc vitatio ex parte est invita; ideòque contrarium vult; hoc autem contrarium est velle homicidium. Hæc nostris temporibus dicere poterunt, ex Trident. & Alex. VIII. metus Inferni sit supernaturalis? Cum præterea illud dictum Adversariorum est effatum sumptum ex Philosophis, qui verè hoc prorsus asseverant; cum enim considerent solas causas naturales, hæ corpus solùm, non animam afficiunt; ideòque solùm corpus, non animam sibi obedire cogunt. Cùm verò à Theologia discamus Deum non solùm corpora, sed etiam animas sempiterno supplicio afficere, & Deum velle, ut eum ob hoc sempiternum supplicium timeamus; cur debebimus dicere Deum sibi obedire facere sola corpora, non verò Animum?

63. At inquies, non solùm Philosophi hoc effatum probant, sed etiam Theologi; quandoquidem D. Thomas 1.2. q. 6. art. 6. dicit facta ex metu partim esse voluntaria, partim *involuntaria*; & ad hoc probandum Nyssenum citat.

Sed contra; nam hìc D. Thomas personam Philosophi induit, non Theologi. Certè ipsa quæstio est philosophica. Ratio pariter ad quæstionem dirimendam adducta, sicut & auctoritas Aristotelis, sunt philosophica. Exemplum de projiciente merces in mare, quod item ibi habet, non est philosophicum? Nyssenus quoque nonnè affertur tanquam pronunciatum philosophicum dicens? ergo & ipse personam Philosophi induit. Concedimus ergo adversariis facta ex metu solùm corpora afficiente partim esse voluntaria, partim invita; hoc enim allata à D. Thoma evidenter probant. At nostra quæstio est de metu afficiente etiam Animum, & ipsi accerrimum, sempiternumque supplicium minante. Iterùm argumentum conficio. Quia causa naturalis habet vim corpora torquendi, ex hoc corpora moventur ad obediendum causæ naturali: ergo etiam, quia causa supernaturalis, & omnipotens habet vim torquendi animum pœna longè majore, ex hoc Animus moveri debet ad obediendum causæ supernaturali, & omnipotenti. Interea provoco Adversarios,

ut illud effatum philosophicum vel Scriptura, vel Traditione probent. Nonnè ipsi philosophica, & rationes naturales minimi faciunt? Cur ergo hìc tanti illa æstimant? Deberent uti potiùs illo alio effato philosophico, reipsa verissimo: Causa, quæ magis generalis est, effectum quoque magis generalem gignit, & ex hoc argumentari; ergo, si causa naturalis per metum mali non valdè gravis sibi corpora obedientia facit; Causa omnipotens per metum mali accerrimi generaliter poterit sibi omnia obedientia efficere; ideòque & corpora, & animos. Ergo facta ex metu Inferni ex toto sunt voluntaria, si actum ipsum respiciamus.

64. Dices iterum: *Qui timore non facit malè, mallet facere, si liceret*, sunt ipsa verba D. August. relata num. 16. Similia, ex eodem S. D. referuntur num. 3. 4. 5. 6. 7. 13. 19. ex D. Greg. Magno num. 9. & ex D. Isid. Hispal. num. 10. Ergo etiam per hosce Patres, quæ fiunt ex timore, partim sunt voluntaria, partim *involuntaria*. Nescio, an hisce auctoritatibus aptari possint verba D. Thomæ in 2. dist. 13. art. 3. ad 1. dicentis de Augustino: *Non intendit hoc asserere quasi fidei conveniens; Sed sicut utens his, quæ philosophiam addiscens audierat; & ideò illæ auctoritates parùm cogunt.* Cùm illud pronunciatum in re Theologica non sit evidens; mirum profectò est Patres allatos illud sine ulla probatione dixisse, & D. Augustinum tàm sæpè repetivisse. Quomodo ergo hi Patres sint explicandi, videbimus n. 70. Vide etiam num. 69. 71. & 72.

65. Urgebis. Mercator tempestatis tempore projicit merces; sed extra hoc periculum eas conservat. Ergo, si peccator hoc tempore à peccatis se temperat ob metum Inferni, si viveret eo rerum ordine, quo talis pœna peccantibus non infligeretur, peccata non fugeret, sed amaret.

Video Adversarios nostros Prophetæ officio velle fungi, dum divinare volunt, quid futurum esset illo ficto ordine rerum. Do vobis, quod probare intenditis hoc argumento prophetico. Quid tum? Nonnè Fides docet, & egregiè probaverat D. Aug. Epist. 207. aliàs 107. c. 5. nos non esse judicandos de iis, quæ faceremus, si diutiùs viveremus; sed tantùm de iis, quæ in hac vita gessimus? Ergo solùm judicandus sum de actione, qua nunc ob metum Inferni peccata devito; non verò de iis, quæ facerem, si diutiùs viverem, vel facerem in alio rerùm ordine constitutus. Verùm quæ paritas inter merces, & peccata? Num peccata, ablata vi detrudendi in Infernum, nihil mali habent; sicut merces ablata vi inferendi naufragium tempestatis tempore nihil mali præseferunt? Si fingeremus illas merces habere etiam vim nos

ini-

inimicos Regi faciendi; sicut peccata nos reddunt Dei inimicos tunc paritas revera intercederet inter merces, & peccata. Sicut ergo facta hac hypotesi non solùm tempestatis tempore merces projiceremus propter mortis periculum, sed etiam extra tale periculum, ne scilicet in odium Regis incideremus; ita dicimus in alio ordine rerum vitaremus peccata, ut odium Dei vitaremus. Num hoc negatis? Sed cur? Respondent, quia nunc non movemur ad fugiendum peccatum, quia est causa odii Dei. Num, si aliquando non moveor ad aliquid faciendum, vel omittendum à tali, vel tali ratione, nunquam ab eadem movebor? Quia nunc non moveor ad amandum Deum, illum nunquam amabo? Quia nunc moveor ad non furandum ob metum Inferni, nunquam à furto me abstinebo propter amorem Dei?

Verum Le Drou. c. 10. pag. 182. nobis objicit matrimonium factum ex gravi metu esse irritum, & inane; quia scilicet fieret parum voluntariè. Ergo facta ex metu Inferni sunt *involuntaria*; cum metus Inferni sit valdè gravis. Si discipuli Canonistarum hæc legent, obstupescent; dum videbunt Theologum comparare metum à causa libera incussum cum metu à Lege Divina allatum. Tempestate imminente concubinus timore mortis, vel Inferni matrimonio sibi copulat concubinam. Timore abscissionis membri incusso à Petro concubinus concubinæ nubit. Nonne primum Matrimonium, licèt ex majore metu initum, ratum est, & firmum, secundum verò irritum, atque infirmum?

66. Probatur nonò nostra sententia. Patres Spirituales Filios suos Spirituales illud Eccles. c. 7. v. 40. ubi dicitur, *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, docent, ut omnia peccata vitandi regulam discant. Ergo per timorem Inferni, si quis impellatur ad iram, vel ad alia peccata interna, poterit ab ira, & aliis peccatis internis se temperare.

67. Dices ex Le Drou c. 11. ad 5. posse quidem nos per timorem Inferni vitare iram *negativè tantùm, non positivè*; hoc est voluntas cessat ab *actuali* affectu erga peccatum; nihilominus adhuc illi afficitur virtute, seu habitu; si sermo sit de homine impio; & si agatur de homine justo, non repugnat ex vi metus actu, & de facto eum velle peccare. Ita syllabatim Auctor.

Sed contra. Posito objecto movente ad iram vel nullum actum efficio prorsus; & sic meram, & puram omissionem pono. Hinc Scotistæ magnas gratias Adversariis agent ex eò, quòd non solùm probant puram omissionem esse possibilem, sed reipsa sępiùs contingere dicunt. Vel actum efficio, quo nolo irasci, & ita actu *positivo* excludo actum internum iræ. Et revera nonne ira est ma-

nalum ingens, quia est causa Inferni; cur ergo voluntas non icet: nolo ire in Infernum; ideòque nolo irasci?

68. Respondebis ex Le Drou c. 10. pag. 180. Timoris proprium esse impetrare consensum voluntatis per quandam extorionem, & instar violenti, eò quòd ipsam moveat *quasi ab extrinseco* ex D. Thoma 2. 2. q. 19. art. 4.

Sed contra; nam violentum, & metus solùm conveniunt in o, quòd ambo sunt extrinseca voluntati; cæterùm violentum d differentiam metus ita agit in *passum*, ut *passum* nihil agat, ut otat cum D. Nisseno D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 6. ad 1. in metu erò Voluntas reipsa agit. Quia verò causa metus, etsi extrinsea, duplex est, ut ex dictis in promptu est, altera naturalis, & olùm pœnam, nec multùm gravem, corpori irrogans; & altea supernaturalis, & omnipotens, & sempiterno, atque acerimo supplicio Animam puniens; ideò dicimus hanc causam suernaturalem, atque omnipotentem, etsi extrinsecam, tanta lla pœna posse sibi facere obedientem Animam; sicut causa nauralis, etsi extrinseca, sua illa non multùm gravi pœna corpus ibi obedire facit.

69. Probatur ultimò ex Constit: *Unigenitus* Clementis Undec. qua damnantur 101. Theses Quesnelli. Inter hasce reperiuntur iæ tres: 61. *Timor non nisi manum cohibet; cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore non ducitur.* 62. *Qui à malo non bstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est eus coram Deo.* 63. Baptizatus est adhuc sub Lege, sicut Judæis, si legem non adimpleat, *aut adimpleat ex solo timore.* Ecce er timorem non sola manus, sed etiam cor refrænatur; per *manum* Theologi Opera externa, per *cor* Opera interna significant. Ecce non faciens malum ob timorem illud in corde suo non comnittit. Ecce Baptizatus *solo timore legem adimplet.* Quid est autem legem adimplere, nisi legem servare? Ergo Christianus Legem servare potest per solum timorem. Ex his manifestum est Le Drou dissert. 2. c. 3. pag. 141. non esse audiendum, dum aferens Epist. 145. D. August. de qua num. 5. dicit ex hac auctoitate probari omnem illum, qui solo timore à peccato abstinet, *alem esse*, hoc est, se temperare quidem à peccato externo, inus verò peccandi voluntatem retinere. *Nam hæ assertiones*, inquit ipse; *Qui pœnæ timore non peccat, inimicus justitiæ est. Inaiter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat. Qui Gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille peccare meuit, qui peccatum ipsum, sicut Gehennas odit. Tantum quisque eccatum odit, quantum Justitiam diligit, quod non poterit lege terren-

rente per Litteram. Hæ, inquam, Maximæ, quæ dictarum assertionum fundamenta sunt, militant pro omnibus, *qui solo timore à peccato retinentur*. Quàm malè explicet Auctor dicta illa D. Augustini, jam patet ex damnatione dictarum thesium. Certè, si vera diceret Le Drou, Concionatores malè facerent, si de solo timore Sermocinarentur; periculum enim esset, ne auditores peccatores solo timore corriperentur; ideòque à peccatis solùm abstinerent externis; intus verò peccarent.

70. Verùm jam tempus est, ut auctoritatibus Patrum, quas pro se afferunt Adversarii, respondeamus. Notare tamen placet cum Auctore Constit. *Unigenitus* Theol. propugnatæ propos. 62. c. 6. hasce omnes collectas olim fuisse à Lutero, à quo eas exscripsit Jansenius, & à Jansenio Adversarii. Igitur generaliter dicimus, dum Patres videntur affirmare nos per timorem Inferni à peccando non abstinere, vel solùm à peccatis externis, non internis, dicimus, inquam, esse explicandos de timore inefficaci, non efficaci, de quo num. 49. & 55. Vel cum Patre Viva in propos. 14. damn. ab Alex. VIII. num. 12. ex D. Th. 2. 2. q. 19. art. 4. dicimus eos loqui de timore, quo fugimus pœnam ut *principale malum*; quo timore solam pœnam fugere intendimus. Nos autem loquimur de timore, quo non solùm pœnam, sed etiam peccatum vitare volumus.

71. Præterea D. Augustinus etiam duplicem timorem Inferni agnovit, alterum, quem modò comparat timori adulteræ, quæ timet virum, ne veniat, ut loquitur tract. 9. in Epist. Joan. num. 6. modò Leoni, modò Latroni, & Lupo, ut videre licet. num. 7. qui ob timorem pastorum, & canum se quidem temperant à cæde, & rapina ovium; intus tamen hæc vehementer desiderant. Alterum timorem loquitur Serm. 156. aliàs 13. de verb. Apost. c. 13. ut refero num. 56. & ait servare locum venturæ Charitati; introducere Charitatem; esse causam, ne Diabolus possideat cor hominis &c. & revera nemo Catholicorum ignorat timorem Inferni esse præparationem ad Sacramentum, ut patet ex Tridentino sess. 6. c. 6. Ubi ergo D. Augustinus, & alii Patres dicunt timentem Infernum fovere in corde prava desideria, turpesque delectationes, loquuntur de habente primum timorem, hic enim ita *timet diem judicii*, *ne veniat*, ut Adultera ita *timet virum, ne veniat*. Verba D. August. loco citato. Certè hic timor non excludit, imò includit voluntatem peccandi; est enim grande scelus ponere actum, qui vel implicitè impediat, ne in nos Dominus veniat; sicut scelus est in maritum, si Uxor actum habeat, quo vel implicitè optet, ne maritus domum redeat. E

ontrariò autem, qui altero timore afficitur, implicitè vult ipſam Charitatem; cum timor ille ſit ad Charitatem præparatio. Si adultera ex timore mariti ea faceret, quæ domum maritum invitant, crederemuſne ſimul actum efficere, quem ſi maritus agnoſceret, ſtatim abiret? Noſter timens abſtinet à peccato, & dolet, & vult ſumere Sacramentum, quod Charitatem gignit. Si hæc ſeriò agat, poteritne ſimul habere voluntatem peccandi, quæ eſt neceſſarium impedimentum, ne charitas creetur?

72. Damus etiam aliud generale reſponſum, & dicimus interpretationem de Patribus factam ab Adverſariis ſenſum abſurdum facere. Dicunt timentes infernum habere voluntatem peccandi, & hoc colligunt ex D. Auguſt. allato num. 3. 4. 5. 6. 7. 13. 16. 19. Ex D. Greg. num. 9. ex D. Iſid. num. 10. & ex D. Thom. num. 20. Addunt hujuſmodi timentem facere quidem opera externa legis, non tamen interna, quia corde legem non ſervant, ut ait D. Auguſt. num. 16. & quia invitè eam ſervant, ut patet ex Auguſt. num. 4. 13. & ex D. Thom. num. 20. Quàm hæc interpretatio ſit abſurda, patet ex theſibus 61. 62. & 63. damnatis in Queſnello, de quibus num. 69. Patres explicandi ſunt vel de timore pœnæ temporalis, vel ſi æternæ, de timore inefficaci. V. num. 64.

73. Hactenus objectis Adverſariorum generaliter reſpondimus; nunc quàm breviſſimè, ſaltem multis, peculiariter reſpondeamus. Ad num. 3. dicimus illud pronunciatum, *Fructus non eſt bonus, qui de radice Charitatis non ſurgit;* Si non explicetur, nos in errorem inducere poſſe. Dicimus ergo peccatorem fructum bonum edere, ſi intuitu beatitudinis operatur, ſi Gehennam timet, & propter ipſam peccatum fugit. Vide theſes damnatas num. 10. 13. 14. 15. ab Alex. VIII. ſicut & 39. 44. 45. 46. Queſnelli. Illud ergo effatum D. Auguſt. explicatur de bono perfecto; ſicut D. Thomas 2. 2. q. 23. ait virtutes eſſe imperfectas ſine Charitate.

74. Ad exempla illa Leonis, Latronis, & Lupi patet reſponſio num. 71. Addo, cum hæc afferantur à D. Auguſt. in Concionibus, piaculumne erit, ſi dicamus S. D. uſum hìc fuiſſe figura oratoria Hyperbolis? certè ego, ſi propriè loqui velimus, non video, quæ paritas intercedat inter timorem Inferni, qui eſt actus ſupernaturalis, & timorem Leonis, Latronis; & Lupi, qui ſunt actus naturales, & ſæviſſimi.

Dum Divus Gregorius Magnus ſupra à nobis allatus num. 9. affirmat nos præſtare *vera obſequia*, & hæc ab ipſa ſola Charitate exhiberi, ſignificare non vult nos per ſolam Charitatem poſſe Deum honorare, ſolam Charitatem Deum loqui, ſolam-

lamque Charitatem facere actiones Christiano modo; hæc enim damnata sunt in Quesnello num. 53. 54. 56. Significat ergo nos per solam Charitatem posse Deo præstare obsequia perfecta; & respondentia beneficiis à Deo nobis præstitis, quæ certè à solo amore Divino profecta sunt.

75. Ad num. 11. Per timorem voluntas expellit peccatum *actuale*; quia verò remanet peccatum *habituale*; ideò D. Ambr. dicit voluntatem non emendari. Cum verò per Theologos amor Spei sit amor Dei; hinc Adversarii, qui dixerunt non esse nisi duos amores, Dei nempè, seu Charitatis; & Mundi, damnati sunt in Bajo num. 38. in Jansenistis num. 7. in Quesnello num. 44: neque hìc contrarium S. Leo affirmat; per amorem enim Dei intellexit tum amorem Charitatis, tum Spei.

76. Ad num. 14. Nomine vitii significatur peccatum *habituale*, quod per timorem non repellitur, ut certum est. Cæterum mera prohibitio peccati augere potest desiderium peccandi, non verò prohibitio conjuncta cum minatione severissimæ, ac sempiternæ pœnæ. Nonne ex Arist. laudato à D. Thoma Legislator pœnam irrogat in malefactores, ut eos à peccando absterreat? Ad num. 15. D. August. per *rectum cor* significare intendit cor gratia sanctificante decoratum, non verò cor habens bonam operationem; nos enim posse rectè operari, licèt Charitatem non habeamus, olim pluries decretum, & novissimè contra Quesnellum statutum est num. 49. 50. 53. 54. 55. 56.

77. Ad num. 17. Certè sine Spiritu Sancto, idest, sine Charitate Lex nova juvare potest, etiam magnopere; peccator enim, remanens peccator, potest credere, sperare, & alia plurima opera moralia supernaturalia efficere, potest & præparare se ad gratiam. Sicut ergo Theologi illud. 1. Cor. c. 13. *Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, dicunt explicandum esse non prodesse ad acquirendam gloriam; nihilominus affirmant opera facta sine charitate posse esse bona, etiam bonitate supernaturali.

78. Ad auctoritates D. Thomæ allatas num. 20. responsum est num. 63. Ulteriùs ad quid referre tot auctoritates S. D. in quibus obiter de re nostra loquitur, si tamen loquitur, & non afferre illam, in qua de industria tractat quæstionem nostram? Illam nos integram recitavimus num. 36. Addo. Verum est amantem Deum super omnia à malo simpliciter recedere, hoc est ex toto, & penitus; nam talis amor & peccatum *actuale*, & *habituale* repellit; Timor autem solùm *actuale*. Ad ultimum me pudet audire DD. Catholicos comparare timorem Damnatorum

cum timore viatorum de Inferno. Nonne ille est peccatum gravissimum ortum ex rabie, ex desperatione? hic verò est actus supernaturalis, & ortus ex Spiritu Sancto?

79. Ad num. 21. Per D. Thomam 3. par. q. 85. art. 5. ad 1. *Peccatum primò incipit displicere, maximè peccatori, propter supplicia*. Et ex Tridentino sess. 6. Can. 8. per timorem Inferni de peccatis dolemus. Ergo non sola Charitas peccata odit, & detestatur; sed etiam timor Inferni. Ut ergo non faciamus Concilium Tridentinum, & D. Thomam sibi ipsis mutuò esse contrarios, dicimus per Charitatem nos detestari, & odio habere peccata, & de ipsis dolere, quia sunt offensa Dei; timor verò hæc præstat, quia sunt causa Inferni. V. num. 46. Quando verò Doctor Angelicus ait timorem respicere *solam pœnam*, ne dissentiat à Tridentino, debemus dicere *solam pœnam* esse objectum formale timoris; peccata verò esse objectum *materiale*. De hoc vide num. 60. Cæterùm fatemur omnes non posse repelli voluntatem peccandi, nisi mutetur ipsa voluntas. Si voluntas peccandi consistit in actu, voluntas per actum contrarium repellere debet illam pravam voluntatem; si verò voluntas peccandi consistit in peccato *habituali*, voluntas debet illam expellere per habitum. Prima expulsio fit vel per actum Charitatis, vel timoris; Secunda verò fit per habitum Charitatis. Conversio in Deum, de qua loquitur D. Thomas l. 4. contra Gen. c. 72. est conversio *habitualis*, ut legenti clarè patebit; conversio autem *habitualis* sine Charitate haberi non potest, ut fides docet.


80. Ad num. 23. Si etiam opera Judæorum fuissent semper opera invitorum, quod tamen est falsum; cum damnetur thesis 64. Quesnelli dicentis: *Sub maledicto legis nunquam fit bonum*; quia peccatur sive faciendo malum, *sive illud non nisi ob timorem evitando*. Non ita tamen dicendum est de Christianis ob timorem Inferni legem servantibus; nam Judæi voluntate legi repugnabant, quam operibus tenebant; quia, ut toties dixi, lex vetus nullam pœnam voluntati minitabatur; Lex autem nova pœnam sempiternam voluntati irrogat.

81. Ad num. 24. dicimus timentem Gehennas, & ob id fugientem Adulterium deserere eandem delectationem, quam deserit amans Deum super omnia. Nonne ambo fugiunt adulterium? Ille quidem ob metum Inferni, hic verò ob amorem Dei; nec amans Deum deserit voluptatem propter seipsam; voluptas enim, ut talis, est objectum amoris, non fugæ; & reipsa Petrus eandem voluptatem physicam capit ab hac fœmina, quæ nunc est sua Uxor, antea verò erat sua meretrix. Igitur voluptas pec-

cati est objectum materiale fugæ tum amantis Deum, tum timentis Infernum.

82. Ad ultimum. Sicut peccator peccando solùm implicitè amicitiam Dei contemnit, ita timens Infernum, proptereaque dolens de peccato, se præparat ad amicitiam Dei; ideòque implicitè amicitiam Dei cupit; præsertim cum ex hoc timore moveatur ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, quod amicitiam Dei gignit. Denique num. 79. diximus ad quamlibet virtutem; ideòque ad quemlibet habitum, pertinere prosequi unum, & fugere alterum ex contrariis. Ergo non sola Charitas, sed etiam spes, & timor Inferni omnia peccata odio habebunt; Charitas, quia sunt offensa Dei. Spes, quia nos æterna beatitudine privant. Timor, quia æternùm ardere nos facient. Ergo idem dicendum erit de unaquaque virtute; cum hac tamen differentia; quia, cum cæteræ virtutes non versentur in omni materia morali, sed peculiari; unaquælibet virtus solùm hæc peccata fugiet, non illa, de hisque dolebit, & non de illis.

Scio in hac disputatione me nonnulla prætermisisse, quæ Le Drou in illa sua dissert. 2. affert; hoc autem feci, tum quia non sunt tanti momenti, tum quòd facilè explodi possunt per ea, quibus allata diluo.



DISPUTATIO TERTIA

An liceat peccatores statim post Confessionem absolvere.

Credo futurum, ut Confessarii Itali vehementer obstupescant, quòd hujusmodi quæstionem instituam; cum enim ferè semper ipsi peccatoribus statim à Confessione beneficium absolutionis impertiant, voluntaria prorsus quæstio nostra eis videbitur. Verùm, quamvis voluntaria, vel etiam inutilis censeretur ab iisdem, spero, postquam eam legerint, dicturos jure optimo nunc esse tractandam, ne severitas, quæ nonnullas transmontanas ragiones invasit à multis annis, nostras pariter incessat. Primùm verò plura referre placet, quæ Adversarii pro se afferunt, postea, quæ pro no-

nostra sententia afferenda sunt, in medium adducemus. Et primo loco Ritualis Alect. documenta recitabimus; utpotè longè majoris auctoritatis cæteris. Fuit hoc compositum post triginta annos, quibus Alectensem Ecclesiam rexerat, ab Illustriss. Francisco Pavillon ejusdem Urbis Episcopo. Fuit autem hujusmodi Rituale magnis laudibus approbatum à 27. Episcopis, & duobus Archiepiscopis, qui omnes Galliarum Præsules erant. Notant Illustriss. Patres Episcopos esse veros Ecclesiæ Doctores, contra quorum doctrinam nemo loqui debet, nisi in manifestos errores incurrerint, aut Ecclesia ipsorum sensa damnaverit, quod nunquam sine magna cautione facit. Præsertim verò nullus damnare debet Illustriss. Pavillon, dicunt præfati Patres, quia de ipso meritò præconium illud datum D. Aug. à Cœlest. I. P. M. usurpari potest, nimirum: *Hunc nunquam sinistræ suspicionis rumor aspersit*. Subdunt hoc Rituale continere puriores Evangelii regulas, & sanctiora decreta, quæ Canones sanxere.

2. In Indice Librorum Prohibitorum lego proscribi: *Rituel Romain du Pape Paul quint à l'usage du Diocese d'Alet avec les instructions, & les Rubriques en Francois*. In Opere, cui titulus: Sanctiss. D. N. Clem. XI. Constitutio Unigenitus Theolog. propugnata tom. 1. Romæ 1717. in c. un. de constit. exord. p. 11. dicitur Clem. IX. speciali diplomate confixisse Rituale Alectense cum instructionibus editum. Hac autem censura illud notat Pontifex. *Quòd non solùm continet nonnulla ab ipso Rituali Romano aliena, sed etiam doctrinas quasdam, & propositiones falsas, singulares, in praxi periculosas, erroneas, & consuetudini in Ecclesia communiter receptæ, atque Ecclesiasticis constitutionibus oppositas, & repugnantes, quarum usu, & lectione Christi fideles in jam damnatos errores sensim induci, ac pravis opinionibus infici possint.* Scio equidem hoc Rituale Alectense, cujus doctrinam nunc afferam, & approbatur à citatis Episcopis Gallis, non præseferre titulum Ritualis Alectensis à Pontifice condemnati. Tamen in Epistola, quàm præfigit huic Rituali, & totius Diecœsis Animarum Rectoribus mittit, ait Illustriss. Pavillon nihil sibi melius visum fuisse, quàm hasce Instructiones Rituali Romano conjungere, ut in eodem libro ipsi Animarum Rectores ea omnia legerent, quibus in exteriore Sacramentorum administratione ex Ecclesiæ Catholicæ consuetudine uti deberent. Hinc videtur hoc Rituale approbatum ab Episcopis instructiones illas continere, quæ à Pont. Max. tot, tantisque censuris notantur. Si ergo sunt eædem, quomodo tantis laudibus ab Episcopis extolluntur? Cur tali Episcopo elogium illud maximum D. Aug. attribuitur?

3. Sed jam doctrinam ejusdem Ritualis, quæ ad quæstionem nostram pertinet, in medium afferamus. De Sacr. Pœnit. §. de differ. vel negan. absol. p. 130. edit. Parisien. an. 1678. ita docet; Si peccata essent frequentia *per duos, aut tres menses differenda esset absolutio;* postea verò, si Confessarius agnosceret pœnitentem veram vitæ emendationem fecisse ex fidelitate, & ex violentia, quam sibi intulisset, concedi tunc absolutio posset; quoniam vera pœnitentiæ, & conversionis signa ostendisset. Quòd si à peccatis pœnitens solùm se temperasset, quia peccandi occasiones sibi non occurrissent, ita ut nihil ipse conatus fuisset ad avertendas hujusmodi occasiones; Exempli causa si in aliquo loco moratus fuisset, aut cum quibusdam personis, quæ peccandi libertatem ipsi non sivissent. Vel si incidisset in morbum, vel quid simile aliud contigisset, quod tales occasiones præcidisset, tunc opus esset, *faudroit*, ad longiùs tempus absolutionem differre; atque interim diligentiùs expendere, an cordis mutatio vera esset.

4. Quod si Confessarius, ait p. 120. cognosceret pœnitentem, cui absolutionem distulerat, minùs frequenter in eadem incidisse, debet in hoc eventu magna uti cautione; nam periculo obnoxia est absolutio personæ concessa, quæ se quidem corrigere cœpit, interdum tamen in idem labitur crimen; iterati enim casus in peccata lethalia, etsi non ita frequentes, satis ostendunt hanc personam non esse verè sanatam, *cette personne n'est point urayement guerie*. Sicut nemo illum dicet non esse epilepticum, qui nunc solùm semel in mense ab hujusmodi morbo corripitur, cum ante bis, vel ter qualibet hebdomada corriperetur. Et Patres quidem falsas esse pœnitentias illorum peccatorum docuerunt, qui pœnitentiæ curriculo in eadem peccata incurrebant, de quibus se accusaverant. *Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet;* Hìc reminisci oportet verba Filii Dei Joan. 8. 11. Vade, & jam amplius noli peccare. Oportet etiam eos hortando vires addere, ut majore diligentia ad acquirendam veram, & stabilem sanitatem incumbant. Si aliter cum ipsis nos in hac re haberemus, ex charitate, & prudentia Divini Spiritus secum non ageremus. Idem docet Franciscus Genettus, Illustriss. Episcop. Vasionensis, tract. 7. de pœnit. c. 7. q. 15. & addit ex Tridentino unam ex præparationibus ad absolutionem esse cessationem à peccato; hinc dici non potest illum à peccato cessasse, qui in idem peccatum cecidit; Sicut liber à febri non est, cui febris continua mutata est in quartanam. Ait tamen hanc suam doctrinam intelligendam esse de peccatis gravioribus, quæ cum plena deliberatione committuntur; non verò de iis, ad quæ quis impellitur

ex

ex impetu inconsiderato. Ita ad verbum Genettus. Non dissimilia habet Gaspar Jueninus par. 8. Instit. Theol. dissert. 5. q. 5. c. 5. art. 1.

5. Pag. 133. ait hanc doctrinam severam non esse judicandam, nec ex ipsa ullum animarum salutis periculum proficisci; quin è contrario animabus magnum salutis discrimen impendet, si nimis citò absolutio impertiatur; Cum timere possimus, ne sine fructu recipiatur; ex festina enim absolutione illud absurdum ferè sequitur, quod peccator timorem peccandi amittit. Ergo in hujusmodi ministerio nihil perdimus, sed multum acquirimus, dum hæc pericula vitamus. Et p. 134. docet Sanctos Patres judicasse meliorem viam inveniri non posse, ut peccatores ad veram suorum peccatorum cognitionem ducerentur, sicut & ad Divinam misericordiam, quàm ipsos in bonis operibus, & pœnitentiæ exercitio experiri ante absolutionem; ex hoc enim Animarum perfectior sanitas procurabatur, & periculum in priora crimina incidendi vitabatur.

6. Docet etiam Patres, quamvis viderent, ut nos, posse contingere, ut pœnitentes aliqui morerentur sine absolutione, *nihili æstimasse hujusmodi periculum*; ac propterea noluisse regulas statutas non absolvendi peccatores, nisi post longæ, ac seriæ pœnitentiæ exercitium, immutare. Hinc subdit, si quis moreretur eo tempore, quo ex præcepto Confessarii conatur operibus pœnitentiæ ad absolutionem se præparare, nos de tali pœnitente benè judicare debere, cum jam in voto Sacramentum recepisset; Sicut Cathecumeni, qui præparati ad baptismum, antequàm ipsum susciperent, moriebantur, illud in voto accepisse censebantur. Et hoc judicium de hujusmodi pœnitentibus habuit Ecclesia. Hoc confirmat auctoritate quarti Concilii Carthaginensis can. 72. & can. 2. Concilii Arelatensis dicentium pro talibus pœnitentibus esse orandum &c. Notat præterea hoc periculum esse rarissimum, *qui ne peut arriver que tres difficilement* ex eo, quod quilibet presbyter in mortis periculo absolvere potest. Sequuntur hanc doctrinam Genettus c. 12. q. 4. & allatis Conciliis addit Concilium Vasense secundum can. 2. Jueninus disser. 5. q. 6. c. 5. a. 1. probat verò, quia hic per desiderium Sacramenti invocat nomen Domini; omnis autem ex Sacra Scriptura, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Affert etiam cap. Apostolicam de presbyt. non bapt. Pater Natalis ab Alexandro l. 2. de pœnit. c. 7. a. 3. p. 2. fin. præter Concilia allata affert etiam Ep. 13. D. Cypr. Non juvat alios adversarios referre, quia in hoc sunt omninò concordes. Et revera contrarium di-

tere nequeunt; aliter reos illarum Animarum se facerent?

7. Sed videamus, quæ scripserit in re nostra Gaspar Jueninus, Magister S. T. in Seminario Parisiensi. Hæc, quæ ipse docuerit, dicere possumus magnam partem frequentissimi Cleri Parisiensis docere. Igitur par. 8. Instit. Theol. disser. 5. quæst. 6. c. 5. a. 1. docet peccantes ex consuetudine *ordinariè* non esse statim absolvendos, nisi priùs emendationem operibus probaverint. Probat ex D. Isid. l. 2. sent. c. 13. irrisor est &c. ex D. Aug. serm. 66. de tempore, ex D. Greg. 7. lib. 7. ep. 10. ex Conc. Tolet. 3. dicente. Quoniam comperimus per quasdam Ecclesias non secundùm canones, sed fædissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties à presbyteris se reconciliari postulent; ideò pro coercenda tam execranda præsumptione id à Sancto Concilio jubetur, ut secundùm formam canonum antiquorum detur pœnitentia.

8. Probat etiam ex instructionibus de Sacramento pœnitentiæ D. Caroli dicentis: Confessarios monitos volumus, ut iis, quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quamtumvis pollicentur, ac spondeant ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint; nec non iis, qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint. Probat etiam ex propos. 60. damnata ab Innoc. XI. in qua dicebatur: *Pænitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei. Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere, & proponere emendationem*. Subdit Jueninus nostros peccatores, qui ex consuetudine peccant, nullam præseferre emendationis speciem, & spem; ac propterea ex constitutione Pontificia ipsis aut neganda est, aut differenda absolutio.

9. Ad explicandam magis, ac magis suam doctrinam generalem de differenda absolutione varia dubia proponit, & dirimit, sed semper in severam partem. Docet ergo eò longiùs esse differendam absolutionem, quò peccandi consuetudo producta fuit, pensatis tamen pœnitentiæ signis, & necessitate, quæ urgere potest; hinc *ordinariè* non esse absolutione donandum, qui per annum peccandi consuetudinem habuit, nisi post aliquot tantùm hebdomadas. Subdo ego. Absolvetur saltem post mensem. Ergo peccator viginti annorum solùm absolvi poterit post annum cum dimidio: docet præterea meram cessationem à peccato non esse semper signum sufficiens contritionis; quia v. g. mulier, quæ malis artibus induxit Petrum ad nuptias, licèt in

po-

posterum uti malis artibus nequeat; tamen non dolet de mala arte præterita. Hinc Confessarius ante absolutionem peccatoris *consuetudinarii* expendere debet præter cessationem à peccato *an per orationem, sensuum mortificationem, eleemosynas, aliaque pietatis opera dolorem contritioni essentialem à Deo obtinuerit.*

10. Docet etiam absolvi non debere *ordinariè* ebriosum conjectum in carcerem, aut peregrinantem ad loca in quibus vinum emere non potest; si in illo carcere, in illis locis peccatorum veniam à Deo sæpiùs non postulet; si se cum Dei auxilio ad eorum detestationem non acuat. Quin addit concubinum, qui, ne cum concubina amplius peccet, *ipsi nubit, non esse donandum absolutione statim, ac eam in matrimonium ducere statuerit; quamvis enim illæ nuptiæ probarent hominem hunc non habere volũtatem peccandi deinceps, non probant tamen, quod eum verè præteritorum peccatorum pœniteat. Sicut*, inquit Magnus Greg. *ex eo, quod quis non scribat, non sequitur eum delere, quæ priùs scripserat.* Aliter posset hic concubinus statim absolvi, si paucis ante horis cum concubina peccasset. Igitur vir, de quo est quæstio, oportet, ut aliquo tempore, quod quidem aut longiùs, aut contractiùs esse debet ratione imminentis periculi, à peccatis temperet, ac præteritos annos in amaritudine animæ suæ recogitet, antequàm absolutio Sacramentalis ei conferatur. Ita ad verbum Jueninus.

11. Pergit; & dicit eum, qui ex consuetudine semel in hebdomada peccabat, si semel tantùm in mense in idem, vel simile peccatum incidat, non esse sufficienter præparatum ad absolutionem; quia ille non habet verum propositum deinceps non peccandi. Sicut quis non judicat castam mulierem, quæ semel in mense mœchatur; temperantem, qui semel in mense se inebriat &c. Sed hæc exempla plus probant, ac debent, ideoque nihil. Nonne certum est hanc mulierem non esse castam? Hunc hominem non esse temperantem? Ergo noster peccator certò non habet propositum deinceps non peccandi; ideòque nec in mortis periculo absolvi posset.

12. Eandem severitatem adhibet cum eo pœnitente, qui ad judicium viri prudentis multo tempore temperat quidem à peccatis, in quæ solitus erat incidere; sed incidit in aliud diversæ speciei. Probat, quia peccator peccatum detestari debet, ut est offensa Dei; ergo non est conversus, nisi omnia peccata detestetur, & nisi habeat propositum cavendi ab omnibus; sed hic peccator non habuit propositum omnia vitandi, cùm in aliud

inciderit; ergo hic peccator non est conversus; ideòque nec absolvendus.

13. Hujusmodi rigores essent utcumque ferendi; sequentes prorsus tollerandi non sunt. Art. 2. p. 510. edit. Venetæ ita scribit: Qui vel semel, & à fortiori si iteratò, in externum grave scelus lapsi sunt, v. g. Idololatriam, perjurium, homicidium, adulterium, sodomiam, aliaque libidinis monstra, (inter hæc infra numerat Fornicationem) statim absolvi non debent post confessionem, *ordinariè* loquendo, si debito tempore ad viri prudentis judicium oratione, aliisque pietatis operibus contritionem obtinere non curaverint. Probat, quia hic peccator nullum signum certum dat de sua contritione; non habet signum operum; quia concedimus ante confessionem illis non vacasse. Habet quidem verba, quibus dicit se dolere &c. sed hæc signum sufficiens conversionis non sunt: *Signum veræ conversionis* ex D. Greg. Magno l. 6. c. 15. in l. 1. Regum c. 15. *non est in ore confessionis, sed in afflictione pænitentiæ... Confessionis verba quid sunt aliud, nisi folia?* Miror quomodo Doctor Catholicus afferre hunc locum D. Gregorii potuerit, & illum non explicare, ne lectores indocti malè sentiant de Confessione Sacramentali. Hoc est certum sine confessione Sacramentum esse non posse: benè verò sine satisfactione; hinc Theologi dicunt Confessionem esse partem *essentialem* Sacramenti, satisfactionem verò *integralem*. Ergo pluris æstimanda est confessio, quàm pœnitentiæ afflictio. Suo loco explicabimus D. Greg. & evidenter nihil suffragari adversario videbimus.

14. Probat iterum, quia tum Scriptura, tum Patres docent Deum brevi tempore non esse solitum convertere lapsum in atrocia scelera. Docet Deum inertibus hominibus, & cum perseverantia non orantibus plerumque non conferre efficax auxilium, quod ad contritionem est necessarium, quodque nec omnibus datur, nec alicui debetur. Docent ministros, qui in conferenda absolutione ad ea principia non attendunt, & sibi, & lapsis nocere quàm maximè: *Si quis*, ait Cypr de lapsis, de iis agens, qui semel tantum grravi crimine se macularunt; *præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere; dans scilicet pacem nondum pænitentiæ* (ea nimirum, quæ ante absolutionem agi debet, seu per quam obtineatur conversionis donum) *perfunctis, non tantum nihil prodest, sed & obest lapsis &c.* Sed cur Jueninus non affert Scipturæ loca dicentia, quod ipse refert? Num tenemur ipsi credere? Cur solum Cyprianum affert? Num, quod

ipse

ipse dicit, necessariò cæteri dicent? Nunc scire incipimus duo pœnitentiæ genera reperiri, alterum peragendum ante Sacramentum, alterum post, si credimus Juenino. Tridentinum tamen, quod copiosè tractat de Sacramento pœnitentiæ, nihil dicit de hoc duplici genere. Quidam sociorum Adversariorum docebant: *ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præsciptio naturæ rei id ipsum quodammodò dictante*. Hunc maximum rigorem damnavit jure optimo n. 16. Alex. VIII. Jueninus, & alii socii, quibus opiniones severæ maximè cordi sunt, ut ex una parte in rigorem damnatum non incurrerent, & ex alia rigorem adeò dilectum, acceptumque à suis magistris retinerent, imaginati sibi sunt hujusmodi duplex pœnitentiæ genus, & utrumque ex jure Divino profectum, alterum, quo à Deo spiritum contritionis requisitum ad Sacramentum impetremus, alterum, ut pœnæ temporali peccatorum satisfaciamus; illud ante absolutionem peragendum, hoc post Sacramentum; hinc, cum credebamus nos ob damnationem Pontificiam ab ingenti rigore liberos, à majori rigore opprimi nos videmus.

15. Ibidem etiam docet non solùm non esse *ordinariè* statim absolvendum, qui post commissum hujusmodi grave scelus, nullaque interposita mora petit absolvi; sed nec etiam illum, qui à multis diebus lapsus est, sed præ negotiis non licuit de Deo cogitare, modò aliquibus ante confessionem horis scrutatus sit conscientiam, ac veniam à Deo poposcerit. Probat hanc severitatem hisce rationibus: Prima est, quia ex Patrum doctrina habemus Deum per aliquot tantùm horas segniter, ut mos est horum peccantium, orantibus donum contritionis non largiri. Secunda est si Deus tam citò cor flagitiosorum illorum hominum converteret, cur Scriptura doceret arctam esse viam, quæ ducit ad vitam, & paucos esse admodum; qui eam inveniant? cur Concilium Tridentinum sess. 14. c. 2. assereret secundam justificationem, quæ fit per Sacramentum Pœnitentiæ, difficiliorem esse prima, quæ fit in Baptismo? Cur tanto tempore Sancti Patres vel semel in flagitia lapsos, antequam eis absolutionem impertirentur, per opera probarunt?

16. Concedit tamen art. 1. p. 499. infirmum in periculo mortis constitutum esse statim absolvendum ex eo solùm, quia in eo periculo uti licet materia dubia; dubium est autem, an, qui petit tantùm absolutionem in morbo, habeat dolorem ad Sacramentum necessarium; hinc D. Aug. serm. 57. de temp. dicebat: Pœnitentia, quæ à morituro tantùm petitur, timeo, ne & ipsa mo-

moriatur. Art. 6. tamen dicit olim hujusmodi pœnitentibus Ecclesiam absolutionem denegasse, quod probare nititur ex D. Cypr. ad Anton. & ex Innoc. I.

17. Habeo præ manibus Librum, cui titulus: *Clericus Belga. Clericum Romanum muniens adversus notam nimii rigoris &c. par Theol. Lovan. &c.* In fine lib. Arnaldus Eyben Cathedralis Antuerpiensis Canon. & librorum censor fidem facit in hoc Opere ipsam Academiæ Lovaniensis doctrinam ad materiam conversionis peccatoris, & modi ipsam juvandi per Sacramentum Pœnitentiæ attinentem contineri. Hic ergo Clericus in toto libro conatur ostendere præparationem ad Sacramentum Pœnitentiæ esse difficilem; quia peccatoris conversio est difficilis; ac proindè *ordinariè* peccatorem non esse statim absolvendum; non esse tamen definitum tempus hujusmodi dilationi vel ad hebdomadas, vel menses, vel annos; & tunc demùm absolutionem esse impertiendam, cum dici potest: *A peccatis abstinet, & vitam mutavit.* Ita expressè docet c. 1. §. 5. n. 2. p. 84.

18. Paragr. 2. n. 1. p. 33. affert locum ex Eccles. 1. ubi dicitur: *Perversi difficilè corriguntur.* Et ex Jer. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Ex his probat difficilem esse peccatorum conversionem. Sed loca veteris Scripturæ afferri non possunt ad probandam difficilem peccatoris Christiani conversionem. Illo tempore parva gratia dabatur; Dæmon acriùs peccatores persequebatur, nulla Sacramenta erant, quæ peccatoribus gratiam largirentur &c. ergo revera *Perversi illo tempore corrigebantur difficiliter.* Præterea illo tempore viæ, per quas ambulare oportebat, ut opera bona exercere possemus, erant asperæ. Ergo meritò Jeremias Judæis dicebat *difficillimè poteritis benefacere.* Cum verò tempore novæ legis dictum sit *erunt prava in directa, & aspera in vias planas*, & multa gratia nobis tribuatur, & Sacramenta gratiæ sint plenissima, & Dæmonis furor sit repressus; quid mirum, si dicamus Scripturas veteris Testamenti explicandas esse de peccatoribus veteris legis, non novæ?

19. Affert etiam ad idem ostendendum varia loca Scripturæ novæ. Matt. 7. quàm angusta porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Et c. 11. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et Luc. 13. Contendite intrare per angustam portam. Et Matt. 10. Qui amat patrem, & matrem plusquam me, non est me dignus; & qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, Luc. 14. Qui non renunciat omnibus, quæ possidet,

non potest meus esse discipulus. Tandem affert Matt. 19. & vocat locum clarissimum: *Amen, dico vobis, quia dives difficilè intrabit in Regnum Cælorum*. Si *difficilè*, inquit Clericus, *intrabit in Regnorum Cælorum dives*, qui pecunias habet; *difficiliùs intrabit dives peccator*, qui pecunias non solùm habet, *sed & affectu supra Deum diligit*. Ego subdo, si Christus loquitur de divite justo; ergo non loquitur de comparatione justitiæ, ut nostra quæstio est, sed de perseverantia justitiæ, quam esse difficilem nos ultrò fatemur.

20. Num. 2. ejusdem paragr. p. 38. disciplinam antiquam Ecclesiæ expendit; olim enim, dicit, Ecclesia longa, & laboriosa pœnitentiæ opera peccatoribus præcipiebat, antequam ipsos absolveret. Hæc porrò disciplina non proficiscebatur ex mera lege Ecclesiastica, ut dicunt Hæretici, & iterum ipse notat p. 155. sed ex doctrinæ causa; ut scil. nos doceret peccatores non citò, sed paulatim se præparare posse ad justificationem. Nec dicas illa Opera injuncta fuisse ad expiandam pœnam temporalem, quę expianda remanet post absolutionem à peccatis; nam ad hunc finem melius fuisset imperare, ut post absolutionem fierent; ita enim facta *meritoria de condigno* fuissent; ideòque & magis apta ad pœnam temporalem expiandam.

21. Num. 3. p. 41. refert Tertull. de Pœnit. cap. 6. D. Cypr. Ep. 54. ad Cornel. Pap. D. Pacianum Ep. 1. ad Sympr. in fine. D. Ambr. de pœn. cap. 16. qui Patres dicunt ad justificationem exigi magnos fletus, & labores; ac propterea peccatores non esse absolvendos, nisi priùs hosce fletus, hosce labores, hæc Opera laboriosa præstiterint. Affert etiam D. Aug. in ps. 6. v. 5. D. Greg. in l. 1. Reg. l. 4 c. 2. & D. Bern. de triplici misericordia, & hi Patres disertè affirmant difficilem esse peccatoribus conversionem, seu præparationem ad justificationem. Addit Clericus p. 43. *Ab hisce Patribus in re tam disertè ab illis tradita non dissentire Patres cæteros facilè quilibet admiserit*. Ego nullo modo, nedum facilè, admittam cæteros Patres non dissentire. Pater Hyac. Tonti in suo erudito Opusculo de rerum creatione ostendit Philonem, D. Ambr. D. Aug. D. Th. docere Mundi creationem à Deo factam non fuisse per plurium dierum spatium, sed per brevis temporis intervallum. Poteratne propterea cum Clerico adversario dicere: *Ab hisce Patribus in re tam disertè ab illis tradita non dissentire Patres cæteros facilè quivis admiserit*? Sed quis credat D. Bern. non *disertè* adversario *favere*, sed *disertè non favere*? Difficilis, ait S. D. prorsus res est, *& soli divinæ virtuti possibilis* susceptum semel peccati

jugum à cervicibus excutere; quoniam, qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari, *nisi in manu forti*. Trident. Sess. 6. can. 3. ait: Si quis dixerit *sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio* hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, *ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Hac fidei clarissima regula credimus sine Divina virtute, (ideòque non sine manu forti,) fieri non posse, (nedum difficile esse) ut justificationem acquiramus. Hoc totum à Tridentino clarè didiceramus, ad quid ergo D. Bernar. adducere? Quæstio nostra est, an cum Divino auxilio facilis sit conversio. Quæstio est, an peccatoribus, qui cum fide, cum spe confitentur peccata sua Sacerdoti, ut justi fiant, & dicunt se dolere de peccatis, & habere propositum deinceps non peccandi, debeamus credere verè habere hujusmodi dolorem, & propositum. Si ipsis omnes credimus & fidem, & spem habere, quamvis *ipsa fides, & ipsa spes sine divina virtute, & manu forti acquiri non possint*; cur & dolorem habere non credamus? Habemus hanc virtutem divinam, hanc manum fortem ad credendum, ad sperandum, cur non ad pęnitendum, pręsertim cum peccator ex amore pœnitentiæ illud *opus arduum confitendi omnia peccata* aggressus fuerit?

22. Num. 4. p. 44. Clericus noster allato Trid. Sess. 14. c. 2. ubi ait sine magnis nostris fletibus, ac laboribus acquiri non posse per Sacramentum Pœnitentię integram peccatorum remissionem, quę in baptismate obtinetur; ut propterea hoc Sacramentum laboriosus baptismus vocetur à Patribus; allato, inquam hujusmodi loco fatetur quidem Tridentinum loqui de remissione tum culpę, tum pœnæ æternę, tum temporalis, subdit tamen insinuari etiam perveniri sine magnis fletibus, & laboribus non posse ad illam remissionem imperfectam, quę consistit in remissione culpę, & pœnę ęternę. Triplicem rationem ad hoc suadendum affert. Prima est, quia ex Patribus Sacramentum Pęnitentię est laboriosum baptisma; ita autem illud appellarunt, ut ad illud exegerint magnos fletus non ob pœnam temporalem tantùm; sed etiam, quòd sine illis *passim* nequaquam pervenire possimus *ad remissionem culpæ mortalis, & pęnæ æternæ*. Secunda, quia ratio justitię vult, ut plus non dimittatur sine magnis fletibus, si minus non dimittitur sine magnis fletibus; ergo, si pęna temporalis non dimittitur sine magnis fletibus, nec pęna ęterna dimittetur sine magnis fletibus. Tertia, quia nec Ecclesia, nec Synodus Tridentina pręcipit, ut in satisfactionenem pęnę temporalis magni fletus, & labores imponantur; *satisfacti*

enim

nim; quæ ex præscripto Synodi; & Ecclesiæ consuetudine exigitur i nagnis fletibus, & laboribus comparari non potest; & ut comparari posset, non exigitur ea tantum ob pœnam temporalem; sed ob plures rationes alias, quas eadem Synodus sess. 14. c. 8. enumerat. D. Th. 3. par. qu. 68. art. 5. ex eo, quòd baptisma nec gemitum, nec planctum postulat, docet baptizatis non esse imponendam satisfactionem. Ergo planctus, & gemitus Sacramenti pœnitentiæ sunt ipsa satisfactio. Præterea Trid. sess. 6. c. 14. docet pœnitentiam faciendam post lapsum consistere non solùm in cessatione à peccato, & contritione, sed etiam in confessione, & satisfactione; & ad hanc veritatem probandam præter alia affert illud Lucæ 3. Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos Pœnitentiæ. Ergo pœnitentia Christiana, quæ dignos fructus pœnitentiæ implicat, consistit in illis quatuor, cessatione à peccato, contritione, confessione, & satisfactione. Cur Adversarii à longinquis, & obscuris locis Patrum alia addunt, cum habeant præsentem locum, & clarum Tridentini?

23. Num. 5. pag. 47. incipit variis rationibus ostendere præparationem ad justificationem esse difficilem. Prima est, quia peccator habet affectum ad creaturas sensibiles; ut autem ad justificationem se præparet, hunc affectum vincere debet; quam verò hoc sit arduum, nemo nescit; & ex concupiscentia naturę corruptę in promptu est. Hinc ob hanc causam ipsi justi difficiliter legem Dei servare possunt, ut patet Rom. 7. & ex Trid. sess. 6. c. 13. *Si tantam*, ait Clericus, *in agendo bono, & cavendo malo, à mundo, carne, & dæmone pugnam, ac difficultatem patiuntur justi hostibus istis per Dei amorem prædominantes; quantò majorem ab iis pati necesse est peccatores, qui hostium illorum servi effecti sunt, dum eorum jugum excutere laborant?* Secunda ratio, quia ęquum est, ut anima, priusquam à peccato liberetur, sentiat in quanta se mala peccando pręcipitaverit. Tertia, ut peccator, qui *justificatur*, magnitudinem beneficii, quod in justificatione accipit, ipsumque largitorem doceatur agnoscere. Quarta, quia magna magnè desideranda sunt, priusquam à Deo obtineantur. Quinta, quia Divinę Bonitati consentaneum est, ut, dum justificationis donum peccatori impertitur, simul illum doceat tantum bonum diligenter custodire. Sexta, docet, ne peccator obtento justificationis dono superbiat; superbiret autem, si facilè justificationem assequeretur. Septima, quia si facilis esset pręparatio ad justificationem, ipsa etiam justificatio facilis esset; ex quo sequitur multos salutem consequuturos esse, & tamen Christus ait paucos *salvari*. Confirmat has rationes auctoritate

D.

Divi Augustin. & quintam etiam Tridentino session. 14. cap. 8.

24. Clericus hoc etiam probat num. 6. p. 54. ex conversione D. Aug. qui lib. 8. confess. c. 5. testatur maximam difficultatem sibi fuisse superandam, ut verè se ad Deum converteret, & hoc propter duas voluntates sibi contrarias, *una vetus, una nova; illa carnalis, illa spiritualis confligebant inter se, atque discordando dissipabam animam meam*. Notat Clericus hanc difficultatem ortam fuisse ex illis duabus voluntatibus contrariis; has porrò duas contrarias voluntates habere quemlibet peccatorem certum est. Addit nos innumeros videre aut avaros, aut ambitiosos, aut luxuriosos &c. & tamen non facilè videmus avaros pecunias relinquere &c. unde Eccl. c. 1. ait. *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritus. Perversi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus*. Quæro hic: vel hæc verba sunt vera de omni tempore, vel solùm de nostro. Si primum; ergo etiam illo tempore, quo Sacramentum administrabatur eo modo, quo volunt Adversarii, stultorum infinitus erat numerus. Cur ergo solùm conqueruntur de nostro? Cur solùm de nobis? si sunt vera solùm de nostro, qua auctoritate, qua ratione hoc dicunt? Præterea vel in Ecclesia communiter rectè Sacramentum conficitur, vel non; Si primum; ergo innumeri illi stulti orti non sunt ex mala Sacramenti confectione. Si communiter in Ecclesia rectè non conficitur Sacramentum. Ergo Ecclesia in moribus errat. Ergo non est Sancta, ut dicitur in Symbolo Apostolorum. Vide propos. 18. Alex. VIII.

25. Omissis aliis plurimis, quæ in toto libro habet Clericus noster, referre placet in medium, quæ scribit §. 3. p. 57. & seqq. Hic docet peccatorem, antequam justificationem assequatur, in quatuor statibus reperiri. In primo vel legem Dei, & peccatum ignorat; vel si non ignorat, eorum tamen notitia non magis, quàm si ignoraret, commotus sine conscientia remordente, sine pugna, & cum delectatione *post concupiscentias suas totus it, nec iis desiderat liberari*. Probat Rom. 7. 7. & ex D. Aug. Enchir. c. 118. & aliis locis. Subdit pag. 60. in tali statu Mundum per annos bis mille, & amplius à Deo relictum fuisse. In secundo statu ait p. 61. peccatorem à Deo excitari, atque per fidem illuminari ad ea credenda, quæ divinitus revelata sunt, non fide prorsus mortua, qualis etiam haberi potest in primo statu, sed fide, quæ initium quoddam conversionis, & justitiæ desiderium per dilectionem saltem aliquam operetur. Hunc statum ait describi à Trid. sess. 6. c. 6. per illa verba: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam &c.* ad hoc etiam affert D. Aug. in ps. 106. n. 4. Describit tertium statum

p. 63.

p.63. ex Trid. loco allato his verbis: *Dum peccatores se esse intelligentes à Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Tandem n. 4. p.66. quartum statum describit ex eodem loco Trid ubi dicit: *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem*, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. *Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata.* Nonne Concilium hìc expressè agit de pœnitentia, *quam ante baptismum agi oportet*? Nonne nos loquimur de pœnitentia, quæ peragenda est post baptismum, & de qua loquitur Concilium expressè c. 14.? Cur omisso loco proprio quæstionis nostræ, & expresso, in medium affert locum alienum, & quod vix implicitè ad rem facit? Peccatores infideles transire à non fide ad fidem, à fide ad timorem justitiæ Divinæ, à timore justitiæ Divinæ ad spem, ut docet Concilium, libentissimè fateor. Hinc fateor cum Clerico peccatores infideles verè in quatuor statibus reperiri ab ipso descriptis. Et si vult hosce peccatores multum temporis perdere in conficiendo hujusmodi itinere, inficias non ibo. Quid ad me? Nego peccatores nostros Catholicos debere hanc longam viam perficere. Quotidie actus fidei efficiunt, Divinam justitiam timent etiam, & sperant se *salvandos* esse; neque enim cum Charitate spem amiserunt. Ergo peccatores nostri tempus terere non debent ad pertranseundos illos tres priores status.

26. Ex hisce statibus conatur Clericus ostendere difficilem esse præparationem ad justificationem, eosque brevi tempore transire non posse. Ait ergo, ut peccator se ad eam præparet, debere mutare cogitationes, & judicia; debet enim fidem concipere, per quam aliter prorsus de rebus cogitet, ac judicet, quàm de iis cogitabat, ac judicabat antea per sensus; Sicut enim peccator *ut totus ex sensibus vivebat*; ita etiam, *si non in generali, & speculativè, saltem in particulari*, & practicè ex sensibus cogitat, ac judicat illud bonum utile, *honestum*, delectabile; ideòque & amandum æstimans, quod ut tale exhibent sensus; Illud verò reprobans ut malum, nocivum, inhonestum, injucundum; ideòquæ & repudiandum, quod tale per sensus videtur. Hinc ut magna bona æstimat divitias, honores, voluptates; paupertatem verò, contemptum, afflictiones habet ut magna mala. Debet etiam peccator timores suos, & spes mutare: hinc si priùs timebat mala temporalia, & mundana sperabat; nunc timere debet

mala

mala æterna, & cœlestia sperare. Tandem mutare debet amores suos; *hinc cum priùs diligeret mundum plusquam Deum; nunc debet plus amare Deum, quàm mundum*. Clericus noster loquitur de uno peccatore perinde, ac de cæteris. Eandem difficultatem subibit, qui octo, vel viginti peccata unius, vel alterius generis fecit, & pœnitere vult, ac qui omni peccatorum genere se fœdavit?

27. De Clerici Belgæ doctrina sit satis. Tempus est, ut aliqua, quæ de re nostra scripserint Antonius Arnaldus, & Pater Natalis ab Alexandro, in medium adducamus. De primo habeo librum gallica lingua compositum, cui titulus: *La Tradition de l'Eglise sur le suiet de la Penitence, & de la Communion &c. A Paris.* 1700. In ejus præfat. p. 36. fatetur quidem Sacramento Pœnitentiæ non esse *essentiale*, ut satisfactio ante absolutionem peragatur; esse tamen rem magis naturalem, & Patribus magis conformem, & propriam; videmus enim homines non sibi priùs reconciliare inimicos, nisi debitam satisfactionem præstiterint. Tum subdit locum Tertulliani de Pœnit. c. 6. qui hoc clarè asseverare videtur. Pag. 35. concedit ultro equidem regulas antiquas de dilatione absolutionis revera nunc non obligare; negari tamen non posse etiamnum in multis eventis esse tenendas; & magno peccantium numero differendam esse absolutionem, ut ita bonorum operum exercitio ad eam obtinendam præparentur; ne facilitate veniæ in criminibus deniteantur.

28. Pag. 44. plurimis, ac plurimis Patrum locis ostendit nimiam Confessariorum indulgentiam, & magnam absolvendi facilitatem publicam impœnitentiam nutrire, peccatoresque ad delinquendum excitare; tot autem, ac tantis auctoritatibus relatis ita p. 53. scribit. Ex his, quæ adduximus, clarissimè patet satis probatam esse illam veritatem, nimirum *morem dandi absolutionem statim post confessionem non esse adeò communem, nisi quia generali impœnitentiæ favet*. Si mens mea non me decipit, ita argumentatur Arnaldus: *Nimia Confessariorum indulgentia, ac magna facilitas absolvendi nutrit publicam impenitentiam, si Patres sequi volumus. Sed absolvere statim post confessionem peccatores est nimia indulgentia, & magna absolvendi facilitas; ergo &c.* In altera mea dissertatione animadverti Auctores, qui totis conatibus Patres coacervant ad controversias Theologicas dirimendas, illos afferre solere ad probandum non id, de quo dubitamus; sed de quo certi sumus, & ultrò concedimus. Necessene erat probare nimiam indulgentiam, atque absolvendi facilitatem impenitentiam nutrire? Quis nostrum hoc negat? Negamus absolutionem *ordinariè* datam statim post confessionem esse nimiam in-

gen-

dulgentiam, ac facilitatem absolvendi: ergo hoc Patribus probandum erat, non illud: Ergo Arnaldus laborem illum maximum tot Patres adducendi voluntariè subiit, & ad quæstionem nostram nihil facientem.

29. Pater Natalis ab Alexandro l. 2. de Pœnit. c. 7. a. 3. reg. 1. scribit: *Obviis quibusque concedenda non est absolutio; sed iis omnibus neganda, quorum nulla, vel ficta conversio est, iis differenda, quorum dubia, & incerta pœnitentia est.* Hanc regulam nemo, ut opinor, inficiabitur; in ejus tamen probatione ad nimiam severitatem declinare videtur. Propositionem nostram, inquit, confirmat S. Cypr. de lapsf. docens Reos, qui nullos protulerunt Pęnitentię fructus, qui nullo temporis spatio delicta sua planxerunt, qui sinceræ, constantisque conversionis signa vitæ novitate, & satisfactoriis operibus non ediderunt, pacem, sive absolutionem dari non debere. Si detur, irritam, & falsam esse, periculosam dantibus, & nihil accipientibus profuturam. Mox longam auctoritatem affert, quam si benè perpenderis, mecum fateberis, nihil prorsus probare; Nec meliores sunt auctoritates, quas ex Clero Romano, ex D. Jo: Chrys. & D. Aug. refert. Affert etiam Richardum de S. Victore in tract. de *ligandi, & solvendi potestate* cap. 6. qui profectò nobis apertè favet, ait enim: Hoc est enim verè pœnitere de præterita prevaricatione dolere *cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi*; & cum omni cautela in posterum cavendi. *In hunc modum pœnitentes meritò debent absolvi, alioquin sine absolutione remitti.* Ecce apertè ad absolutionem obtinendam sufficit dolor de præteritis, & *firmum propositum* confitendi, *satisfaciendi*, & in posterum cavendi. Cur Pater Natalis contra expressa verba Doctoris exigit ad absolutionem non solùm propositum satisfaciendi, sed ipsam satisfactionem?

30. Favet etiam nobis locus D. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 9. ubi scribit: Nonnulli ideò poscunt pœnitentiam, *ut statim sibi reddi communionem velint.* Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare; suam enim conscientiam non exuunt, & Sacerdotis induunt, cui præceptum est: nolite Sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos: hoc est *immundis impuritatibus sacra communio non impendenda consortia.* Nostris temporibus nomine *communionis*, & multò magis nomine *sacrę communionis* sumptionem Eucharistiæ intelligimus, non verò absolutionem peccatorum; hoc verò confirmatur ex auctoritate allata Matt. 7. *nolite sanctum &c.* propriè nomine *sancti*, & *margaritarum* significatur Eucharistia.

31. Ibidem p. 514. docet cor contritum, & humiliatum, cor

novum, & à regnantibus peccatorum libidinibus omninò mundum, ac liberum raiò in ictu oculi, plerumque sensim efformatur, veraque Pœnitentiæ virtus .... sensim adolescit, & perficitur, præsertim in illis, quibus longa peccandi consuetudo veluti altera natura facta est. *Primò enim oportet, ut ferventibus precibus à Deo postuletur; nam gratia, qua ab illecebrosis peccatorum vinculis expedimur, non nisi magnis precibus in nos implorata descendit,* ut loquitur Innoc. I. *His, ut cor contritum impetremus, adjungenda jejunia, secessus à noxiis consortiis, lectio, & meditatio rerum sacrarum, erogandæ pauperibus eleemosynæ, ut ipsi pro nobis intercedant.* Si hæc sunt necessaria, ut rectè peccatoribus Sacramentum pœnitentiæ ministretur; cum communiter non fiant; sequitur communiter nostris temporibus hoc Sacramentum non rectè ministrari, quæ est propositio damnata ab Alex. VIII. n.18. Præterea, si peccator per fidem fervidam Deum ut potentem cognoscere potest, & moveri ad ferventes preces, quando vult, & quando imperatur à confessariis; cur per fervidam fidem non potest cognoscere Deum ut summum bonum, illumque amare quando volet, & quando imperabit Confessarius? Num Deus cognitus per fidem ut omnipotens movebit ad fervidas preces, & cognitus ut summum Bonum non movebit, nec etiam ad amorem remissum? Probat autem hanc suam doctrinam ex Carnotensi epist. 228. ubi fatetur Deum quidem statim peccata remittere, quia Deus affectum cordis cognoscit; *Ecclesia verò, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licèt suscitatum, nisi de monumento elatum,* id est publica satisfactione purgatum. *Hinc est, quod Ecclesia sua crimina confitentes à Sacramentorum communione suspendit, & in cinere, & in cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intus vivificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati.*

32. Recentissimus auctor Historiæ Ecclesiasticæ excusę Romæ 1717. idem docet; nam tom. 3. sæculo nono Colloq. 6. pag. 513. redarguit Sacerdotes illos, qui præcipiti absolutione peccatores absolvunt. Hi si gratiæ solitum cursum tenuissent, eosque via, ac ratione ab Evangelio præscripta, hoc est, *precibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus ad perfectiora pœnitentiæ studia paulatim evexissent, procedente tempore ad veram eos, ac solidam conversionem perducere potuissent.* Hoc probat ex D. Th. 1. 2. q. 112. art. 2. ad 2. & q. 113. a. 10. ubi docet preparationem ad gratiam sanctificantem secundùm consuetum, & communem modum nonnisi per tempus in animum à Deo immitti, & subitas illas conversiones miraculis accenset. Addit po-

postea se egregios concionatores audivisse multùm conquerentes *mundum deploratis peccatoribus scatere*, qui quidem Paschate peccata confitentur, sed festo peracto ad vomitum redeunt. Huic malo ingenti *unicum*, atque *certissimum* remedium est *firmitas Sacerdotum ad tales peccatores à sacris Mysteriis removendos, donec resipuerint*, & paulò antè dixerat hanc morem servatum fuisse per duodecim sæcula.

33. Dixerat etiam suprà pag. 509. Confessarios quosdam ideò rectè Sacramentum pœnitentiæ non ministrare, quia non utuntur regulis illis à Concilio Cabilonensi Secundo præscriptis, nimirum *Scriptura Sacra, Sacris Canonibus, & Ecclesiæ consuetudine*; Sed utuntur quibusdam conscientiæ Summis à quibusdam Recentioribus editis, quæ multis corruptelis, & erroribus scatent. *Verùm*, addit Auctor, *sicut Concilium Cabilonense quosdam libellos pœnitentiales, quorum erant certi errores, incerti auctores, proscripsit; ita nostris temporibus Summi Pontifices profana hæc dogmata Vaticanis fulminibus protriverunt*. Infra in disputatione, an liceat solis rationibus naturalibus quæstiones Theologicas dirimere, ostendam evidenter imbecillitatem hujusmodi argumenti, hinc aliquid ipsi reponere opus non est. Nota tamen Alex. VII. & Innoc. XI. damnatas à se propositiones notasse *ut minimùm tanquam scandalosas*, & Innoc. addidisse *& in praxi perniciosas*; Alex. verò VIII. duas theses rejecisse, primam ut *hæreticam*, alteram *ut erroneam* &c.

34. Libellus ille, qui hujusmodi titulum præfert: *Francolinus Clerici Romani Pedagogus*, quem compositum fuisse ab Abb. Vallonio rumor vagatur; & certum est à Theologo Gallo typi datum fuisse; Libellus, inquam, hujusmodi dictam severam opinionem amplectitur; Observ. enim 9. p. 202. damnat hanc propositionem: *Durior illa quorundam praxis, qua sæpè nimis pœnitentibus negatur absolutio*, donec peccandi consuetudinem exuerint, *facit magis ad exasperanda, quam sananda vulnera Animarum*. Si, peccator ut absolvatur, opus est, ut consuetudinem peccandi prius exuat; ergo peccator viginti annorum confiteri volens absolvetur vix post annum transactum, quo numquam peccando longam illam consuetudinem peccandi exuisse demonstret. Si hoc non est exasperare infelicem illum peccatorem, nescio mihi imaginari, per quid unquam exasperari possit.

35. Ex his intelligere licet auctores prædictam severam doctrinam tradentes esse vel Gallos, vel Belgas; & Galli, vel Belgæ sunt alii, quos citare possem, si opus esset, & videri poterunt apud Francolinum Vindicatum. Nil tamen mirum alicui videri debet, si Gallorum plures etiamnum severitatem sequantur; nam

etiam olim rigorem prorſus crudelem multi ex Gallis profeſſi ſunt; cum illarum Regionum nonnulli Epiſcopi abſolutionem negarent illis peccatoribus, qui ad tempus mortis peccatorum confeſſionem differebant.

36. Ut quæſtio noſtra clarè dirimatur, notandum peccatores alios eſſe, qui plura plurium generum peccatorum commiſerunt; alios, qui plura ejuſdem generis, v.g. decies, vel vigeſies mæchati ſunt. Ex his alii prima, vel altera vice ad confeſſionem accedunt; alii autem, qui poſt plures confeſſiones etiam in eadem ejuſdem generis peccata, ſine ulla emendatione, incurrunt. Cum hi pluries fidem fregerint, fidem non merentur plerumque; ideòque neque plerumque ſtatim ſunt abſolvendi. Præterea alii ſunt, qui vel ita frequenter in ejuſdem, vel diverſi generis peccata incidunt, ut v.g. per annum penè quotidie letaliter peccent; vel ita frequenter, ut trigeſies, ſeu quinquagies in eodem, vel diverſo genere letaliter delinquant. Solùm de his ſecundis diſputo. *Quæro ergo de ipſis, an prima, vel altera vice, qua cum illis peccatis accedunt ad confeſſionem, ſtatim abſolvi poſſint, & an plerumque Confeſsarii poſſint ita benignè agere cum illis*; pono autem annis antecedentibus vel nunquam, vel raró admodum letaliter erraviſſe, ſicut nec occaſionem proximam habere. Dicendum *hoſce peccatores* prima, vel altera vice plerumque ſtatim abſolvi poſſe. Probatur primò evertendo unam ex præcipuis rationibus, quibus Adverſarii ſtatim hoſce pœnitentes non abſolvunt; non abſolvunt autem, quia dicunt ad habendam contritionem opus eſſe, ut priùs pœnitentes plurima pietatis opera efficiant, jejunent, plorent, eleemoſynas tribuant, meditentur &c. Quàm hoc ſit falſum, patet ex omnibus Theol. Canoniſtis, & Caſuiſtis, qui à tempore Magiſtri Sententiarum, Petri Lombardi, & Gratiani ſcribere cœperunt de Sacr. pœn. ad hæc noſtra tempora. Quamvis de hoc Sacramento diſertiſſimè, & copioſiſſimè tractaverint; tamen nunquam meminerunt quærere, an ante abſolutionem ſint facienda tot, & tanta opera pia, ut volunt Adverſarii. Sed non modò quæſtionem hujuſmodi non fecerunt, ſed nec vel ullum verbum protulerunt, ex quo hanc tantam obligationem argumentari poſſimus; & tamen præſertim principio harum Diſciplinarum plures adeò ſeveri fuere, ut voluerint contritionem juſtificantem eſſe Sacramento neceſſariam; & dimidio ſæculi duodecimi, quo ſcribebant Petrus Lombardus, & Gratianus, vigebant antiqui canones pœnitentiales, ſi credimus Adverſariis. D. Petrus Cœleſtinus par 3. ſuæ Summæ ſect. 2. c. 16. copioſè ſatis agit de officio Confeſſariis, & refert innumeras interrogatio-

nes

nes faciendas Pœnitenti, etiam de iis, quæ non sunt necessaria. Cur non interrogat, ut faciunt Adversarii, *an multo tempore ante conatus fuerit per jejunia, orationes &c. à Deo petere contritionem, & satisfacere pro pœna æterna*, ut audacter docet esse necessarium Jueninus? In fine confessionis ait S. Vir: *Semper autem in fine moneat Sacerdos pœnitentem, ut vitet recidivum dicendo, vade in pace, noli amplius peccare; vulnus enim iteratum tardè sanatur. Item moneat, ut vitet omnes modos, & occasiones peccandi, scilicet choreas, spectacula, & malum consortium*. Videte hic, S. Vir omisit, quod erat necessarium per adversarios; Ex ipsorum enim doctrina debebat admonere pœnitentem, ut ante absolutionem piis operibus à Deo impetraret gratiam pœnitentiæ.

37. Probatur secundò ex consuetudine Confessariorum, qui doctrina tradita à Theologis, Canonistis, & Casuistis in Scholis utuntur in Confessionariis; hinc *ordinariè* statim à confessione absolvunt pœnitentes; Confessarios verò ferè semper errare in confectione Sacramenti est error damnatus ab Alex. VIII. n. 18. ubi hoc dictum proscribitur. *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu*. Ergo confectio Sacramenti pœnitentiæ nostris temporibus aliquem abusum non implicat; ideòque absolutio statim à confessione pęnitentibus data non est mala, sed bona. Hunc etiam morem tenuit D. Philippus Nerius, qui, ut narrat P. Petrus Jacobus Bacci in ejus vita l. 2. c. 6. cuidam peccatori frequenter in quoddam delictum incurrenti penè aliam pęnitentiam non imponebat, nisi ut commisso scelere statim illud sibi confiteretur; toties verò ipsum absolvebat Vir Sanctiss. quoties peccata confitebatur miserrimus ille peccator; hic autem per talem pęnitentiam à tanto morbo paucis mensibus liberatus est. Eo tempore, cum nondum nati essent nostri severi Adversarii, Confessarii, etiam Sanctitate celeberrimi, tam benignè cum pęnitentibus se gerebant.

38. Objecit hoc factum mirabile Comes Trojanus Borromeus illi Adversariorum, qui in causa Quesnelliana dicitur *Abbas Vallonius*. Respondit Sanctiss. Philippum ita se gessisse illuminatione Cœlesti edoctum. Bella profectò responsio! Nimirum ad miracula confugiunt Adversarii, ut se se aliquo modo, si possint, defendant. At Auctor Vitæ S. Viri nullum miraculum hìc agnoscit. Solùm laudat D. Philippi charitatem erga miseros peccatores. Sed quibus fuit edoctus D. Nerius per revelationem? Habere illum pœnitentem verum dolorem, & verum propositum?

ergò verus dolor, & verum propositum simul esse possunt cum peccatis futuris, etiam iterandis sepissimè. Sed fuit ne edoctus per revelationem peccatis futuris? Ergo Confessarius, etsi scit futurum, ut suus pœnitens sit peccaturus, si tamen habet signa veræ pœnitentiæ, & veri propositi, potest absolvere penitentem.

39. Probatur tertiò ex absurdo; Sequitur enim ex opinione Adversariorum numquam absolvi posse penitentes statim à confessione; cum tamen certum sit aliquando peccatores statim converti, ut patet in D. Paulo presertim, & docet D. Th. 1. 2. q. 112. a. 2. & q. 113. a. 10. & concedunt ultrò Adversarii. Sequela verò est in promptu; nam Confessarius numquam cognoscere posset signa hujusce subitę conversionis. Vel enim hęc essent verba, vel opera, & hæc vel brevis temporis, vel longi. Si sunt verba, & opera brevis temporis, dicantur, ut Ecclesia legem jubeat, ne Confessarii penitentes absolvant, nisi hæc signa felicia præstiterint. Si sunt Opera longi temporis; jam absolvi non poterunt nisi post longum tempus à confessione. Lachrymas fuisse certum signum D. Aug. subitæ conversionis negari nequit: Factum mirabile narrat S. D. lib. 4. de Doct. Christ. c. 23. n. 53. Grande autem, inquit, genus plerumque pondere suo voces premit; sed lachrymas exprimit. Denique cum apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuadere pugnam civilem, vel potiùs plusquam civilem; neque enim Cives tantummodò, verùm etiam propinqui, fratres, postremò parentes, ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi per aliquot dies continuos certo tempore anni solemniter dimicabant, *& quisque, ut quemque poterat, occidebat*. Egi quidem granditer.. *ut tam crudele, atque inveteratum malum de cordibus, & moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo;* non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, *sed cum flentes viderem;* acclamationibus quippè se doceri, & delectari, *flecti autem lachrymis indicabant;* quas ubi adspexi, *immanem illam consuetudinem* à patribus, & avis, longèque à majoribus traditam, quę pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potiùs possidebat, *devictam*, antequam id ostenderent, *credidi*. Moxque sermone finito *ad agendas Deo gratias corda, atque ora converti:* Et ecce jam fermè octo, vel ampliùs anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est. Sunt & alia multa experimenta, quibus didicimus *homines quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potiùs, quàm gemitu, aliquando etiam cum lachrymis; postremò vitæ mutatione monstrasse*. Hactenus S. D.

40. Ecce evidenter ex lachrymis suorum auditorum, qui non

ve-

venerant cum dolore aliquo de suis peccatis, & proposito cavendi ea in posterum, signum certum intellexit verè eos esse conversos, & deposuisse crudelem illum, immanem illum, inveteratum illum morem plusquam civilis pugnę, qua Patres Filios, Filii Patres, (quid atrocius?) propinqui propinquos &c. occidere conabantur. Cur ergo Jueninus, & cæteri Adversarii verè conversum non credunt pęnitentem illum cum lachrymis ita se confitentem. Pater valdè lacessitus, & injuriis affectus à Petro ipsum occidi. Sed ingressus templum audivi concionatorem tam altè, atque aptè de gravitate peccatorum declamantem, deque Bonitate Divina tam granditer differentem, ut me à lachrymis temperare non potuerim ob dolorem, quem sentio de tam gravi scelere, quod commisi. Te precor, pater optime, etiam, atque etiam, ut me absolvas. Si verè autem illum conversum credent, cur statim non absolvent? Dicent ne Deum non esse conversurum peccatores conciones nostras audientes? Revera Clericus Belga c. 3. §. 1. p. 202. concedit facilè peccatores *sensibiliter compungi ad voces concionatoris, sed difficiliter à peccatis ad Deum corde converti*; Nonne D. Aug. sua concione *de cordibus, & moribus* immanem, & inveteratam totius Civitatis consuetudinem evulsit, & depulit? Cur hanc facultatem nostris concionatoribus non concedemus? Præterea, si peccatores sensibiliter compungantur, cur Clericus non credet esse corde conversos? Num Confessarius debet cognoscere cordis conversionem etiam in se ipsa? Pręterea nostris temporibus, quibus pœnitentes communiter statim absolvuntur à Confessione, non reperitur Civitas, quæ morem tam crudelem, tam pravum, tamque inveteratum habeat, sicut habebat Civitas Cæsariensis, cujus Civibus ministrabatur Sacramentum pęnitentię eo modo, quo volunt adversarii. Ergo evidenter sequitur morem absolvendi pœnitentes statim à Confessione esse magis aptum ad coercendos homines à peccatis.

41. Probatur quartò ex disparitate evidenti, quæ est inter Baptismum, & Sacramentum Pœnitentiæ. Ut adultus baptizetur, opus est ex præscripto Ritualis Romani, *prius secundùm Apostolicam regulam in Christiana fide, ac sanctis moribus instruatur, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceatur, ejusque voluntas, & propositum sępiùs explorentur, & non nisi sciens, & volens, probèque instructus baptizetur*. Si legamus autem omnia, quæ idem Rituale tradit de ministerio Sacramenti Pœnitentię, non inveniemus nos docere, ut pœnitentes exerceamus ante absolutionem in operibus piis. Cur, quæso, docet esse Apostolicam regulam

 pro-

probandi priùs eos, qui sunt baptizandi, non verò, qui sunt absolvendi? Num Pontifex diligentiorem curam adhibet erga eos, qui sunt extra Ecclesiam, quàm qui sunt intra? Præterea innumeri sunt, qui ad Sacramentum Penitentiæ accedunt, pauci verò sunt adulti, qui ad baptismum; Num Pontifex contra formulas legum de iis, quæ raro accidunt, legem statuet, non autem de iis, quæ frequenter? Sed disparitas per se in promptu est. Adultus baptizandus vel est Gentilis, vel Maumetanus, vel Judæus. Certè ante baptismum adulti sunt instruendi de mysteriis fidei, & magna difficultate flectendi sunt ad promendos actus fidei. Ecce præparatio mentis ad baptismum postulat necessariò plures dies. Noster penitens, cum sit Catholicus, jam omnia fidei mysteria credit, & sępiùs per diem credit. Præterea adulti infideles, presertim Gentilis, & Maumetanus, penè nullum præceptum Decalogi servaverunt; & de his verum est, quod non minùs falsò, quàm contumeliosè de nostris peccatoribus. c. 1. § 3. n. 5. dicebat Clericus Belga, *totos ex sensibus vivere*; & n. 1. p. 60. se habere *instar hominis, qui sensu vivens spiritu mortuus est, atque ea sola percipiat, timeat, speret, diligat, quæ sensibilia, & temporalia sunt; ad spiritualia verò immotus sit*. Ergo difficillimè credere possum adultis infidelibus dicentibus se servaturos Decalogum, & alia plurima præcepta fidei Christianę. Ergo, antequam baptismus eis concedatur, per aliquot dies sunt probandi in operibus pietatis. E contrario noster peccator Catholicus, exceptis paucis, cætera præcepta diligenter servat, & hæc, quæ nunc perfringit, olim servaverat, v. g. Mæchus præter partem sexti præcepti, & alterius, cætera præcepta & naturalia, & supernaturalia tenet; quin etiam plurima bona opera facit. Orat, jejunat, cuique suum dat, eleemosynam tribuit, audit Missam &c. & hæc peragit à lumine fidei motus; execramur enim impia illa dogmata damnata olim in Bajo, & nunc in Quesnellio n. 44. 45. 46. 47. 49. 50. 51. 53. 56. 57. 59. 61. Quis non exhorrescat audiens: *Amore Dei in corde peccatorum non ampliùs regnante necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat*? Ergo, ut hic scortator amet Deum super omnia, debet solùm castitatem servare, & alterum, vel aliud pręceptum. Cur ergo huic peccatori Rituale Alectense, & cæteri adversarii absolutionem different non modò ad hebdomadas, sed etiam ad menses? Adultus baptizandus, qui penè nullum præceptum servavit, qui nullum opus supernaturale fecit, & pauca bona naturalia, solùm per aliquot dies ex Rituali Romano in piis operibus exercetur; adultus verò Catholicus, qui tantùm ali-

aliquod præceptum perrupit, & plurima bona opera supernaturalia fecit, exerceri debebit non modò per aliquot dies, sed hebdomadas, sed menses? Quin etiam tot, & tantis operibus, quæ longè sunt plura, quàm peccata; Confessioni preterea omnium peccatorum, operi tam egregio; dolori, & serio proposito demissa animi significatione expositis; voluntati denique enixè petenti absolutionem nec prima vice credemus; ideòque absolutionem statim non dabimus; sed ad hebdomadas, sed ad menses differemus? Lex *Sancimus* C. ad l. Jul. repetun. approbata 1. q. 7. can. 26. suspicari non potest aliquem ita esse salutis æternæ immemorem, ut pro commodo temporali perjurium committere voluerit. Nos erimus adeò suspiciosi, ut prima, vel altera vice credamus pœnitentem ita esse immemorem salutis æternæ, ut dolorem ad salutem necessarium non habeat eo tempore, quo seriò expressè se illum habere dicit?

42. At inquies. Dolor dependet à gratia Dei, quæ in nos non nisi implorata descendit, dicebat Pater Natalis. Sed contra; nam S. Cœlestinus ad Episcopos Galliæ ep. 2. c. 2. arguit de crudelitate, & impietate Sacerdotes illos, qui non absolvebant peccatores pœnitentiam solùm petentes in mortis periculo; ideò verò non absolvebant, quia credebant eos hoc tempore verè non pœnitere. Decernit ergo esse absolvendos, quia de Dei pietate non est desperandum, *& quia Deus est paratissimus ad subveniendum, & invitans ad pœnitentiam sic promittit peccatori inquiens*, quacunque die conversus fuerit, *peccata ejus non imputabuntur ei. Et iterum nolo mortem peccatoris &c.* Sanctus etiam Leo Epist. 89. idem decrevit motus ab illa ratione, *quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec definire*. Ergo negare non possumus absolutionem pœnitenti, quia possimus dubitare Deum huic peccatori non dedisse gratiam pœnitentiæ; nam *Deus est paratissimus dandi hanc gratiam, & Dei misericordiæ nec mensuras possumus ponere*.

43. Confirmatur ex D. Th. in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. quæstiun. 3. ad 2. & q. 3. a. 1. quæstiun. 4. Quodl. 4. ar. 10. docet peccatorem teneri ad contritionem, quando peccata memoriæ occurrunt. D. Antoninus p. 3. tit. 14. c. 18. §. 1. ait hanc opinionem esse solùm veram de debito honestatis, non præcepti. Addit secundùm Paludanum in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. esse sub præcepto, si peccata ita occurrant menti, ut eam ad delectationem trahant. Præterea plures DD. tradunt commisso peccato nos teneri statim ad confessionem; cæteri innuunt esse solùm optimum consilium. D. Anton. §. 2. ex D. Th. Palud. Bonav. & Durand. docet

cet nos ex præcepto teneri ad contritionem statim patrato peccato, Cæteri innuunt esse optimum consilium. Rationem affert D. Anton. ex D. Th. 2. 2. q. 62. a. 8. quia non licet vel per temporis punctum stare cum peccato. Ex hac doctrina intelligere licet per omnes DD. nos posse contritionem efficere statim post commissum peccatum; statim ac nobis peccata veniunt in mentem; Siquidem consilium, & præceptum esse nequeunt de re impossibili, quod effatum est una ex regulis legum, apud quas nihil magis tritum, quàm illud: *Impossibilium nulla est obligatio;* & clarè elucet ex propos. 67. damnata in Bajo, & ex prima, & tertia in Jansenio;& ex prima proscripta ab Alex. VIII. Si ergo peccatores possunt, dum peccata recordantur, contritionem efficere, cur adversarii severissimè eos rejiciunt solùm absolvendos post hebdomadas, post menses ex eo capite, quod contritio non sit negotium brevis temporis? Si post peccatum commissum contritio statim fieri potest, cur volunt, ut priùs peccatores eleemosynas largiantur, jejunent, & alia pia opera pœnitentiæ efficiant ad obtinendum spiritum contritionis, & solùm tunc credunt peccatorem verè pœnitere, si priùs per hebdomadas, per menses tot, & tanta opera exercuerint in hunc finem, obtinendi nimirum contritionem à Deo? Sed cur, præsertim Juenius, ex hoc capite statim non absolvit pœnitentem, qui solùm ante horam confessionis conatus se conterere fuerat de unico peccato, quod ante 15. dies patraverat? Ulteriùs, si peccatori, qui nihil de rebus divinis cogitaverat, si tamen peccatorum meminit, congruum est, vel opus est se conterere; ideòque ipse potest contritionem efficere; quantò magis idem dicendum de peccatore, qui multos actus supernaturales fecerat; v. g. fidei, timoris, spei, confessionis, desiderii justitiæ, & alios; hujusmodi autem est peccator, de quo disserimus.

44. Hoc idem manifestè probatur ex eo, quod docet D. Th. in pluribus locis, præsertim 1. 2. q. 89. a. 6. Docet ergo originale non posse esse cum solo peccato veniali; vel enim, ait, puer, dum lumen rationis assequitur, se refert in Deum, vel non. Si primum; ergo per illum actum, qui certè est amor Dei super omnia, deletur peccatum originale. Si secundum; jam peccatum grave committit. Ecce puer primo temporis momento habet gratiam, per quam potest amare Deum super omnia; Cur autem eandem gratiam Deus eidem denegabit aliis temporibus, vel brevissimis? Si aliis quibusvis brevissimis temporibus habet gratiam amandi Deum super omnia, habebit etiam, gratiam se conterendi; cum amor sit causa contritionis. Idem patet ex Ritua-

tuali Romano tit. de Sacr. Pœnit. præcipiente Confessario, ut post audita pœnitentis peccata ipsum *efficacibus verbis ad dolorem, & contritionem adducere conetur, atque ad vitam emendandam inducet*. Ecce *efficacibus verbis*, non verò, ut volunt Adversarii, jejuniis, non verò eleemosynis, & aliis piis operibus longo tempore faciendis, Confessarius ad contritionem pœnitentem adducere potest. Cur ergo adversarii etiam secunda vice, etiam prima vice nostris pœnitentibus absolutionem differunt ad hebdomadas, ad menses, ut interim à Deo contritionem obtineant?

45. Ex illis verbis Ritualis *Atque ad vitam emendandam inducet*, intelligimus non esse necessarium ad absolutionem, quod tanta animi contentione volunt Rituale Alectense, & cæteri Adversarii, nimirum pœnitentem debere esse emendatum, sanatum, nec talem esse, qui postea peccat. Quis scit, an hæc doctrina sit una ex illis, in quibus Pontifex damnans illud Rituale asseverat continere aliena à Rituali Romano? Prosequens Rituale Romanum docere, quæ necessaria sunt ad absolutionem ait: Videat autem diligenter Sacerdos quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces; quales sunt, *qui nulla dant signa doloris*, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, *& vitam in melius emendare nolunt, &c.* Adversarii non modo non absolvunt, *qui nulla dant signa doloris, & vitam in melius emendare nolunt*, ut docet Rituale, sed etiam, qui multa signa doloris habent, & qui vitam emendare volunt; volunt enim pœnitentem emendatum, non solùm se emendare volentem. D.Th. 3. par. q. 80. a. 4. ad 5. docet illum posse sumere Eucharistiam, *qui in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris*. Hoc non sufficit Adversariis; volunt enim ipsum etiam habere multa jejunia, multas eleemosynas, multas preces, & multa alia opera pia; hæc enim sola sunt signa contritionis; & peccator, utpotè à peccatis obcœcatus, nescit, & nequit ipsam in seipso contritionem cognoscere, si credimus Adversariis.

46. Denique Rituale monet Confessarium, ut convenientem satisfactionem imponat utendo verbis Tridentini sess. 14. cap. 8. tum subdit: Quare curet ... *ut contrarias peccatis penitentias injungat*; veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia . . superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia: Rariùs autem, vel seriùs confitentibus, *vel in peccata facilè recidentibus* utilissimum fuerit consulere, *ut sæpè, puta semel in mense . . . . Confitean-*

fiteantur, *etsi expediat*, *communicent*. Adversarii in peccata facilè delapsos, & seriùs confitentes, si accedant ad confessionem, rejiciunt, & mandant, ut non modò à frequentibus casibus caveant, sed etiam volunt, ut priùs omninò se à culpis liberos reddant, ut eos ad confessionem recipiant. Jueninus de Pœnit. q. 6. c. 5. art. 1. ait Rituale consulere confessionem, non verò absolutionem. Nonne rariùs Sacramentum pœnitentiæ suscipientibus contraria satisfactio est consulenda, quæ certè est menstrua Sacramenti susceptio? Tum ita Rituale consulit menstruam confessionem, *ut si expediat*, *communicent*. Num quis consulere potest, ut vel semel sumat Eucharistiam, nisi simul absolutionem consulat?

47. Ex dictis puto unumquemque omnibus argumentis facilè respondere posse, hinc nos pauca diluemus. Illa D. Isidori authoritas *Irrisor est &c.* de qua n. 4. & 7. sicut & illa Tridentini sess. 6. c. 14. nimirum ad veram pœnitentiam exigi cessationem à peccato ita explicanda sunt, ut ille sit pœnitentiæ irrisor, qui eodem tempore id agit, cujus pœnitet, vel idem, vel aliud peccatum mortale facere proponit. Ita Magister Senten. in 4. dist. 14. D. Bonav. dist. 14. par. 2. a. 1. q. 1. Durand. q. 6. ad 9. D. Th. 3. par. q. 48. a. 4. D. Raym. l. 3. de pœnit. & remiss. §. 2. & ejus glossator Villelmus Rodon. V. *non committere*. Joan. de Fribur. Sum. l. 3. de pœnit. & remiss. q. 4. & refert Petrum Palud. Gratian. de pœnit. dist. 3. §. 2. Glos. ibid. §. 1. V. *vera pœnitentia*, & alibi, & affert Jo. de Fant. Hi omnes ita explicant vel dictum Isid. vel alia similia, quæ ad idem in medium adduci solent ab Adversariis. Sed audiamus integrum locum D. Th. dicendum quòd pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere, scilicet simul, dum flet, vel actu, vel proposito; ille enim est irrisor, & non pœnitens, qui simul, dum pœnitet, agit, quod pœnitet; vel proponit iterum se facturum, quod gessit, vel etiam actualiter eodem, vel alio genere peccati; quod autem aliquis postea peccet vel actu, vel proposito, non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit; nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem; *sicut enim verè cucurrit, qui postea sedet; ita verè pœnituit, qui postea peccat*. Poterat loqui clariùs Angelicus Doctor? Poterat Illustriss. Episcopus Alectensis pro se citare authorem, qui minus sibi prodesset?

48. Explicatio hujusmodi confirmari potest ex alia doctrina D. Th. 2. 2. q. 24. a. 11. ubi docet eam esse veram charitatem, quæ habet propositum volendi Deum semper super omnia, quamvis postea ob mutabilitatem subjecti ipsum non amet, & amittatur

ob

ob peccatum. Ergo etiam erit vera pœnitentia, quæ habet propositum nunquam Deum offendendi, etsi posteà amittetur per peccatum, quod homo utpotè mutabilis patrabit. Ad quid ergo num. 4. exemplum rariùs febrientis afferre, & epileptici rariùs cadentis, & fœminę n. 11. solùm semel scortantis in mense? Ille febriens, & ille epilepticus habent in se qualitatem, quæ est causa necessaria morbi; quæque proindè opponitur sanitati; hinc illi adhuc infirmi sunt. Contra verò peccatum futurum sicut ex D. Th. non opponitur veræ charitati; ita nec veræ pęnitentiæ. Sic etiam illa fœmina apud Deum erit verè casta, etsi cadat semel in mense. Num plura exiguntur ad castitatem, quàm ad charitatem? Si ad hanc sufficit ex D. Th. semper operari magna proposito, non actu; & habere propositum Deum semper amandi, non actum; hæc non sufficient ad castitatem?

49. Si Adversarii abusi sunt auctoritate allata, quæ evidens est; nil mirum, si aliis, quoque abutantur. Abutitur Jueninus n. 7. D. Aug. vel alio, serm. 66. nam hic sermo potiùs nobis favet; cum n. 3. dicat *veram pœnitentiam non annorum numero, sed amaritudine animi censeri*. Abutitur etiam D. Greg. num. 13. nam S. D. loquitur de confessione Saulis confitentis, *ut honoraretur, non ut humiliaretur*. Loquitur de confessione, ex qua non sequitur fructus dignus pœnitentiæ. Tales confessiones revera dicere possumus *esse Folia*. Nos verò loquimur de confessione pœnitentis volentis humiliari, non honorari; volentisque facere fructus dignos pœnitentiæ. Hanc porrò confessionem Trid. sess. 6. c. 14. & vocat partem veræ pœnitentiæ faciendæ post lapsum; & sess. 14. eam dicit esse partem Sacramenti Pœnitentiæ. Num pars sacramenti, num pars veræ pęnitentiæ à viro Catholico nihili æstimanda erit; & *Folium* nuncupandum? Clericus etiam Belga n. 21. Tertull. de pœnit. c. 6. abutitur; hìc enim loquitur *de inituris aquam*; ideòque de baptizandis; *de aspergine cujuslibet aquæ*; ideòque de baptismo; non verò loquitur de absolvendis, & de absolutione; ita etiam explicat Pamelius; & hoc idem significant exempla servi, & militis à Tertulliano allata. Sed quis hominis confidentiam flocci non faciat, dum, ut probet justificationem difficilem, affert illud Luc. 14. *Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*? Nonne hoc dictum est merum consilium.

50. Sed cætera brevissimè percurramus, & refellamus. Revera olim plures Patres catechumenum sine baptismo morientem salvum fieri credebant; verùm alii damnari autumabant, ut notat Martene de antiq. Eccl. ritibus l. 1. c. 1. a. 9. n. 8. ergo Ritua-

le

le Alectense, Juenin. P. Natalis, & alii Adversarii dicere non debebant tam confidenter, & generaliter: *Patres nihili æstimasse periculum moriendi sine Sacramento* Maximi æstimandum est.

51. Fatemur etiam nos cum Conc. Tolet. III. allato n. 7. pœnitentiam dandam esse ad formam antiquorum Canonum; sed addimus, nisi sint correcti à Recentibus. Hinc danda non est, ut necessariò fiat ante absolutionem, ut quidam de Schola Adversariorum volebant damnati ab Alex. VIII. n. 16. Fatemur etiam cum D. Carolo, & multò magis cum Inn. XI. peccatores non esse statim absolvendos, *Si emendationis spes nulla appareat*; at negamus prima, vel altera vice in peccatoribus nostris hujusmodi spem non apparere.

52. Cum Deus sit paratissimus nobis succurrendi ex n. 41. 42. & nos vel teneamur statim ad contritionem, ac peccata recordamur; vel id sit congruum; ideò manifestè est falsum, quod Juen. n. 9. dicit, nimirum Contritionem non effici nisi post tot, & tanta pietatis opera. Hinc multò magis credimus concubinum verè pœnitere, qui, ne ampliùs peccet, concubinæ nubit, quicquid dicat Juen. n. 10. qui etiam clarè loquitur contra D. Dh. relatum n. 47. dum dicere audet n. 12. illum non habuisse verum propositum omnia peccata vitandi, quia postea in aliud incidit. Sed cur n. 13. ait, si quis in grave externum peccatum incurrit, v. g. in adulterium, ante absolutionem debere operam dare, ut multis operibus bonis à Deo impetret contritionem? Num si hæresim, peccatum quidem internum, sed longè graviùs adulterio, committat, facilè se conterere poterit?

53. Nunc nonnullis Clerici Belgæ argumentis respondeamus. Si Rituale Romanum præcipit, ut confessarius, antequam pœnitentem absolvat, ipsum inducat ad vitam emendandam, cur num. 17. vult eum esse emendatum? Ad locum D. Matt. *quàm angusta &c. & pauci sunt, qui inveniunt eam*. Hunc locum D. Aug. l. 2. de serm. Domini in monte c. 23. explicat de iis, *qui jugum leve Christi, & sarcinam levem respuunt. .. eoque fit arcta via, quæ ducit ad vitam, & angusta porta, qua intratur in eam*. Nonne hi sunt peccatores omnes, præsertim infideles, qui nolunt baptismum recipere, qui Sacramentum Pœnitentię rejiciunt? Si conferantur cum his illi, qui viam vitæ ingrediuntur, hi pauci sunt, illi verò multi, & benè multi. Igitur, ut sententiam nostram clarè exprimamus, dicimus multos Catholicos salvari, sed paucos homines; multi enim homines æternùm pereunt. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, dicebat Christus. Nonne omnes homines vocantur, & soli ex Catholicis eliguntur? Si comparentur

tur Catholici cum cæteris, nonne pauci sunt? Ergo, etiam si diceremus omnes Catholicos salvos fieri, quod tamen falsissimum est, nihilominus verum esset paucos ingredi in viam salutis, paucos salvos fieri.

54. Ad illud n. 20. de Disc. Eccl. antiquæ dicimus TT. inter conditiones confessionis illam ponere, quod sit *lachrymabilis*, idest cum *contritione* ex D.Th. in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. quęstiun. 4. & D.Anton. par. 3. tit. 14. c. 19. §. 5. Concilium quidem Tride. ad veram pœnitentiam sess. 6. c. 14. & sess. 14. orationes, jejunia &c. postulat; at hæc postulat in satisfactionem sacramentalem, quam ibidem fructus dignos pœnitentiæ appellat. Porrò satisfactio Sacramentalis ex Alex. VIII. prop. 16. necessariò non est facienda ante absolutionem. Ergo si alios fletus, & labores Ecclesia antiqua ad Sacramentum exigebat, erat ex lege ejusdem Ecclesię, non ex lege Dei.

55. Ad primam rationem n. 23. cum ex Theologis peccator statim, ac peccatorum recordarur vel debeat, vel congruum sit, contritionem efficere; si ad confessionem accedat ex desiderio se à laqueis peccatorum extricandi, & præterea seriò dicat se dolorem, & propositum habere, possumus, licèt pluries peccaverit, saltem prima, vel secunda vice ei credere, ipsumque statim absolvere. Alias rationes facilè diluemus proposit. 87. & 88. Quesnelli damnatas considerando: *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.* Ergo vera sapientia, & charitas volunt, non ut tempore aliquo in statu peccati sistamus, sed ut statim perniciosissimum illum statum deseramus, & abjiciamus; hinc Eccl. 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius.* Vide Patrem Vivam in hujusmodi propositiones.

56. Ad exempl. D.Aug. n. 24. dicimus, si quis accederet prima vice annos 2. & 30. ætatis suæ ad confessionem cum tot, & tantis criminibus, & habitibus vitiosis, ut habebat Aug. quando scripsit allata à Clerico nostro; dicimus, inquam, statim nos hunc non esse absoluturos, illumque rejiceremus, & vellemus, ut se exerceret in operibus piis non quidem per menses, & annum, sicut Adversarii vellent, sed per aliquot dies, ut facit

Eccl.


Eccl. Rom. in baptizandis. Ratio est, quia excepto baptismo ita se haberet, sicut baptizandus. Ergo eodem jure judicandus est. Nostros verò peccatores statim plerumque absolvimus, qui multò pauciora peccata habent, & eorum habitus vitiosi tam altas radices non tenent, & voluntates contrariæ, quibus dilaniantur, non sunt tam intensæ, ut per gratiam, quam Deus dat peccatoribus, etiam statim, atque ipsa peccata recordantur, vinci non possint.

57. Hæreticam puto esse prop. 51. Quesn. *Fides justificat, quando operatur. Sed ipsa non operatur nisi per charitatem.* Plures etiam sequentes ejusdem furfuris sunt. Hinc constat falsum esse peccatores nostros reperiri in primo, & in secundo statu tanto verborum apparatu descriptis à Clerico n.25. Quis Catholicorum ignorat nostros peccatores Catholicos credere, sperare, & opera supernaturalia Virtutum Cardinalium ex fidei regula efficere? Ergo reperiuntur in tertio statu. Quis Catholicus dicere potest, ut n.26. facit Clericus, peccatores nostros totos vivere ex sensibus, cum tot, & tanta opera efficiant supernaturalia, & plura, quam peccata? Quis justissimè non irascatur audiens sensus judicare suum objectum esse honestum? Quid, quæso, judicat sensus de ebrietate, v. g. Cogitabat esse sibi delectabilem. Num Fides docet esse sensui injucundam? sensus judicat divitias utiles esse ad ducendam vitam voluptuosam in hoc mundo. Num Fides hoc negat? Ergo peccator cogitationes mutare non debet, sed voluntates, & quidem solùm malas, eas scilicet quibus Deum *mortaliter* offendebat, non verò cæteras, quibus vel benè operabatur, vel indifferenter, vel solùm venialiter peccabat. Quæ refero ex Arn. Opusc. Auctoris anonymi, & P. Natali ab Alexan. facilè ex seipsis diluuntur; hinc illa prætereo.

58. Ad ea, quæ n.32.33. recentiss. Auctor scribit (concedendo interim revera non Ecclesiam aliquam, sed Catholicam Sacramentum Pœnitentiæ ministrasse, ut vult ipse.) Respondeo conversionem subitam, & perfectam esse inter miracula numerandam, & de hac expresse loquitur D. Th. secus verò conversionem imperfectam, quę scilicet ex se non justificat. Nunc quæro ab Adversario, ut mihi D. Th. verba ostendat, quibus dicat hanc imperfectam pręparationem *paulatim fieri*, præsertim ita explicando illud adverbium *Paulatim*, ut significet longum tempus; v. g. plures dies, hebdomadam, mensem, ut volunt Adversarii.

59. Concedimus etiamnum mundum *deploratis peccatoribus scatere*; Fides enim docet Eccl. ex Electis, & sceleratis constare contra

tra errorem Calvini renovatum à Quesn. n. 72. 73. 76. Dubium solùm est, an plures scelerati nunc sint, quam fuerint prioribus duodecim sæculis, quibus ait Auctor *fuisse sceleratos à sacris mysteriis remotos, donec resipuerint*. Primis tribus sæculis longè pauciores fuisse inficias non ibo. Nego de novem sequentibus. Toto quarto sæculo vidimus n. 39. Cæsaream Mauritaniæ immani illa, & crudeli consuetudine turpissimè possessam dimicandi pluries; unde & Parricidia, & Filicidia, & Fratricidia, nedum homicidia, oriebantur. Sæculo 10. *sæculo ignorantiæ, & feritatis*, tota Italia adeò perjuriorum, & perjurorum erat plena, ut Otho Imper. cum consensu *Regis Italiæ, & omnium Procerum*, ut pessimum hunc morem, pejorem illo Cæsareæ ex D. Th. à Tribunalibus repelleret, legem juramenti ad finiendas lites laudatam etiam à D. Paulo abrogaverit, & loco ejus legem barbaram, legem inhumanam, legem crudelissimam Duellorum constituerit, ut constat ex l. 2. Legum Longobard. tit. 56. leg. 35. & seqq. Sed quid de Sæculo 11. dicemus? Ea brevitatis gratia prætereo, dicturus, si opus fuerit, in alia disputatione; Sicut, ut eidem brevitati consulam, citare omitto tum Veteres, tum Recentiores, qui meæ opinioni clarissimè favent.



DISPUTATIO QUARTA.

De Auctoritate Divi Augustini.

SI unquam necesse fuit, ut aliqua quæstio à Theologis tractaretur, procul dubio hæc est, quam in præsenti agitare conabimur; scimus enim, & vehementer dolemus, Jansenii fautores eò dementiæ processisse in extollenda D. Aug. auctoritate, ut illud pronunciatum dicere non erubuerint. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Cum ergo hic mos apud Theologos viguerit, ut nascente aliquo errore statim ad ipsum explodendum veritatem per disputationem ostenderent; jam videre possumus nostræ quæstionis necessitatem. Sicut autem D. Aug. pugnaturus cum

Pelagianis, ut eos profligaret lib. 2. contra Julian. Pelag. aliud genus armorum magis idoneum non invenit, quàm testimonia illorum virorum, qui ante controversiam vixerant, ratus viros illos egregios, quia eo tempore floruerunt, quo nondum quæstio nata erat, solo amore veritatis, non partium studio, loquutos fuisse, quæcunque dixerant. Ita ego, ut veritatem in re nostra deprehendam, nil aptiùs esse puto, quàm illorum Doctorum auctoritates in medium proferre, qui multo tempore ante disputationem in Ecclesia Catholica vixerunt; præsertim cum ab illis temporibus ad hæc nostra nihil acciderit, quamobrem ab eorum opinione recedere debeamus. In hac disputatione uti mihi placet hac methodo, priùs nonnullas approbationes de Doctrina D. August. referam, postea quomodo antiqui Theologi eas intellexerint; ex quibus facilè intelligere licebit, quanti à nobis æstimandus sit S. Doct.

2. Primus ex Pontificibus, qui scripta S. D. approbavit, fuit S. Cœlestinus I. in Epist. ad Episc. Gall. ubi hæc habet. Augustinum Sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, *nec unquam sinistre suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper Decessoribus haberetur*. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, utpotè qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori; *unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus*.

3. Gelasius Primus in Concilio Romano, ut refertur in Can. *Sancta* 15. dist. Opusc. S. Aug. hisce verbis approbavit: *In Ecclesia Catholica recipiuntur Opuscula B. Augustini Hipponensis Episc.* Illud tamen hìc notandum ab hoc Pontifice nobiliùs approbari Epistolam Leonis Magni ad Flavianum, ait enim. Item Epist. B. Leonis Papæ ad Flavianum, *Cujus textum quispiam si usque ad unum jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit*. Hæc Epistola vi hujus Decreti nullum enuntiatum continere potest, quod non sit verum.

4. Joannes Secundus Epist. 3. ad Senat. de S. Aug. ait *Cujus doctrinam secundùm Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia.* Et Joa: XXII. apud Noris in Vindic. cap. ult. n. 37. dicit Aug. &c. Catholicæ Fidei veritatem in lucem produxit, eduxit in publicum, firmis, ac invictis rationibus solidavit; Martinus V. in serm. de translat. Corporis S. Monicæ apud eundem Noris n. 152. hæc habet: Quicunque de Christo, de fide, de religione aliquid saperent, omnibus in ore erat August. *ut nihil penè ex Sacris litteris possit, nisi eo duce, intelligi; nihil, nisi*

eo interprete, explicari. Eo jam auctore factum est, *ut nec Philosophis sapientiam invideamus*, non Oratorum eloquentiam desideremus, *non denique acumen Aristotelis necessarium sit, non Platonis eloquentia*. Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces refert; *idem omnem omnium Scripturarum sensum exprimit. Unus postremò omnium Patrum, Sapientumque ingenia, ac studia exhibet. Si veritatem quæris: quis doctior?*

5. Sanctus Hormisda Epist. 77. ad Possess. ait. De arbitrio tamen libero, & gratia Dei, quid Romana, hoc est, Catholica sequatur, & servet Ecclesia, licèt in variis lib. B. Aug. & maximè ad Prosperum, & Hilarium abundè possit cognosci, tamen & in Scriniis Ecclesiasticis expressa Capitula continentur. Alex. VII. in Brevi dato ad Lovanienses ait Nomina D. Aug. & D. Th. penes Catholicos omnem laudem esse supergressa, nec nova commendatione egere.

6. Sed Henrico Norisio ubi supra c. 1. illud præconium D. Aug. præ cæteris placere videtur, quod Clemens X. S. Doctori dedit Diplomate de anno 1671. 18. Decembris, quo Indulgentiam plenariam adeuntibus templa Augustinianæ Familiæ festo die ejusdem S. Doct. concessit. Ait ergo Pontifex: Itaque eximia, omnisque humanæ laudis præconium longè supergressa S. Aug. Episc. Confess. & Eccl. præclarissimi, qui Spiritu Dei plenus hæresum, errorumque tenebras tanquam fulgentissimum Christianæ eruditionis jubar profundissimis, simulque Sole clarioribus scriptis profligavit, & hominum corda eo, quo ipse ardentissimè flagrabat, Charitatis igne succendit, decora grato, devotoque mentis affectu recolentes &c. Quia Noris dubitabat quosdam non credituros verè à Pontifice tantum præconium S. Doct. datum fuisse, signa omnia ob oculos ponit, ex quibus Diplomata Pontificia authentica esse deprehenduntur.

7. Si quis optat videre innumera præconia à plurimis ex Patribus facta de Doctrina D. Aug. consulat dictas Vindicias Henrici Noris cap. ult. ubi copiosissimè illa refert, & tuetur. Inter alia Adversarii dicebant, *licitum esse absque erroris, & temeritatis nota Augustini sententiam non semper sequi*: eos rejicit n. 40. ex ipso D. Aug. de dono persev. c. 21. dicente: Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. Rejicit etiam ex S. Idelphonso serm. 2. de B. V. dicente. *Audiant B. August. cui contradicere fas non est.*

8. Censores etiam dicebant Cœlest. Papam non vocasse Augustinum *Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, primum Angelum inter cæteros Episcopos, inter omnes excellentissimum, & ve-*

rè irrefragabilem, & ineffabiliter mirabilem; sed habitum esse dicit à suis Prædecessoribus Innocentio, Zozimo, Bonifacio inter optimos magistros. Notat P. Dominicus Viva in Theses damnatas ab Alex. VIII. n. 3. S. Doct. hisce præconiis laudatum fuisse à Jansenio. Norisius n. 80. censores rejicit ex Eccl. Augustiniana in officio Canonico canente *S. Augustinum assumptum fuisse cum Angelis, ubi gaudet cum Prophetis, lætatur cum Apostolis,* quorum plenus Spiritu, quæ prædixerunt mystica, fecit nobis pervia, *post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia.* Rejicit etiam ex S. Prospero vocante Aug. *excellentissimæ auctoritatis virum;* ex Cassiodoro eum appellante *Magistrum admirabilem,* & ex B. Jordane de Saxonia dicente ipsum *propriè vocari alterum Angelum.*

9. Hæc, atque alia plurima præconia jure optimo attributa esse D. Aug. quis ibit inficias? Nihilominus quæstio adhuc restat de modo eas explicandi; Sicut quamvis Sol sit lucidissimus, & splendidissimus; non propterea nostri perspicaces Recentiores labori parcere voluerunt, quo investigarent, quanta luce, & quanto splendore Sol præditus esset. Sic etiam, licèt Scriptura Sacra sit verissima, & certissima; tamen Catholici summos conatus impendunt ad rectam ejus interpretationem.

10. Hic ergo quatuor discutienda propono, primum, an omnia dicta, quæ legimus in libris S. D. sint vera. Alterum, an saltem moralia omnia sint vera. Tertium, an omnia sint intelligenda, ut verba sonant, & in ea universitate, in qua scripta sunt. Quartum denique, an saltem in materia de Gratia tanta sit ejus auctoritas, ut ipsius sententiam sequi teneamur ex eo, quòd ejus Doctrina sit Ecclesiæ Doctrina. Ratio quamobrem de hisce dubitare licet, est; quia vidimus Concilia Generalia, præsertim Tridentinum, longum tempus trivisse, ut solùm nonnullas controversias dirimerent. Romani etiam Pontifices, ut paucos errores exploderent, post longissima DD. examina id perfecerunt. Ergo, ut rectè argumentatur Abulensis par. 2. Defens. c. 81. ad singula dicta D Aug. approbanda, cum sint penè innumera, requireretur tempus adeò longum, ut sæcula non sufficerent. Quando autem Ecclesia, vel Pontifices tanto examine omnes libros S. D. discusserunt?

11. Quod ad primam quæstionem attinet, tanti olim æstimabatur doctrina S. D. etiam in re philosophica, ut in proverbii consuetudinem veniret, *De hoc dubitat Aug.* Hinc Christophoro Columbo paranti ire ad Antipodas, ut refertur in ejus histor. c. 12. inter alia ipsi objiciebatur illud commune adagium, cui

aliud

aliud validum , & firmum aut noluit , aut non potuit opponere , nisi excelsam sui animi magnitudinem , qua decreverat oculis suis videre, an hoc ipsum proverbium verum esset ; sicut etiam , an oceanus esset immensus , ut dicebat etiam D. August. Igitur Heros magnanimus ivit , vidit , vicit , oceanumque non esse enormis longitudinis ostendit , antipodasque esse homines veros , non fabulosos ; suoque facto admirabili nos docuit , homines , quamvis doctissimos , falli posse in rebus ad experientiam pertinentibus . Ex hoc ego edoctus credere nolui Theologis communiter per plura sæcula dicentibus *Infantes in utero ablui non posse* , & volui ab expertis in arte , ut lex ff. *de inspic. ventr.* præcipit, veritatem ediscere in hac materia . Illud , quod mihi maximè displicet , est , quod ita D.Aug.lib. 16. de Civ. Dei c. 9. negat Antipodas , ut contrariam opinionem fabulam vocet nulla ratione credendam . *Fabulantur . Nulla ratione credendum est .* Fateor , inquam , hoc mihi plurimùm displicere ; cum enim contraria opinio à multis defenderetur , & rationes planè non contemnendas haberet ; videbatur æquum illam inter fabulas non collocare . Hinc Scotistæ opiniones Thomisticas fabulosas nunquam vocare audebunt ; licèt ipsi suas opiniones probabiliores credant . Ad ejus excusationem , si placeret Adversariis, possemus dicere S. D. *excessivè loquutum fuisse* . Sed illud mihi magis displicet , quòd Norisius , ut cap. 4. §. 8. aliquo modo S. D. ab errato tueretur , ejusdem falsitatis reum facit Zachariam Romanum Pontificem . Tanti ergo interest D. Aug. defendi , etiam in re philosophica , ut ad extenuandum hujusmodi errorem fas sit facere in eo socium Zachariam Romanum Antistitem ? Sed in seq. disp. num.42.evidenter ostendam Zachariam Antipodas non negasse ; sed *alios homines* , *alium Mundum* , *alium Solem* , *aliamque Lunam* , quod est adeò diversum, sicut est Fides Catholica ab errore Philosophico .

12. Hìc non relinquam animadvertere falsò non minùs,quàm protervè ab Jo: Pherepono , Calvinistæ sectæ Ministro , S. D. oppugnari ; ut enim irrideatur tanquam docens errorem scitu facillimum , scribere ausus est Antipodas esse adeò pervios , ut Aphri (ideòque , & ipse Aug.) vel navibus Africæ oram legendo , vel pedibus ad illos ire possint . Nonne S. D. de Antipodibus loquitur , *quibus Sol oritur* , *dum nobis occidit* ? Ad hosce Antipodas vel pedibus, vel navibus Africam legendo Afri pervenient? Oppugnat etiam ipsum , quasi negaverit Antipodas ex eo , quòd ob æstum Zonæ torridæ illuc ire non possimus . Hæc falsitas videri potest etiam à lippis , & tonsoribus , si legere sciant . In hac

quæstione S.D. nec nomen Zonę torridę habet. Sed longiorem, & graviorem refutationem morabimur ab eruditissimo *De Muratoribus*, dum iterum cudet *Lamindum Pritanium*, ubi in tot materiis tam egregiè tuetur S. D. contra injustas, & impias criminationes ejusdem Pherepon. Ad rem redeamus.

13. D. Th. in 2. dist. 13. q. 1. art. 3. ad 1. Sibi objecerat aliqua ex D. Aug. in quibus dicit Lucem inter corpora primas tenere; Cum autem D. Th. lucem esse accidens sustineat, respondet auctoritatibus ex D. Aug. Nihilominus Aug. non intendit hoc asserere quasi fidei conveniens; Sed sicut utens his, quæ Philosophiam addiscens audierat; *& ideò illæ auctoritates parum cogunt*. Habes ergo hìc auctoritatem D. Aug. in materia philosophica parum nos cogere. Revera, cum præconia S. D data à Summis Pontificibus, & Patribus proveniant à Personis, quæ solùm controversias Fidei, & morum dirimere possunt; sequitur nihil contra Pontifices, & Patres nos loqui, si dicamus D. Aug. in re philosophica erravisse.

14. In materia etiam de Angelis, quamvis sit partim naturalis, partim supernaturalis S. D. auctoritas non videtur esse tanta, ut est in aliis. Hoc dicere non auderem, si priùs ante quatuor sæcula, & ampliùs hoc non dixisset *Fundamentalis Doctor*, Ægidius Columna, Religiosæ Familiæ Augustinianæ Alumnus Celeberrimus. Hic ergo in 2.dist.8.q.2.art.5. fin.ad sec.dub.later. scribit: *Dicendum ergo quòd*, ut sæpiùs diximus, *Augustinus ut plurimùm de Angelis loquitur non asserendo, sed opiniones recitando, vel dubitando, & modos ponendi assignando*. Revera Ægidius pluries repetit hanc doctrinam. Loca non refero brevitati consulens.

15. Verùm, si materia naturalis ad mores pertineat, certam auctoritatem obtinebit S.D.? In re ergo morali S.D. semper sequutus est veritatem, quæ est quæstio secundo loco proposita? Meritò queritur Noris in Vindic.c.4.§.6.de quibusdam Recentioribus dicentibus D. Aug. docuisse delectationem morosam non esse peccatum mortale; & clarè demonstrat hujusmodi falsitatem. Certè, si nullus ex *l.fin.C de probat.* & Can. *sciant cunctis* 2. q. 8. est condemnandus, nisi clarè constet de delicto; multò minus vir probatissimus, & totius Orbis testimonio celebratissimus, ut est D. August. damnandus erit de falsitate, nisi ejus errata sint luce clariora.

16. Dices in c.7. de fide, & Symbolo ait S.D. *Tale enim simulacrum* (Patris æterni sedentis) *Deo nefas est Christiano in templo collocare*. Hoc enuntiatum morale est; & tamen à toto Orbe

Ca-

Catholico in Ecclesiis tale simulacrum locatur. Quin etiam contrarium ab Alex. VIII. num. 25. damnatur ut error.

17. Mihi maximè placet responsio, quam amicus meus, & S. T. Doct. ex PP. Benedictinorum Familia Illustriss. me docuit, nimirum S. D. loquutum fuisse de tempore, quo vivebat; illo enim tempore ob hæreses docentes Deum esse corporeum Ecclesia simulacra de Divinis Personis in suis templis non collocabat, quod tamen extincta jam illa turpissima hæresi toto Orbe factum est posterioribus sæculis; hinc optimo jure Alex. VIII. loco cit. damnavit Jansenii fautores renovantes morem priscum Ecclesiæ laudatum quidem pro suo tempore à S. D. sed posteà abolitum ab Ecclesia.

18. Igitur repeto me adhuc non invenisse dictum D. Aug. in se morale, quod falsum repertum fuerit; quia tamen vidi rationes naturales, quamvis illo tempore probabiliores, quibus S. D. negaverat Antipodas, non fuisse certas; hoc exemplo motus, & edoctus fui ad examinandas rationes naturales, quibus baptismum denegat infantibus existentibus in utero; cumque viderim eas certas non esse; ideò ad majorem Christi gloriam, & ad procurandam tot infantium æternam salutem, quam certò amitterent, si nostram opinionem non sequeremur; judicavi D. Augustini opinionem esse explicandam de tempore, quo uterus est clausus; vel si ita commodè explicari non posset, esse, salva omninò reverentia ex mille titulis debita Doctori maximo, deserendam propter validissima rationum momenta, quæ copiosè satis disp. 1. cap. 8. exposui, præsertim cum Doctor Seraphicus, D. Bonaventura, expresè, & clarè dixerit, sicut & alii Antiqui, *Asserta* Patrum esse quidem necessariò sequenda, non ita opiniones.

19. Existimo etiam nobis fas esse non sequi opinionem illam, qua S. D. vult conjuges *venialiter* peccare, si sine fine prolis copulam habeant. Hoc docuit in Ench. c. 78. De Bono Conjug. c. 10. De pecc. Orig. l. 2. c. 28. & contra Julian. Pelag. l. 5. c. 16. Ratio est, quia conjuges matrimonio utuntur non solùm, quando spes prolis affulget; sed etiam quando jam senes evaserunt. Ita etiam steriles faciunt; velle autem hosce omnes de culpa damnare, non ita facilè dicendum est. Præterea quis non hortatur concubinum, ut Concubinæ, etiamsi hæc sit senex, vel sterilis, nubat? qui autem sic hortatur, vult, ut concubinus copulam conjugalem habeat cum hac fœmina vetula, & sterili ad fugiendam luxuriam, non ad prolem gignendam; cum hæc fœmina sit vetula, & sterilis. Quis verò dicet hosce hortatores *venialiter* peccare? imò quis eos

non laudet? Hanc opinionem sequi non auderem, nisi ante tradita fuisset à multis Theologis antiquis, & Recentioribus, quos videbis apud Pontium de Matr. l. 1. c. 21. num. 4. & l. 10. c. 8. n. 5. & apud Sanch. de Matr. l. 9. disp. 9.

20. Admonendos hìc lectores meos censeo, ex eo quod ego non sequar opinionem D. Augustini docentem copulam conjugalem esse peccatum, si fiat sine prolis desideratione, non sequi propterea, ut velle videtur Noris in Vindic. August. c. 3. §. 8. me docere fas esse copulam habere cum conjuge ob solam voluptatem. Hunc errorem, quem D. Augustinus, & alii Patres exploserunt, semper execratus sum, & nostris temporibus damnatus est ab Innoc. XI. num. 9. Doceo ergo solùm copulam conjugalem esse licitam, non modò cum fit ex desiderio prolis; sed etiam cum fit ad *fornicationem* vitandam; & ideò hoc doceo, ne damnem omnes steriles, & omnes senes, juvenesque illos, qui uxores quolibet anno gravidas habent. Vide Cardenas in propos. damnatas ab Innoc. XI. differ. 2. c. 2. art. 2.

21. Sed tempus est, ut de 3. quæst. differamus. Quærimus ergo an omnia, quæ scripsit S. D. de rebus supernaturalibus, ita sint accipienda, ut eum nunquam *excessivè* loquutum fuisse dicere non possimus. Questio presertim est in materia de pœna sensibili infantium morientium sine baptismo; hosce enim pueros torqueri ab igne videtur dicere in pluribus locis, quos in medium adducit Noris. in Vind. c. 3. §. 5. Antiqui, quia credebant Libr. de fide ad Petrum esse D. Aug. duo loca ex ipso afferebant, alterum ex c. 3. alterum ex c. 27. Hoc loci ita scribit: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites* non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive jam de matribus nati sunt sine Sacramento sacri baptismatis... de hoc seculo transeunt, *ignis æterni sempiterno supplicio puniendos*.

22. D. Th. de Malo q. 5. a. 2. ad 1. & 2. ita hasce auctoritates interpretatur, & alias similes: Nomen tormenti, supplicii, gehenne, & cruciatus, vel si quid simile in dictis SS. inveniatur, *est largè accipiendum* pro pœna, ut ponatur species pro genere, ideò autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianor. qui asserebant in parvulis nullum esse peccatum, nec eis aliquam pœnam deberi: *Et per hoc patet responsio ad secundum, & tertium, & ad omnia similia*. Sequuntur hanc interpretationem Ægid. in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. Argentinas ibidem art. 3. ad 4.

23. D. Bonav. ibidem art. 3. q. 1. ad 1. ait: Quod Augustin. in

ver-

verbis illis non intendit dicere, quod parvuli sensibiliter crucientur; sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad carentiam visionis, & quantum etiam ad vilitatem loci; *& hoc valdè abundanter exprimit plus dicens, & minus volens intelligi.*

24. Richardus ibidem art. 3. q. 1. Scotus ibidem q. un. ad 1. dicunt S. D. *excessivè loquutum fuisse.* Addit Scotus hanc interpretationem esse Bonaventuræ, cum quo ait: *Augustinus excessivè loquitur de illis pœnis, sicut frequenter faciunt Sancti:* quia aliqui dixerunt eos nullam habere culpam; & ita nullam pœnam; quia secundùm Philosophum, sicut in moribus via deveniendi ad medium est aliqualiter procedere ultra medium versùs extremum 2. Eth. c. ult. *Ita frequenter Sancti extinguendo contra se hæreses pullulantes*, excessivè loquuti sunt volentes *declinare ad aliud extremum.* Interpretationem D. Bonav. & Scoti sequuntur Capreolus in 2. dist. 33. q 1. art. 3. & Gabriel Biel ibid. dub. 2. Capreolus addit hanc interpretationem ex doctrina D. Thomę proficisci. Antonius Andreas, & Joannes Major interpretationem tum D. Th. tum Scoti amplectuntur.

25. Alexander Alensis, Doctor irrefragabilis, par. 2. q. 105. membr. 10. §. 1. ait D. Aug. ita esse explicandum, ut peccatum actuale habentes sint in igne ratione ardoris, *ratione verò tenebrositatis habentes peccatum originale.* Albertus Magnus 2. par. Sum. tract. 17. q. 113. explicans auctoritatem allatam S. D. & illam ex Matt. 25. *Ite in ignem æternum*, ait ignem esse pœnam peccati originalis, non *ratione adustionis, quæ est in igne*, scilicet quod sentiant adustionem, *sed ratione tenebrositatis loci infernalis.* Ecce evidenter pueri quidem erunt in igne æterno, ut dicitur in dictis auctoritatibus; non tamen adurentur: *Non ratione adustionis*, sed *ratione tenebrositatis*, inquit Mag. Alb.

26. Ex his intelligere licet Richard. Scotum, Capreolum, Andream, Biel, Majoremque credere in hac re D. Aug. *excessivè* loquutum fuisse. Quin etiam, si Scoto credimus, ita credidit D. Bonaventura; si verò fidem Capreolo habemus, ita etiam Doct. Angel. Et revera quid aliud est *excessivè* loqui, nisi verbis plus significare, quàm veritas postulat? per D. autem Th. D. Aug. usus est nomine speciem significante, cum uti deberet nomine genus significante; nemo verò nescit nomen speciei significare plus, quàm nomen generis. Sic etiam ex S. Bonav. S. D. *plus dixit, cum minus vellet intelligi.* Hoc *valdè abundanter exprimit.* Ita faciunt *excessivè* loquentes, ut sunt Rhetores, etiam sacri, qui *plus dicunt, & valdè abundanter res exprimunt*, sed, ne auditores decipiant, *minùs intelligi volunt.*

27. Post-

27. Postquam Theologi unanimi consensu per duo sæcula hanc benignam opinionem tradiderunt, Gregorius Ariminensis in 2. dist. 30. q. 3. primus fuit, qui de ea dubitavit, conatusque est interpretationem illam Scoti, & sequacium de doctrina D. Aug. rejicere dicens *D. Aug. in hoc libro* (de fide ad Petrum) *fidei regulas tradit; si autem mihi licet dicere S. D. in hac fidei regula* excessivè loqui, *alii dicent excessivè loquutum fuisse in aliis fidei regulis; quas in eodem libro affert; ex quo sequeretur nos in multos errores lapsuros*. Capreolus acerrimè rejicit hanc doctrinam, & ait Non est mirum, si Aug. in regulis fidei aliquas locutiones metaphoricas interserat; *cum Christus in doctrina fidei parabolicè loqueretur;* & attento, quod Aug. Rhetor, & Rhetoricæ doctor fuerit, cujus scientiæ modus est typicè, & figurativè loqui. *Nec solùm in regula, quæ allegatur, imò in aliis ejusdem libri simili modo loquendi utitur*.

28. Quia verò dictus Liber *de fide ad Petrum* ex Recentiorum placito non est D. Aug. ideò referam regulam fidei, quæ certò à S. D. tradita sit; quæque metaphoricè sit explicanda, & in ea *excessivè* sit locutus. In Epist. 217. aliàs 107. cap. 5. duodecim fidei regulas de Gratia Vitali mittit. Octava erat hujusmodi: Scimus etiam parvulos secundùm ea, quæ per corpus gesserunt recepturos vel bonum, vel malum. Gesserunt autem non per se ipsos, *sed per eos, quibus pro illis respondentibus, & renuntiare Diabolo dicuntur, & credere in Deum;* unde & in numero fidelium computantur pertinentes ad Sententiam Domini dicentis: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Propter quod & illis, qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit, quod sequitur: qui autem non crediderit, condemnabitur. Unde & ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundùm ea, quæ per corpus gesserunt, idest, tempore, quo in corpore fuerunt, *quando per corda, & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt;* quando baptizati, vel non baptizati sunt; *quando carnem Christi manducaverunt, vel non manducaverunt; quando & sanguinem biberunt, vel non biberunt;* Secundùm hæc ergo, quæ per copus gesserunt, non secundùm ea, quæ, si hìc diu viverent, gesturi fuerant, judicantur.

29. Non esse necessarium ad puerorum salutem, ut, qui pueros gestant, id est Patrini, vel ore, vel corde credant, nemo ignorat; sufficit enim, si Minister volens facere, quod facit Ecclesia, ipsos baptizet. Illa verba: *Quando carnem Christi manducaverunt, vel non manducaverunt; quando sanguinem biberunt, vel non biberunt*, in proprio verborum sensu significant sumptio-

nem

nem Sacramenti Eucharistiæ, & quidem sub utraque specie, ut patet ex Trident. sess. 21. c. 1. illa verba Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem &c.* expendente; hinc, si non dicamus metaphoricè, & excessivè S. D. esse loquutum, errantem turpiter ipsum traduceremus. Quidam Recentior, ut defendat contra aliquos Recentiores D. August. non docuisse Eucharistiam esse necessariam ad salutem pueri, affert August. tract. 27. in Joan. ita scribentem: Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Adducit etiam Fulgentium ita dicentem; *Nec quicquam esse aliquatenus ambigendum* tunc unumquemque fidelium corporis, sanguinisque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum Corporis Christi efficitur; nec alienari ab eo panis, calicisque consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Ex his Noris dicit secundùm D. Aug. pueros manducare carnem Christi, & bibere ejus sanguinem, quando per baptismum redduntur apti ad manducandam carnem Christi, & sanguinem bibendum. Si hæc est legitima interpretatio, jam Vitalis, si non erat apprimè versatus in scriptis S. D. non potuisset percipere hanc fidei regulam; cum alioquin regulæ captu faciles tradi solent. Præterea Aug. hìc vult docere Vitalem, quæ facienda sunt in corpore pueri, ut puer salvus fiat. Et ait debere credere per corda, & ora gestantium; debere baptizari; debere manducare corpus, & bibere sanguinem Christi. *Si crediderunt per corda, & ora gestantium, vel non crediderunt; si baptizati sunt, vel non baptizati; si manducaverunt, vel non manducaverunt Corpus Christi, judicandi sunt.* Si hæc omnia explicanda sunt, ut verba sonant, non verò metaphoricè, vel excessivè, tres actiones essent faciendæ in corpore pueri; & tamen certum est sufficere, *Si baptizati sunt.*

30. Redeamus nunc in viam, à qua non nihil deflexisse videmur. Dices ergo ex eodem Recentiore; Si Scholastici incidissent in testimonia Synodorum, & Pontificum, ne latum quidem unguem ab Augustini sententia discessissent; cum sint adeò evidentia; ergo D. Aug. excessivè locutus non est in materia de pœna sensibili puerorum &c. Sed contrà; quia quamvis D. Th. & cæteri antiqui Theologi non afferant contra se, nisi D. Aug. & D. Greg. tamen D. Th. alia testimonia Patrum viderat, & per doctrinam, qua explicat illos duos Patres, intendit cæteros interpretari. Nonne expresè ait: *Et per hoc patet responsio ad secundum, & tertium, & ad omnia similia?* Nonne clarè dicit:

No-

Nomen tormenti, supplicii, Gehennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, *est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere?* Nonne ita etiam priùs scripserat in 2.dist.33.q.3. art. 1.ad 1.? Ergo D. Th. licèt expresse mentionem non faciat de his Synodis, Pontificibusque, quos legisse gloriatur; tamen dicere necesse est ea loca vidisse; sed brevitatis gratia omisisse; & quia viderat eadem responsione dilui.

31. In unico eventu palmam sibi promittere supra D. Thom. posset; si nimirum hæc loca à se visa clariora forent iis, quæ attulit ipse Doct. Ang. Verùm hoc est apertè falsum. Experiamur. Duo genera auctoritatum affert, primum expresse dicit hujusmodi infantes *ignis æterni interminabilibus pœnis torqueri. Æternis cruciatibus damnari.* Ita Byzaceni Patres exulantes in Sardinia. Alterum significat in alia vita duo tantùm loca reperiri; Cœlum scilicet, & Gehennam. Ex quo Recentior ille argumentabatur. In Cœlum certè hi pueri non ibunt; restat ergo, ut in Gehennam detrudantur. Confirmat ex Conc. Carth. de anno 418. dicente: *Qui enim dextra caret, sinistram procul dubio partem incurret.* Ex Epist. Gelasii ad Episc. Piceni etiam confirmat scribentis: *Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium; quem decipiendis parvulis faciunt, locum. Et quia non nisi dexteram partem legimus, & sinistram,* non illos faciant in sinistra regione sine baptismate permanere; sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.

32. Ego etiam, atque etiam precor auditores, ut auctoritatem ex libro de fide ad Petrum conferant cum illis Byzacenorum Patrum, & cum aliis benè multis, quos ait idem Recentior se legisse de hac quæstione, & suis videbunt oculis esse ejusdem rationis inter se; ergo responsio D. Th. diluit omnes hujusmodi auctoritates. Ergo dicam cum Angelico: *Per hoc patet responsio ad secundum, & tertium, & ad omnia similia.*

33. Quod me magis movet, atque intelligere omnino non possum, illud est, quod D. Th. & cæteri antiqui Theologi, ut dixi, afferunt contra se, & interpretantur auctoritatem ex cap. 27. Libri de Fide ad Petrum, quem credebant esse D. Aug. & ostendunt non esse sibi ipsis contrariam. Recentior ille tamen eandem auctoritatem, quasi denuo repertam, pro se adhibet, nec vel leviter meminit interpretationum Theologorum. Num eas, licèt tantorum Theologorum, nullius firmitatis esse duxit? Hoc unicum præstat, quod eam ut D. Fulgentii affert, & præconium huic S. D. conficit, & conatur ostendere eam auctoritatem fidei regulam continere. Quorsum hæc? Num, quia est D. Fulgen-

tii, ideò interpretatio Theologorum data ejdem auctoritati tanquam D. Aug. non erit optima? Volumus concedere continere fidei regulam, quam crederet Ecclesia Africana, ut credit Recentior ille? Ergo vel Ecclesia Africana sic credendo erravit, vel errat Mag. Sent. D. Th. D. Bonav. Rich. Ægidius, Scotus, & cæteri tum antiqui, tum recentes Theologi, paucis horum exceptis, qui omnes non solùm non credunt hos pueros pœna sensibili torqueri, sed apertè, clarè, & expressè hoc negant. Quin ipsi Adversarii non sequuntur suam opinionem ut veritatem fidei, sed ut quid probabilius, & hoc modo illam primus Driedo tradiderat.

34. Dices ex eodem Recentiore Aug. auctoritas tantùm valuit, ut *plerisque Scholasticorum* pedibus in Augustini sententiam ierint. Primus fuit Gregorius Ariminensis, Subtilissimus Doctor, qui pœnas sensibiles infantium acerrimè sustinuit, *& Augustini auctoritatem communi illius ætatis Scholasticorum præposuit*. Albertus etiam Mag. in Sum. tract. 18. (corrige 17.) *probabilem Augustini sententiam fatetur*. Tum addit Polmanum, Driedo, Musæum, Reylof, Michaelem Paludanum, Moreau, Alphonsum à Castro, Hauzerum, Joannem Pontium, Macedo, & Conrium Archiep. Thuamensem, qui legens Recentiores dicentes Aug. in *excessus* prolapsum fuisse, non potuit se temperare, quin exclamaret: *O vocem non solùm miræ animositatis plenam, sed injuriæ in Augustinum, ejusdem sanctos Commagistros, & in ipsam Sedem Apostolicam fortè plenissimam*. Addit etiam Recentior ille risum sibi movisse exempla Recentiorum explicantium excessus D. Aug. Dicebant illi: *Uti Viridarii cultores distortam plantam erecturi in oppositam partem eandem flectunt; non quòd eo in situ stare illam volunt; sed ut faciliùs in rectitudinem attollatur. Ita pariter Augustinus, ut illos* (Pelagianos) *ab eo errore abducat, in contrarium æstu disputationis abripi interdum videtur*. Præterea inquiunt: Sicut equites armati, dum invehuntur in hostes, solent eodem impetu obvios etiam pueros inermes conculcare; ita & B. Aug. persequendo Pelagianos videtur quibusdam quasi præ fervore pugnandi minùs etiam parvulis illis pepercisse.

35. An revera Ariminensis auctoritatem D. Aug. auctoritati Theologorum prætulerit, soli oculorum testimonio credendum est. Postquam ergo Ariminensis variis locis Aug. & D. Greg. probare conatus fuerat infantes sine baptismo decedentes pœna sensibili torqueri, & rejecerat ea, quæ suis argumentis Adversarij respondent, ita disputationem absolvit; *Auctoritatem*

tem verò Magistri negaret, qui teneret hanc viam, (nimirum sententiam de pœna sensibili puerorum) *nec eam præponderaret auctoritatibus Augustini, atque Gregorii. Quia tamen hujus quæstionis non vidi partem aliquam expressè determinatam ab Ecclesia, & tremendum mihi videtur negare auctoritates Sanctorum*. E contrà etiam non est tutum contraire communi opinioni, & consensioni magistrorum nostrorum; *Idcircò neutri parti alteram præferens dijudicationem earum lectori relinquo*. Videns ego Gregorium non præferre Augustinum, & D. Gregor. auctoritati Theologorum dixi, ut excusarem Recentiorem illum à deceptionis crimine, ab ipso alienis oculis Ariminensem lectum fuisse. Non citare etiam legitimè pro se Albertum Mag. patet ex ipsis verbis Alberti, quæ num. 25. Syllabatim refero.

36. Quod verò Episcopus ille in Recentiores exclamet, quia dicunt D. Aug. lapsum fuisse in *excessus*. Cur, quæso, in solos Recentiores hæ querimoniæ? Nonne expressè Richardus, Scotus, & alii antiqui hujusmodi *excessus* D. Aug. attribuerunt? Cur ergo, si Recentiores idem facient, ipsis solis vitio vertent? Per quatuor sæcula nemo hoc esse D. Aug. injuriosum dixit, excepto unico Ariminensi, qui tamen & à Capreolo statim, & postea à Majore rejectus est. Cur Adversarii omnium recentissimi auctores esse S. D. inhonorum dicent?

37. Porrò neque hoc contra honorem est, & reverentiam Summam, quæ jure Divino Sedi Apostolicæ debetur. Nam Sedes Apostolica voluit, ut Cardinalis Bellarminus parvam catechesim conficeret, qua pueri mysteria Christiana edocerentur; in hac autem traditur infantes cum solo originali decedentes sola carentia visionis beatificæ puniri. Ergo Sedes Apostolica potiùs nobis favet; tantùm abest, ut sibi judicet inhonorum, si contrariam opinionem *excessum* esse dicamus.

38. Recentior ille legens quoque illa exempla allata à Recentioribus non irrisisset, sed admiratus fuisset, si Antiquos in hac re consuluisset; vidisset enim Arist. 2. Eth. c. ult. ita scribentem: *Nam si procul à peccando nos ipsos removerimus, ad medium veniemus, id quod, qui ligna distorta dirigunt, facere consueverunt*. Vidisset Theodoretum Dial. 3. longè post med. dicentem: *Ne ægrè tuleris; vehemens enim adversus Adversarios contentio in causa fuit, ut modum excederent*. (Patres) *Hoc ipsum solent etiam facere, qui plantant arbores; quandò enim viderint inclinatam arborem, non solum eam erigunt; sed in alteram etiam partem inflectunt; ut per nimiam in contrarium inclinationem, ut recta sit, efficiant*. Hìc nota Theodoretum expressè dicere Patres aliquan-

lo *excessivè* loqui; & expressè insuper Patribus *excessivè* loquentibus aptare exemplum à Recentioribus laudatum. Nota etiam Theodoretum hanc doctrinam, & hoc exemplum afferre nomine Catholici. Ergo tempore Theodoreti hæc doctrina, & hoc exemplum Catholicorum erant. Cur ergo Norisius tam acriter Recentiores propter hæc persequitur?

39. D. Bonaventura post verba relata num. 23. ita prosequitur: Nec sine causa loquitur sic; (D. Aug.) hoc enim facit ad extirpandam illam hæresim, quæ dicebat parvulos nulla pœna puniri. *Unde sicut in moralibus documentum est, quòd, qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum, sicut docet Philosophus.* Sic etiam B. Aug. ut illam hæresim extirparet, quæ dicebat parvulos ab omni pœna immunes; ut ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ Visionis Dei, simpliciter asseruit eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari. Sequuntur S.D. Scotus, Biel, & Major. Hìc videre licet, etsi S. D. & ejus sequaces non utuntur exemplo de Viridarii cultoribus, tradere tamen doctrinam, unde ortum habet hoc exemplum.

40. Quod pertinet ad auctoritates illas, quæ clarè sonant post hanc vitam alia loca non reperiri, nisi Cœlum, & Gehennam; Dici non possunt fuisse D. Thomæ incognitæ, aut priscis Theologis, ut velle videtur Recentior ille. Nam Doct. Angel. & Seraficus cum cæteris antiquis Theologis fatentur nostros pueros futuros quidem in igne inferni, at nihil ab eo passuros. Videtur vobis forsitan hoc paradoxum? Audite D. Thom. in 2. dist. 33. q. 2. a. 1. ad 3. *Sed post mortem nihil aget* (ignis) *virtute naturæ; sed secundùm Justitiæ Divinæ ordinem tantùm, sive in animam separatam, in quam constat, quòd ignis naturaliter agere non potest;* sive etiam in corpus post resurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis cessabit cessante motu primi mobilis, *qui est causa omnis motus, & alterationis corporalis.* Idem repetit. q. 5. de Mal. art. 2. ad 5. Vultis audire Doctor. Seraficum? Ecce ejus verba ibidem a. 3. q. 1. ad 5. Unde sicut idem ignis magis cruciat majorem peccatorem, quàm minorem; *sic & in eodem igne patiuntur corpora eorum, qui peccaverunt peccato actuali; Parvulorum verò corpora etiamsi in ipsis ignibus infernalibus volutentur, passionem non sentient.* Vultis audire cæteros Antiquos? Vanum hìc eos referre arbitror. Legite ipsos in locis à me citatis, & invenietis omnes dicentes nihil pueros passuros ab igne, & aliis causis creatis, non ex vi dotis *impassibilitatis, sed dispositionis Divinæ*, inquit D. Subtilis. Erunt in igne, inquit irrefragabilis Alensis,

non

non ratione *ardoris*, sed *tenebrositatis*. Ad summum ergo hoc argumentum, quod tanti fit ab illo Recentiore, & olim ante tria sæcula allatum fuerat ab Ariminensi, & multipliciter dissolutum à Capreolo, probat contra quosdam Recentiores pueros non futuros supra terram, vel contra alios non extituros in Limbo; non verò contra nos, qui cum priscis Doctoribus dicimus futuros in igne, sed nihil ab ipso passuros, de quo principalis est quæstio.

41. Ex dictis patet per omnia sæcula, quibus Theologia à Scholasticis tradita est, fuisse Theologos magni nominis, qui dixerunt non solùm generaliter de Patribus *excessivè* aliquando locutos fuisse, sed hoc idem specialiter affirmarunt de Div. Aug. His Doctoribus addo D. Th. lect. 3. circa med. in cap. 1. Joan. ita scribentem. *Antiqui Doctores, & Sancti emergentes errores circa fidem persequebantur, ut interdum viderentur in errores labi contrarios; sicut Augustinus contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrii, taliter disputat, quod videtur in hæresim Pelagii incidiße.* Pater Frasseno tom. 2. tract. 3. disp. 3. art. 2. q. 5. n. 11. refert Epiphanium Diaconum in 2. Synodo Nicena Act. 6. hoc idem generaliter notasse de Patribus.

42. Nunc provoco Adversarium nostrum, ut in medium proferat Doctorem aliquem tanti nominis, & tam antiquum, qui comparandus sit cum allatis pro nobis, & expresse neget Patres aliquando excessivè loquutos fuisse; D. Aug. aliquando in excessus lapsum fuisse; & tunc poterit verisimiliter risibus excipere opinionem nostram; cum verò aliquem reperire non potuerit; (Driedonem enim, Doctorem nempè de medio sæculo decimo, & sexto, primum revera Doctorem ejus opinionis fuisse constat) sibi melius consulat, & sententiam nostram, quæ tantorum, & antiquorum Auctorum fuit, lætus amplectatur.

43. Aliud argumentum non minus evidens subdo. Scimus quanto studio, quantaque diligentia Pontifices utantur in sacris canonibus condendis; & tamen, quis credat? aliquando in ipsis *excessivè* loquuntur, quæ obiter tractant. In cap. *cum contingat* de ætat. & qualit. Ord. interrogatus Pontifex, an Abbas potestatem habeat conferendi *Ordinem Clericalem*, respondet: *Per primam Tonsuram juxta formam Eccesiæ datam* à Talibus *Clericalis ordo confertur*. Hæc verba evidenter significare videntur primam Tonsuram esse Ordinem; & ita quidem credidit Glossa V. *Abbati*, hinc confidenter scripsit damnari contrarium docentes. At Theologi, qui res Theologicas meliùs deprehendunt, quàm Canonistæ, notarunt Pontificem interrogatum fuisse solùm de cau-

sa

ſa efficiente Clericalis Ordinis; non verò de cauſa *Formali Ordinis*. Hinc dicunt Legem Pontificiam eſſe explicandam in proprietate ſermonis, & ut verba ſonant, de eo, de quo principaliter facta eſt; non autem de eo, quod obiter dicitur; hinc ſubjunxerunt verè decerni Abbates poſſe primam Tonſuram conferre; impropriè autem, & metaphoricè, quidni & *exceſſivè*? primam Tonſuram Clericalem Ordinem appellari. Nunc argumentum efformo: De Sacris Canonibus licet dicere loqui aliquando *exceſsivè*; ergo multò magis hoc dicere licebit de Aug. doctrina; neque enim eſt majoris auctoritatis, nec majore ſtudio tradita eſt à S. D. Si vellem ſubdere hyperboles, quibus Scriptura Sacra non ſemel utitur, quid reſpondere poſſent Adverſarii? Non eſt, qui faciat bonum, *non eſt uſque ad unum* non ſemel per hyperbolem cantavit David. Daniel verò c. 4. loquens de Rege dixit per hyperbolem etiam: Magnitudo tua crevit, *& pervenit uſque ad Cœlum, & poteſtas tua in terminos univerſæ terræ*. Debeo ad ſatietatem alias hyperboles Scripturæ referre? Melius eſt, ut duas alias D. Aug. hyperboles notem.

44. De quantit. Anim. c. 33. & lib. 6. de Muſica c. 4. & alibi ſcribit: *Filius Dei hominem ſuſcepit*. Hoc nomen concretum, *Homo*, videtur ſignificare tum naturam humanam, tum Perſonalitatem; Fides autem docet Chriſtum eſſe unicam perſonam. Ergo Filius Dei ſolam naturam humanam ſuſcepit. Ergo D. Aug. plus *ſignificavit*, ac veritas exigeret. Ergo *exceſsivè* loquutus eſt. Ergo largè explicandus eſt. Sed ſi Adverſarii poſſent in allatis exemplis tueri S. D. exceſſivè locutum non fuiſſe; certiſſimè hoc inficiari non poterunt ita feciſſe, dum dixit Oceanum *immenſitate* donari; ac propterea non potuiſſe ex noſtris regionibus homines trajicere ad regiones, in quibus Antipodes habitant. Oceanum eſſe immenſum certè eſt contra veritatem naturalem, & videtur eſſe contra illud Sap. 11. *Omnia* in menſura, *& numero, & pondere diſpoſuiſti*. Ergo, ne dicamus tam turpiter S. D. erraſſe, *exceſsivè*, *hyperbolicèque* loquutum fuiſſe affirmemus; notemus præterea, ex hac hyperbole confeciſſe argumentum, quo rem tanti ponderis negavit, unde ſalva fierent millia millium Animarum; negavit enim Antipodas.

45. An verò exceſſivè loquutus fuerit S. D. ſerm. 169. c. 6. & alibi, dum non peccantes ob metum inferni comparavit Leoni, & Lupo non mactantibus oves ob metum paſtorum. Sicut etiam dum Epiſt. 145 aliàs 144. num. 4. dixit. *Inimicus ergo Juſtitiæ eſt, qui pœnæ timore non peccat*; amicus autem erit, ſi ejus amore non peccat; tunc enim verè timebit peccare. *Nam, qui*

Gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut Gehennas odit. An, inquam, in hisce locis locutus *excessivè* fuerit, Intelligi potest ex secunda Disputatione.

46. Me nunc confero ad ultimam Dissertationem. Dubitatur ergo, an Doctrina D. Aug. de Gratia sit ipsa doctrina Ecclesiæ. Partem affirmantem video nostris temporibus placere multis Catholicis, nedum Jansenistis; partem autem negantem video aliis arridere. Negantes afferre solent in medium Epistolam Cœlestini I. ad Episc. Gall. in qua post approbata multa, quæ ad necessitatis Gratiæ Doctrinam pertinent, sic Epistolam absolvit: Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt, qui hæreticis restiterunt; Sicut non audemus contemnere; ita non necesse habemus astruere; *quia ad confitendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est;* Satis sufficere credimus, quidquid secundùm prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, *ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.* Ecce Pontifex necesse non habet astruendi profundiores, difficilioresque quæstiones de Gratia, quas tractatores Catholici contra hæreticos latiùs examinarunt, *atque eas contemnere non audet.* Si hæ quæstiones Ecclesiæ doctrinam continent, tam humiliter de ipsis Pontifex loquitur: *Non audemus contemnere*: Concedamus Adversariis ideò Pontifici non fuisse necessarium hasce quæstiones astruere; quia Semipelagiani, contra quos S. Cœlestinus scribebat, non erant Catholicis contrarii. At non poterat de Doctrina Ecclesiæ, si hìc illam referre nolebat, & confirmare, tam humiliter, tam demisse loqui, dicereque. *Sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* De probabilibus hæc dici queunt; non de certis, & certis fide Catholica.

47. Recentior ille Vindic. August. c.8. negat allata verba esse Cœlestini Papæ, & ait hoc etiam negare viros eruditissimos, nimirum Cardinalem Baronium, Laurentium Surium, Gerardum Vossium, Jacobum Sirmondum, & Franciscum Suarium. Concedit tamen Petrum Diaconum, & Cresconium ea verba Cœlestino attribuere; Sed subdit Petrum post Cœlestinum Sæculo integro vixisse, Cresconiumque anno 698. Addit etiam Ecclesiam Lugdunensem post quadringentos annos ea verba pro Cœlestinianis accepisse. Porrò quis crederet Recentiorem illum, qui Recentiores contemnere solet, Veteresque laudare, & sequi; nunc è contrario Petrum, Cresconium, Ecclesiam-

que

que Lugdunensem, Doctores nempè antiquissimos, deserere, nec laudare; Sed extollere ad Cœlum, & sequi paucos Recentiores, eosque vocare *Viros eruditissimos, præclarissimos Scriptores*, unumque Suarium *pro mille sufficere*? Quem verò, ait, ex Theologis *cum Suario parem ex suis faciant, quemve ex historicis vel Baronio, vel Sirmondo suo opponent*? Cum hæc quæstio sit historica, necesse non habemus, ut Theologum parem Suario opponamus. Historicis opus est. Verisimilius est Petrum Diaconum, & Cresconium vidisse exemplaria tum Cœlestini, tum Operum Prosperi, (de quo dubitatur, an illa verba sint) scripta temporibus, quibus hi Sancti vivebant, & forsan idem dici potest de Ecclesia Lugdunensi. Hinc hi Auctores facilè videre potuerunt, qui verus esset auctor illorum verborum. Ergo hisce tribus auctoribus, utpotè historicis, & vicinis Cœlestino, & Prospero, potiùs credendum est, quàm Suario, & aliis alioquin magnis viris, qui historici esse nequeunt de facto adeò antiquo; sed solùm variis argumentis probare nituntur, quod sibi verum videtur; scimus autem testem argumentantem parum probare, & Juristis fides habenda est.

48. Cur verò, si Recentior ille tanti facit Suarium, non refert integrum locum, sed mutilum? nimirum quia videbat nobis clarè favere. Suarez ergo Prolog. 6. de Grat. c. 1. num. 11. post verba allata ab illo Recentiore ita persequitur. Quamvis credendum videatur Prosperum non sine scientia, & consensu Cœlestini id fecisse; & ideò etiam pars illa Cœlestini auctoritatem semper obtinuisse videtur, *Cujus magnum argumentum est*, quod Petrus Diaconus, gravis Auctor, *qui non multis annis post Cœlestinum librum de Incarnatione, & Gratia ad Fulgentium scripsit*, in c. 8. illam Epistolam usque ad ultimas ejus regulas nomine Cœlestini allegat. Hactenus Suarius. Nonne evidenter nobis favet Suarius? Hinc interrogatum volo hunc Recentiorem suis verbis: *Quem verò ex Theologis cum Suario parem* ex suis faciat.

49. Præterea nostri auctores sunt antiqui. Ergo antiquitus opinio vigebat affirmans illa verba esse S. Cœlestini; cum verò hìc Recentior nullum pro se afferat antiquum. Ergo nullus antiquus negabat esse verba S. Cœlestini. Ergo opinio illius Recentioris negans illa verba esse Cœlestini est nova, & nata cum Surio, Baronio &c. hinc sequitur opinionem affirmantem Doctrinam D. Aug. de Gratia esse doctrinam Ecclesiæ esse opinionem novam, & natam cum Surio, Baronio &c.

50. Cum ergo Recentior ille neget illa verba esse D. Cœlestini Pontificis, dicit esse D. Prosperi, quod etiam affirmant cæ-

teri Adversarii. Hoc verò sufficere pro nobis quis non videt? Si verba mutant auctorem, non mutant sensum. Sola ex hoc hæc differentia oritur, quod, si sunt D. Cœlestini, necessariò sunt vera; si D. Prosperi, solùm probabiliter sunt vera; cum Auctoritas Cœlestini sit certa, Prosperi verò Probabilis. Sed nec verisimile est D. Prosperum, Discipulum Augustini amantissimum, & unum ex præcipuis ejus laudatoribus, tam humiliter loquuturum de Doctrina Aug. *Non audeo has difficiliores quæstiones contemnere*, si credidisset hasce continere Ecclesiæ Doctrinam.

51. Tandem Recentior ille argumentandi gratia concedit verba recitata esse D. Cœlestini, mox subdit: *Interrogatos velim modò Recentiores, an post Cœlestini obitum ulla alia Augustini asserta ab Apostolica Sede contra Hæreticos, aliosve statuta sint?* Affirmabunt profectò &c. Tum narrat, quæ à Felice IV. à Gelasio, & à Leone Magno asserta D. Aug. approbata sint ut fidei dogmata. Poterat etiam subjungere alia taliter fuisse confirmata à Concilio Tridentino. Quid tum? est ne quæstio, an multa tradita de Gratia à D. Aug. sint Ecclesiæ dogmata? Hoc à nemine vel indoctissimo, nisi sit impius, negari potest. Quæstio est, an doctrina de Gratia D. Aug. sit doctrina Ecclesiæ. Hæc propositio indefinita, ut dicunt, æquivalet Generali. Quærimus ergo, an omnia, quæ D. Aug. docuit de Gratia, sint ipsa doctrina Ecclesiæ. Nostri negant. Adversarii affirmant. In hac quæstione certum arbitror omnia hujusmodi dicta D. Aug. ita explicari posse, ut non sint contra doctrinam Ecclesiæ. At nego aliqua cum illa universitate, qua à D. Aug. prolata sunt, esse fidei dogmata, quamvis à D. Aug. ut fidei veritates tradita sint. Experiamur.

52. In Epist. 217. supra laudata, aliàs 107. c. 5. ubi duodecim fidei regulas in materia de Gratia docet Vitalem, tertiò loco hanc tradit *Scimus majoribus ad singulos actus dari*. Hoc pronunciatum tam generale: *Gratia est necessaria ad singulos actus*, non approbatur certè à Scotistis admittentibus non solùm actus indifferentes, etiam in individuo, sed etiam docentibus liberum arbitrium ex propriis viribus plura opera bonitate naturali prædita posse facere. Quin etiam hoc docent communiter Theologi, ut videre licet apud Suarium l. 1. de necess. Grat. c. 8. *Multi graves Theologi*, addit Suarez c. 32. n. 3. *dicunt hominem* lapsum posse solis viribus naturæ amare Deum super omnia ut auctorem naturæ.

53. Præterea D. Th. in 2. dist. 41. art. 2. ad 2. ait. Lumen rationis naturalis posse actum infidelium dirigere in aliquem

finem

finem proximum; & quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ultimum, etiamsi actu non ordinetur; ideò infidelibus, quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes à perfecta bonitate, secundùm quam actus est meritorius. Sic 2 2. qu. 10. ar. 4. ad 2. ait: *Fides dirigit intentionem respectu ultimi finis supernaturalis. Sed Lumen etiam rationis naturalis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.* Quia verò videbatur Aug. esse contrarius, scribit enim ad Bonifacium: *Non potest homo aliquod bonum velle, nisi juvetur à Deo*, interpetratur ipsum in 2. dist. 28. qu. 1. a. 1. ad 3. de bono opere *meritorio*.

54. Verùm Recentior ille credit se meliùs D. Thoma expendisse D. Augustinum. Ait ergo c. 3. §. 4. Pelagium redargutum fuisse à D. Aug. eo quod diceret Gentiles sine gratia posse acquirere *veras virtutes*, quas tamen docebat vitam æternam non mereri. Sanctus autem Doctor probat opera non meritoria vitæ æternæ *nec esse bona*. Sed contra, quia hęc opera vel sunt mala, vel indifferentia. Si indifferentia; ergo ad ipsa non exigitur gratia. Mala esse non posunt; nam ex S. Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII. damnatur hęc thesis Baii nu. 27. *Liberum arbitrium* sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. Ex Constit. *Unigenitus* Clemen. Undec. Sequentes theses proscribuntur: Num. 38. *Peccator non est liber* nisi ad malum sine gratia Liberatoris. N. 39. Voluntas, quam gratia non prevenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, *& incapax ad omne bonum*. Num. 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Num. 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi à Deo, *& sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum*, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. Ego videre non possum vel minimum suffugium, quo se Adversarij recipere possint. Notentur illa verba: *Et incapax ad omne bonum* thesis 39. videntur enim clarè sonare voluntatem sine gratia habere lumen, ardorem, vires ad aliquod bonum. Videantur P. Dominicus Viva, & Tom. II. cui titulus: *Sanctissimi Domini nostri Clemen. XI. Constitutio* Unigenitus *Theologicè propugnata*, qui copiosè, præsertim secundus, hanc veritatem demonstrant.

55. Ex Conc. etiam Trid. *Sess. 6.* clarè intelligere possumus illam regulam generalem, nimirum *Gratia ad singulos actus datur*, non esse veram. Can. 2. dicitur *Si quis dixerit ad hoc so-*

lùm Divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut faciliùs homo justè vivere possit, *anathema sit*. Ecce Synodus non dicit Divinam gratiam requiri ad aliquem actum justum, sed *Justè vivere*. Vita justa plures actus implicat, non unicum. Præterea Can. 3. decernit: *Si quis dixerit* sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque adjutorio *hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Ecce quænam singulæ actiones gratiam postulent. Scilicet Fides, Spes, Dilectio, & Pœnitentia, si tamen sint *Sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*. Ergo si quem pœniteat patrem occidisse propter beneficia à patre accepta; hæc erit pœnitentia; quia tamen non est *sicut oportet ad salutem*; ideò hic actus non est de illis, ad quos Tridentinum gratiam exigit. Neque hic est actus malus; Cum mihi vetitum non sit dolorem habere de facto tam contrario beneficiis à Patre receptis. Sic etiam malum non est, si credo Petro affirmanti Paulum esse in platea; Si spero ab ipso grati animi signa, & si ipsum amo; quia est amans Reipublicæ; quia est mihi consanguineus. Quin videntur boni hujusmodi actus; cum ipsa natura ad ipsos inclinet. Et tamen certum est non esse *sicut oportet ad gratiam obtinendam*; ideòque non includuntur in regula à Tridentino constituta. Ergo illa generalis regula fidei ab August. data *Ad singulos actus gratia datur*, est illa additione Tridentini, *sicut oportet*, contrahenda.

56. Consideremus iterum octavam regulam de gratia traditam à D. Aug. tanquam fidei dogma, de qua n. 28. docet in hac pueros esse judicandos, si crediderunt, vel non crediderunt *per ora, & corda gestantium*. Si baptizati sunt, vel baptizati non sunt. *Si manducaverunt, vel non manducaverunt carnem Christi*. Catholici credunt, si puer solùm baptizetur, vel non baptizetur, esse judicandum; non verò, si non credat per corda, & ora gestantium, & multò minùs si non manducet carnem, aut non bibat sanguinem Christi. Imò si puero daretur Eucharistia, præsertim sub specie vini, crederent ministrum esse Vviclefistam.

57. Dices ex Recentiore illo c. 4. §. 4. D. Aug. nunquam dixit puerum baptizatum sine Eucharistia non habere gratiam, & jus ad gloriam. Dixit quidem sine baptismo, & Eucharistia non posse puerum acquirere gloriam; ita enim cum Patribus argumentabatur. *Nullus sine baptismo potest suscipere Eucharistiam per quam ex verbis Domini Joan. 6. donatur vita æterna. Igitur pueri morientes sine baptismi, & Eucharistiæ Sacramentis non possunt participare vitam æternam*.

58. Verùm, si ita argumentabatur, quid respondisset Pela-

lagio neganti Euchariſtiam conferre parvulis vitam æternam, neque hoc ſignificari per verba Jo: 6.? Dicitur hìc: Niſi manducaveritis carnem &c. non habebitis vitam in vobis. Illi, quibus Chriſtus loquebatur, erant adulti. Ergo Euchariſtia ex hoc loco habet vim conferendi adultis vitam æternam. Quod autem dicitur de adultis, non eſt neceſse, ut etiam dictum de pueris concedatur. Et revera certa fidei regula eſt pueros baptizatos habituros vitam æternam, etiamſi Euchariſtiam non ſumant. Ergo pueris non conceditur vita æterna ob Euchariſtiam; nam effectus eſse non poteſt ſine cauſa.

59. Veriſſimum autem eſt Aug. expreſsè non dixiſse illud pronunciatum: *Infans baptizatus ſine Euchariſtia ſalvus non erit*. At dixit manducantes carnem Chriſti eſse judicandos *non manducantes eſse judicandos*. Certè manducantes ad gloriam judicandi erunt. Non manducantes ad quid judicandi erunt, niſi ad pœnam? Si dicas non manducantes, ſi tamen baptizati erunt, judicandos eſse ad gloriam, ſi verò non ſint baptizati, pœnis deſtinandos. Ergo tota differentia Judicii proficiſcitur ex eo, quod in corpore baptizati ſunt, vel baptizati non ſunt. Cur ergo addere in regula fidei: *ſi manducaverunt, vel non manducaverunt carnem Chriſti, ſi biberunt, vel non biberunt Sanguinem ejus*? Cur etiam addere illa: *ſi crediderunt, vel non crediderunt*, & præſertim addere: *per corda, & ora geſtantium*? Ergo ſi D. Aug. dixiſset: infantes eſse judicandos: *ſi baptizati ſunt, vel baptizati non ſunt*, totam, atque integram fidei regulam tradidiſset. Ergo, quæ addidit, ad fidei doctrinam non pertinent.

60. Præterea ſecundùm Adverſarios hæc eſset fidei regula ex D. Aug. *Infans, ſi baptizatus fuerit, & Euchariſtiam ſumpſerit, judicandus eſt*. Ego neque in Scriptura, neque in Traditione hujuſmodi pronunciatum invenio. Invenio quidem hoc aliud: *ſi baptizatus fuerit, Judicandus eſt, & judicandus ad gloriam*. Facto hoc judicio de infante ſupereſtne aliud judicium, ut ſupremus Judex videat, an infans baptizatus fuerit, & Euchariſtiam manducaverit? Ad quid hoc judicium? Num ad Maiorem Gloriam? Certè infantes illi, quibus olim in pluribus locis concedebatur Euchariſtia, digni majore gloria non ſunt judicati, ac judicantur noſtri, quibus vetitum eſt, ne hujuſmodi Sacramentum impertiatur; tantum abeſt, ut eis concedatur.

DISPUTATIO QUINTA.

An liceat solis rationibus naturalibus quæstiones Theologicas dirimere.

POstquam Alexander VII. quasdam opiniones laxas in re morali damnare cœpit, plures Theologorum Probabilismum deserere, & majorem Probabilitatem sequi professi sunt, rati nimirū hujusmodi laxitatē à Probabilismo tanquam à fonte manare. Quin etiam iisdem notare placuit proximam causam, quamobrem Probabilismus tot, & tantas laxitates generare potuerit; dixeruntque eam esse, quia in Probabilismo modus opinionem probandi est sola ratio naturalis, quæ, ut notat Jueninus tom. 1. Instit. Theol. diss. 4. q. 8. *Cum post peccatum tam facilè fallatur, nequit esse lex, ad quam sive fidem, sive mores exigere debeamus; id nimirum juris Scripturæ tantùm est, & Traditionis.* Hæc eadem omninò docet Illustriss. Genettus, Episc. Vasionensis, tom. 1. c. 1. q. 3. Pater autem Natalis ab Alexandro in præf. suæ Theol. Dogmat. & Moral. sustinet casus conscientiæ definiendos solùm esse *ex Divinis litteris, Sacra Scriptura, Patribus, Decretis Pontificum, D Thoma, D. Raymundo, & D. Antonino.* Eminentiss. *Le Camus* Episc. Gratianopolitanus ad morum laxitates compescendas præcepit, ut Clerici suæ Diœcesis Theologiam Moralem Episc. Vasionensis ediscerent. Crediderat forsan & ipse hujusmodi laxitatem ex eo profectam fuisse, quòd cæteri Theologi Morales solis rationibus naturalibus innìterentur.

2. Clericus Belga in suo Opusc. c. 2. §. 13. pag. 377. ait. Cum enim lumen naturæ, & ratio in hoc statu per peccatum, & concupiscentiam, *maximè in re morali*, tenebris obscurata sint, non potest non Moralis totius eversio timeri, si lumini illi, ac rationi ultimum de moralibus judicium committatur. *Quis enim error est, quantumvis legi Dei, ac naturæ adversus, cujus capax non sit humana ratio solo lumine naturali, ut illud est in statu naturæ corrupta, illustrata?* Ultimum dico de moralibus judicium; nam haudquaquam inficior valere aliquid in moralibus rationem per lumen naturæ; modò lumen fidei, auctoritatem Scripturarum, ac Traditionis, Sanctorumque Patrum sequatur; ita ni-

nimirum, ut ubi his lumen naturæ adversari videtur, non de fide, Scriptura, Traditione, & Patribus judicetur ex lumine naturæ; sed de lumine naturæ verumne, an falsum sit, judicetur ex fide, Scriptura, Traditione, & Patribus. Ita Clericus Belga. Vide num. 32.

3. In paragr. autem 14. pag. 386. docet innumeras quæstiones Philosophicas, aut merè Scholasticas agitari quidem ritè posse à Theologis ex solo dictamine rationis, sicut & quæstiones, quæ ad disciplinam Ecclesiæ hodiernam, *atque ad leges positivas tum Ecclesiasticas, tum Civiles pertinent, ut quid in rebus externis observandum, quid cavendum sit, fideles intelligant.*

4. Quod verò attinet ad morales quæstiones ita scribit p. 387. Jam verò Theologos Recentiores nulla Patrũ auctoritate suffultos, ac rationem humanam tamquam magistros constituere, qui morum leges constituant, aut regulas tradant, *nihil aliud est, quàm ipsas morum leges, ac regulas à fundamentis evertere.*

Hanc doctrinam proficisci puto ab eo, quod olim Jansenius in proem. suorum Operum dixerat, nimirum Philosophiam esse matrem erroris, si ad definienda arcana Divina adhibeatur.

5. Nunc audiamus, quæ in medium afferat Jueninus ad probandam doctrinam suam. Procul dubio plura Scripturæ, & Patrum loca adducet, ut suam doctrinam facto comprobet; sed nihil minus. Fecit hìc, ut in aliis materiis ipse, & alii ejus asseclæ facere solent. Volunt nos obligare, ut Scripturam, & Patres, quin & Traditionem afferamus; sed ipsi hanc severissimam legem tenere recusant. Experiamur.

6. Probat ergo Jueninus, & primum argumentum est illud supra allatum ex imbecillitate humanæ rationis, quæ tam facilè fallitur. Secundum verò est, quòd innumeri Recentiores tot, & tanta opinionum portenta docuerunt, quia perraò Scripturam, aut Traditionem adhibent. Hæc sunt argumenta ex Scriptura petita: mox accedit ad Traditionis argumentum conficiendum, & citat Vincentium Contensonium ex Dominicana familia Authorem, nec non Melchiorem Cano. Primus fidem facit Casuistas fuisse damnatos à quàm plurimis Religiosis, Sacerdotibus, ab Episcopis sine numero, & à Romano Antistite. Ideò verò damnati sunt, quia non è puris Ecclesiæ fontibus conclusiones suas derivent, sed iis neglectis, turbidis se proluant Probabilismi fluentis; unde in tam horrida inciderunt opinionum portenta. Secundus verò lib. 8. de loc. Theol. c. 1. scribit; Intelligo autem fuisse in schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolverunt;

rint; Et cum in his Sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant; Scholastici tamen, si superis placet, Theologi vocantur, quos ego probare nec debeo, nec possum. Ita Canus. Hæc sunt capita, in quibus ex Juenino conservatur Traditio. Hic est finis quæstionis, in qua docet nullam habendam esse rationem Scholasticorum, qui nec Scriptura, nec Traditione, sed sola humana ratione, & Recentiorum auctoritate sua placita confirmant.

7. Ecce evidenter incidit in errorem, quem proscribit, & incidit eadem ipsa quæstione, qua hujusmodi errorem damnat; utitur enim solis rationibus naturalibus, & duos solos Recentiores affert, & nullum Patrem. Hìc juvat referre illud pulcherrimum Innocentii Tertii relatum in c. *Cum omnes* de Constit. ubi dicit: *Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo; & sapientis dicat auctoritas, patere legem, quam tu ipse tuleris* &c. Juenin vult nos obligare ad quæstiones dirimendas, ut Scripturam, & Traditionem afferamus, & non solas rationes naturales, & solos Recentiores. Cur ipse pati non vult hanc legem? Cur in ferenda hujusmodi lege solam rationem naturalem, solos Recentiores in medium adducit? *Sapientis dicit Auctoritas, patere legem, quam tu ipse tuleris.*

8. Non dissimili modo Clericus Belga pag. 388. se gerit in probanda illa propositione, de qua n. 2. quod nimirum ex solo dictamine rationis non liceat quæstiones Theologicas, præsertim morales, dirimere. Probat autem ex eo, quod Ratio in statu naturæ corruptæ *est adeò obscurata, ut nihil sit, quamtumvis legi Dei, ac naturæ contrarium, quod ex solo dictamine rationis rectum, bonum, ac licitum videri non possit.* Id confirmat exemplo Gentilium, qui, cum cognovissent Rom. 1. Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; adeò verò obscuratum est cor horum Gentilium, ut Apostolus ibidem subdat: Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte; & non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

9. Confirmat etiam exemplo Pharisæorum, qui traditionem suam sola humana ratione sequentes irritam faciebant legem divinam. Hæretici etiam Nicolaitæ, Gnostici, aliique spreta Ecclesiæ auctoritate rationem suam secuti turpissima scelera vel præcepta, vel licita esse docuere. Nota hìc, Lector, hunc Clericum Belgam à primi sæculi Hæreticis exempla in suam defen-

sionem petere. Cur Lutheranos, Calvinistas, aliosque Hæreticos, qui adhuc sunt, ejusque Urbem circumstant, non accersit? Nimirum quia scit hosce Hæreticos sola Scriptura uti ad probanda sua dogmata. Præterea nonne Donatistæ, ut patet ex libris D. August. factis contra ipsos à S. D. summo conatu, & studio innumera penè loca SS. in medium afferebant ad confirmandos suos errores?

10. Denique in medium producit 45. propositiones ab Alexandro Septimo damnatas, & 65. ab Innoc. XI. & duas ab Alex. VIII. proscriptas, & ad verbum refert censuras, quibus à Pontificibus notatæ sunt. Subdit verò has laxas theses ex eo proficisci, quòd earum propugnatores solis rationibus naturalibus utebantur. Quare non affert 31. illas damnatas ab eodem Alex. VIII.? Nos infra num. 49. afferemus numerum longiorem, & multò deteriorem damnatarum propositionum eorum Auctorum, qui suas opiniones solis Scriptura, & Patribus probare contendebant. Relatis istis argumentis pag. 390. ita scribit: *Itaque sola ratione humana morum leges condere, & regulas tradere est ipsas morum leges, ac regulas evertere.*

11. Ex his verbis clarè intelligere licèt hunc Clericum velle modum probandi propositiones Theologicas solis rationibus naturalibus esse malum, & explodendum. Si diceret modum hujusmodi aptum non esse ad probandas omnes Theses Theologiæ, vel esse minùs laudandum, quàm modum probandi per solas Scripturam, & Traditionem, benè diceret, & ultrò concederemus; cum sine comparatione Scriptura, & Traditio sint veriores, & in supremo veritatis ordine subsistant; quin certissimum sit naturam omnes veritates, quas Theologia docet, cognoscere non posse. Quod docet Clericus Belga, idem prorsus dicere videntur Pater Natalis ab Alexandro, Jueninus, Episcopus Vasionensis, ut constat ex eorundem testimoniis supra allatis; idem fatentur etiam alii Auctores, qui severioris doctrinæ amantes esse volunt, & appetunt.

12. Antequam, quid in hac quæstione sit dicendum, statuamus, de duobus admonendum esse censeo Lectorem. Primum sit nomine Traditionis intelligi, ut docet Synodus Tridentina sess. 4. de edit. & usu Sacr. lib. intelligi, inquam, sensum unanimem Patrum. Nunc Lectorem obtestor, ut suis oculis videat, an Adversarii facto sequantur, quod verbis dicunt. Verbis docent quæstiones esse dirimendas vel Scriptura, vel traditione. Legantur Adversariorum libri; aliquando citari videbimus Scripturam, sæpiùs unum Patrem, vel alterum, rarissimè

ſimè verò communem Patrum Doctrinam. Ergo Adverſarii rarò per Scripturam, & rariſſimè per Traditionem quæſtiones definiunt. Ergo facto non ſequuntur, quod verbis docent. Jueninus loco ſupra allato docuit Recentiores ſolis rationibus naturalibus utentes in tractandis quæſtionibus Theologicis nihili eſſe ducendos; docuit autem ſine ulla Scriptura, & ſine ullo Patrum teſtimonio.

13. Alterum ſit. Si videbis Adverſarios ſæpè referre vel Scripturam, vel Patres, dum quæſtiones tractant; non ideò tamen dicere poteris eoſdem in quæſtionibus dirimendis vel Scriptura uti, vel Patribus, ut quæſtio noſtra poſtulat. Nam quæſtio noſtra eſt de rebus dubiis, & incertis, non verò de claris, & certis. Ergo Scriptura, & Traditio adhibendæ ſunt ad probandas propoſitiones dubias, & incertas, non claras, & certas. Nunc ſi Libros adverſariorum legeris, ſæpiſſimè propoſitiones claras, & certas videbis per Scripturam, & Patres probatas; dubias verò & incertas vel ſola ratione naturali, vel Recentium auctoritate confirmatas. Ergo Adverſarii ut plurimùm modum Rationalium adhibent; & illæ auctoritates voluntario labore, non neceſſario, in medium afferuntur; hunc autem laborem jure, & meritò ſubire recuſant *Rationales*; cum ultrò, & ſpontè certa, & clara concedantur. Num probanda ſunt evidentia, vel quæ fide credunt ipſi Adverſarii? His notatis.

14. Statuendum puto ritè, & rectè propoſitiones Theologicas ſolis rationibus naturalibus probari poſſe, non quidem omnes, quia quædam omnem noſtram vim ſuperant; ſed plures, tum ad contemplationem pertinentes, tum ad mores. Quia verò, ſi hanc propoſitionem ſolis rationibus probaremus, Adverſarii hanc diſſertationem forſan non legerent; ideò priùs Patrum auctoritatibus confirmanda, poſtea rationibus. At, ne nimium prolixa evadat, ſolùm Divum Auguſtinum, & D. Thomam in medium afferam.

15. Incipiam autem à D Thoma, quia ex ejus doctrina doctrinam hujus quæſtionis melius puto intellectum iri. Igitur Doctor Angelicus Quodlib. 4. art. 18. quærit: *Utrum determinationes Theologicæ debeant fieri auctoritate, vel ratione.* Certè, ſi mens mea non me decipit, hæc eſt omninò noſtra quæſtio. Ergo, quod hìc S. D. docet, penitus ſequendum erit. Nunc integra ejus diſputatio referatur. Videtur, quòd Magiſter determinans quæſtiones Theologicas magis debet uti auctoritatibus, quàm rationibus; quia in qualibet ſcientia quæſtiones optimè determinantur per prima principia illius Scientiæ; ſed pri-

ma

ma principia scientiæ Theologicæ sunt articuli Fidei, qui nobis per auctoritates innotescunt. Ergo maximè quæstiones Theologicæ sunt determinandæ per auctoritates.

Sed contra est, quod dicitur ad Timot. 1. ut sit potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes revincere; sed contradicentes melius revincuntur rationibus, quàm auctoritatibus; Ergo magis oportet determinare quæstiones per rationes, quàm per auctoritates.

R. Dicendum, quod quilibet actus exequendus est secundùm quod convenit ad suum finem; disputatio autem ad duplicem finem potest ordinari. Quædam enim disputatio ordinatur ad removendam dubitationem, an ita sit; & in tali disputatione Theologica *maximè* utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi, cum quibus disputatur. Puta si cum Judæis disputetur, oportet inducere auctoritates veteris Testamenti. Si cum Manichæis, qui vetus Testamentum respuunt, oportet uti solùm auctoritatibus novi Testamenti. Si autem cum Schismaticis, qui recipiunt vetus, & novum Testamentum, non autem doctrinam nostrorum Sanctorum, sicut sunt Græci; oportet cum eis disputare ex auctoritatibus novi, vel veteris Testamenti, & illorum DD. quos ipsi recipiunt. Si autem nullam auctoritatem recipiunt, *oportet ad eos convincendos ad rationes naturales confugere. Quædam verò est disputatio magistralis in Scholis, non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, & tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, & facientibus scire, quomodo sit verum, quod dicitur; alioquin, si nudis auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor, quod ita est; sed nihil scientiæ, vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet. Et per hæc patet responsio ad objecta.* Hactenus D. Thomas.

16. Ex D. Thoma ergo, si disputatio sit cum Hæreticis, & Schismaticis, *maximè* auctoritatibus utendum est. Si cum iis, qui nullam auctoritatem recipiunt, ad eos convincendos uti rationibus naturalibus oportet. Si verò disputatio sit magistralis in Scholis, inniti oportet rationibus radicem veritatis investigantibus. Certè quæstio nostra non est cum Hæreticis, & Schismaticis, sed cum Catholicis. Ergo est quæstio magistralis in Scholis; hæc autem ex S. D. *innitatur, opportet, rationibus veritatis radicem investigantibus.*

17. Præterea rationes naturales vim habent convincendi eos, qui nullas auctoritates recipiunt, hæ porrò rationes non amittunt

runt hujusmodi vim, si fiant contra eos, qui auctoritates recipiunt; quin ipsos, utpotè ab his auctoritatibus illuminatos, ideòque magis idoneos ad veritatem percipiendam, meliùs convincent. Ergo disputatio facta solis rationibus naturalibus adversarios Catholicos convincit. Num Adversarii hujusmodi disputationem respuunt ut malam, ne per ipsam à nobis convincantur? Ulteriùs nonne hujusmodi disputatio ex D. Thoma est scientia, & radicem veritatis detegit? Num Adversariis placet scientia vacuos esse, & causam veritatis non agnoscere?

18. Hìc notandum est illud adverbium, *Maximè*, quod significat idem, ac *Præsertim*, ac *Præcipuè*, ut sciunt Grammatici, & notat cum Jurisconsultis Barbosa de Dict. usu freq. 197. num. 12. Dicit ergo Doctor Angelicus contra Hæreticos utendum Præsertim, Præcipuè, *Maximè* auctoritatibus. Est verissimum, nemo negat. Fatemur. Ex hoc tamen non sequitur, malum esse, si utamur contra eosdem solis rationibus naturalibus; sed solùm dicere possumus, rationes naturales non habere maximas, præcipuasque vires convincendi Hæreticos. Ergo ad summum Adversarii dicere possent modum agitandi quæstiones per Auctoritates esse optimum, & præcipuum; modum verò rationalem non esse optimum, & præcipuum, quod concedimus. At cur dicit Jueninus Recentiores nihili esse æstimandos, qui in dirimendis quæstionibus nullam auctoritatem adhibent? Cur subdit per hujusmodi modum probatum iri opinionum portenta à Sede Apostolica condemnata? Hujusmodi modus Hæreticos, & Paganos convincit, Catholicis radicem veritatis ostendit, ipsosque scientia condecorat, si credimus D. Thomæ; & Jueninus dicere pergit hujusmodi modum nihil virium habere, & falsitatum portenta progignere? Infra videbimus ex D. Augustino rationem naturalem Hæresim Manichæorum profligasse.

19. Notandum est etiam D. Thomam unicam afferre Scripturam & illo loci, qui paragraphus *sed contra* dicitur, ubi afferri solent argumenta ad dubitandum, non ad definiendum; hæc enim afferuntur in ipso corpore quæstionis, ut dicunt. In hoc loco nullam auctoritatem, sed meram rationem naturalem adhibet. Quin Scriptura affertur ad confirmandum nostrum modum dirimendi quæstiones; ratio verò naturalis ad probandum modum illum Adversariorum. Hinc patet Doctorem Angelicum in allata auctoritate & verbis, & facto sequutum fuisse nostram methodum quæstiones definiendi.

20. Verùm, si negent D. Thomam hìc facto sequutum fuisse nostram methodum, inficias ire nullo modo poterunt eam

ample-

amplexum esse in sequentibus locis, quæ nunc in medium profero. Priùs adducam ad contemplationem spectantia, mox ad mores. In Opusculo secundo, cui titulus *Compendium Theologiæ*, quod in gratiam Reginaldi, socii sibi charissimi, & viri admodum docti, concinnavit; illud autem non perfecit morte præventus; unde intelligere possumus extremis annis suæ vitæ illud fecisse. In hoc, inquam, Opusculo variá exempla nostræ methodi nobis exhibet; nam in primis capitibus probat solis rationibus naturalibus Deum existere, esse æternum, immobilem &c. Sic etiam cap.177. probat corpora Damnatorum posse pati, nec posse corrumpi, quæ duo naturaliter repugnare videntur; & nihilominus hoc mysterium, quod sola fide noscere poteramus, solis rationibus confirmat. Itidem c.183. solis rationibus naturalibus ostendit justè à Deo infligi pœnam æternam pro peccato mortali, quamvis sit temporale.

21. Nunc exempla ad mores attinentia referamus. In 4. dist. 6. q. 1. art. 1. q. 1. negat infantes in utero clausos posse baptizari his duabus rationibus naturalibus contentus; quia nimirum infans operationi ministrorum non subjicitur; & quia non est notus Ecclesiæ. In paragrapho *sed contra* affert 1. Cor. c. 16. ubi dicitur: Non prius, quod Spirituale est, sed quod animale, deinde quod Spirituale. Addebat D. Thomas: sed Baptismus est quædam regeneratio spiritualis; Ergo homo priùs animali, & carnali nativitate nasci debet, quàm baptizetur. Hoc tamen argumentum infirmum judicatur ab Angelico Præceptore; nam in ipsa quæstione ait *In nativitate in utero nasci & corpus, & animam; unde primæ rationi standum est*. Dicit præterea negationem baptismi nostris pueris ex eo, quod regeneratio gratię postulet ante se generationem naturę, esse negationem ob causam repugnantem sanctificationi in utero, & ipsi Baptismo. Hìc videri potest, quod dicebam, argumenta scilicet allata in §. *sed contra* non esse allata ad probandum, sed dubitationis causa.

22. Nec dicat aliquis D. Thomam afferre D. Dionysium dicentem Baptismum esse operationem hierarchicam; nam hæc auctoritas non affertur ad probandum, quod erat dubium, sed certum. Quis nesciat, vel quis Catholicorum ignoret Baptismum esse operationem ministrorum? Fiat argumentum. Baptisma traditur per operationem ministrorum; sed infans in utero operationi ministrorum non subjicitur. Ergo &c. Quis Catholicorum negabit primam propositionem? Secundam verò utique negabit; cum videatur experientiæ, & Chirurgorum Doctrinæ contraria.

23. In art. 2. ejusdem quæstionis de tribus disputat. Primum est, an in Baptizante requiratur intentio. In ipsa quæstione nullam auctoritatem habet; in paragrapho *sed contra* auctoritates quidem affert; sed ex dictis nobis nihil officit. In resp. ad 2. & quartum novas quæstiones dirimit nulla auctoritate in medium adducta. In duabus sequentibus dissertationibus nullam prorsus auctoritatem refert; idcòque evidentissimè solùm methodum nostram sequitur. Quin notabis in secunda quæstione afferri duplicem auctoritatem Aristotelis, cum alioquin pro una illarum potuisset citari cap. 1. de reg. juris. Differit hoc loci, an ad Sacramentum requiratur recta intentio in baptizante; & an in baptizato exigatur intentio. Certè Adversarii nostri grande piaculum committere credidissent, si has duas quæstiones supernaturales non solis Scripturæ, aut Traditionis auctoritatibus tractassent, cum in ipsis investigetur id, quod Christus instituit.

24. In dist. 16. q. 3. art. 2. quinque quæstiones versat. In prima D. Augustinum adducit ad probandum, quod certum erat, non dubium. In quinta affert quidem D. Gregorium, ut objectum fidei contrarium, nimirum non esse confitendas circumstantias specie diversas, etiam in materia luxuriæ, solvat, ac proindè quæstionem fidei auctoritate dirimit; non verò quæstionem Theologicam, an *circumstantiæ* aggravantes, & genus non mutantes, sint necessariò Sacerdoti patefaciendæ. Adversarii risibus nos exciperent, si solis rationibus naturalibus quęstionem illam de *circumstantiis* tractaremus; presertim si benignam Sancti Doctoris opinionem doceremus; quę adeò benigna visa est Soto, ut divinando dixerit Doctorem Angelicum mutaturum fuisse opinionem, si tertiam partem suę Summę perficere potuisset, quin non nemo Adversariorum audet illam damnare.

25. In 2. 2. qu. 32. art. 7. quęstionem tractat, an de injustè acquisitis eleemosynam facere possimus. Producit quidem argumenta contraria ex Sacra Scriptura, & Patribus desumpta; hęc tamen diluit solo rationis ductu. In paragrapho *sed contra* in medium adducit auctoritatem D. Augustini dicentis non posse fieri eleemosynam ex fœnore, & usuris, de quo parva, aut nulla disceptatio est. Magna quæstio est presertim, an fieri possit de acquisitis per meretricium; hoc concedit S. Doctor à sola ratione motus; ac proindè clarè hìc methodum sequitur rationalem, sicut & in sequenti, ubi inquirit, an sub potestate constitutus eleemosynam facere possit. Alia exempla clarissima videri possunt q. 88. art. 10. q. 89. art. 8. & 9. & sunt in materia Voti, & Juramenti.

26. In q. 147. multa dubia proponit, & definit sola naturali ratione; sed præsertim art. 4. ad 2. statuit pueros solùm in fine tertii septenii teneri præcepto jejunii. Sine dubio dicere possumus hanc opinionem continere unam ex illis novitatibus, quas tanta laude D. Thomam invexisse narrat D. Antoninus 3. part. hist. tit. 23. c. 7. §. 10. Nam Alen. 4. part. memb. 6. §. 3. ar. 2. referens hanc opinionem, & alias duas, quarum prima dicebat præceptum jejunii incipere anno vigesimo, altera verò anno sextodecimo, ita scribit de his duabus. *Neutram reprobo*; Sequitur autem mediam docentem incipere anno decimo, & octavo. Ergo tempore Alensis, quod triginta annos D. Thomam antecedebat, aut parum erat probabilis, aut non probabilis judicabatur ab Alensi Doctore *irrefragabili* hujusmodi benigna opinio. Quid dicerent Adversarii, si ad normam D. Thomæ doceremus gravidas non teneri præcepto jejunii moti solùm ab illa ratione naturali, quia gravidæ multo cibo egent?

27. Sed quid ulteriùs lectorem fatigo? Legat Opera Sancti Doctoris, suisque oculis videbit nôn tam raro S. D. quæstiones absolvere sine ulla auctoritate Scripturæ, aut Traditionis, quin penè nunquam Traditione uti. Videbit etiam, an sit verum, quod quidam Theologus dixit in suo Tractatu de Regulis morum Romæ excuso anno 1711. par. 2. q. 2. ar. 10. n. 498. pag. 171. nimirum Doctorem Angelicum *in omnibus suis Operibus perpetuum esse in recursu tam ad Sanctos Patres, quàm ad Ecclesiæ determinationes tum in practicis, tum speculativis*. Hoc cognovit ex Adversariis Joannes Opstraete apud Francolinum de Dolore requisito in Sacramento Pœnitentiæ l. 2. c. 8. num. 2. hinc in suo Theologo Christiano impresso Lovanii 1692. pag. 100. scribere non erubuit: *Multorum utilitati non satis accommodatus S. Thomas, tum quòd multas quæstiones Philosophicas Theologiæ immiscet; tum quod terminis Philosophicis eas proponat, resolvatque*.

28. Sed jam ad D. Augustinum transeamus, videamusque an nostram methodum docuerit, eademque usus fuerit. Ingenuè fateor me adhuc non legisse, nisi duos priores tomos S. D. & nonnullos alios libros cæterorum tomorum; nihilominus & plura dicta, & plura exempla collegi, quæ meam propositionem luculenter ostendunt. Priùs exempla, postea dicta referam; de illis quidem solùm duo, ne longior evadam.

29. Primum exemplum erit de quæstione illa, an pueri existentes in utero baptizari possint. De hac in meis Opusculis semper tracto, & quoad potero, tractabo; quia maximopere cupio Theologos excitare ad hanc quæstionem tam utilem hujusmodi

infantibus diligenter agitandam. Alterum exemplum de Antipodibus erit.

30. Egit de prima quæstione Epist. 187. aliàs 57. ad Dardanum c. 9. num. 31. cujus meminit Magister Sententiarum in 4. dist. 6. c. 2. En verba S. D. *Nec renasci quisquam potest, antequam natus sit.* Hoc ergo excepto Lapide angulari non video, quomodo ædificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, *quod non possunt esse, antequam nati.* Illa sanctificatio, qua efficimur singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, *quod nisi homines nati esse non possunt;* nullus autem vitam, in qua natus est, benè finiet, nisi renatus antequam finiat. Quod si quisquam dicit jam natum esse hominem etiam, dum adhuc in utero est matris, testimoniumque adhibet ex Evangelio Matt. 1. quia dictum est ad prægnantem Virginem Domini matrem, quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est: *Numquidnam huic nativitati accedit secunda nativitas? alioquin jam non erit secunda, sed tertia.* Dominus autem cum sic loqueretur, nisi quis, inquit, renatus fuerit denuo, eam scilicet computans nativitatem, quæ fit matre pariente, non concipiente, atque prægnante, quæ fit ex ea, non quæ fit in ea; *neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui jam semel natus fuerat in utero;* Sed illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut possit renasci ex aqua, & Spiritu, secundùm quam ex matre nativitatem etiam ipse Deus in Bethlehem Judæ dicitur natus. *Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam adhuc restat nasci; renascitur ergo, antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest.* Ità S. D.

31. Hìc probat infantes in utero baptizari non posse ex illa naturali ratione, quia *nemo renascitur, nisi priùs sit natus;* & ex illa: *Si per gratiam homo regeneratur in utero, renascitur, antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest.* Sic etiam lib. 2. de pecc. meritis, & remiss. c. 27. idem probat ex eo, *quòd sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest; ita, qui natus non fuerit, renasci non potest.*

32. Præterea contraria opinio nitebatur Evangelio Matt. 1. & sic probatur: Qui natus est, renasci potest per baptisma: Sed puer in utero natus est, ut patet de Jesu Matt. 1. ergo puer in utero per baptisma renasci potest. Quid huic tanto argumento ex Scriptura petito opposuit D. Augustinus? Num Scripturam? Num Traditionem? Ita quidem facere debuisset, si vera esset Adver-

sa-

sariorum Doctrina. At non ita se gessit Augustinus. Solis rationibus naturalibus rem peregit. *Numquidnam*, ait, *huic nativitati accedit secunda nativitas? Alioquin jam non erit secunda, sed tertia.*

. . . . *Renascitur ergo, antequam nascitur.*

33. At inquies, S. D. ut probaret nativitatem Baptismi non esse tertiam nativitatem, sed secundam, affert illud Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo.* Sed ipse D. Augustinus cognovit hujusmodi auctoritatem adversarios clarè non convincere; neque enim illud testimonium significat nativitatem ex utero esse primam, quæ sit computanda in baptismo, ut probare opus erat; hinc jure subdit S. D. rationem naturalem: *Neque enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit.*

34. Dices iterum. Probat. S. D. puerum Jesum esse natum ex Evangelio. Sed contra, quia quæstio in hoc non consistebat; nec aliquis negabat, aut negare poterat infantem ex utero proficiscentem nasci. Ergo hæc auctoritas non affertur ad probandum, quod dubium erat, & disputatio inquirebat.

35. Hic innuendam puto diversam methodum, qua usus est D. Augustinus in dirimenda quæstione, an homines contrahant originale peccatum. Sententiam enim affirmantem, cum esset fidei dogma, ut fidei dogma probavit, nimirum ex Traditione; affert enim communem sensum Patrum, ut videre licet lib. 1. & 2. contra Julianum Pelagianum. In dirimenda autem quæstione nostra cum esset mera quæstio Theologica, usus est methodo nostra, Rationali nimirum.

36. Verùm alterum D. Augustini exemplum commemoremus. Hoc est de Antipodibus, & habetur lib. 16. de Civ. Dei c. 9. ubi ita scribit: Quod verò & Antipodas esse *fabulantur*, id est homines à contraria parte terræ, ubi Sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcare vestigia, *nulla ratione credendum est. Neque hoc ulla historica cognitione didicisse se affirmant; sed quasi ratiocinando conjectant*, eo quod intra convexa Cœli terra suspensa sit, eundemque locum mundus habeat & infimum, & medium, & ex hoc opinantur alteram terræ partem, quæ intra est, habitatione hominum carere non posse. Nec adtendunt, etiamsi figura conglobata, & rotunda mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur, non tamen esse consequens, ut etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda sit terra. Deinde, etiamsi nuda sit, neque hoc statim necesse esse, ut homines habeat. *Quoniam nullo modo Scriptura ista mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædi-*

cta complentur; nimisque absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare, ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum &c.

37. D. Augustinum sequi suam opinionem tamquam certam patet ex illis verbis: *Fabulantur. Nulla ratione credendum est*; illam autem probat hisce argumentis. Quia nulla historica cognitione sciri potest Antipodas esse. Tum, si Antipodes essent, ex descendentibus ab Adam essent, quia Scriptura dicit nullos homines existere nisi ex Adam; sed descendentes ab Adam ad partem terræ nobis contrariam pervenire non potuere ob Oceani immensitatem. Ergo in illis regionibus nulli sunt homines. Hìc manifestum est propositionem de fide per Scripturam probari; propositionem verò dubiam, nimirum, Descendentes ab Adam non esse in regione nobis contraria ratione naturali probari, scilicet, quia immensitas Oceani prohibet, ne fiat trajectio à nostris regionibus ad illas adeò distantes. Ergo Sanctus Doctor negavit Antipodas sola ratione naturali contentus. Hæc verò quæstio, etsi in se sit naturalis, & ad contemplationem expresse pertineat, tamen implicitè supernaturalis est, & ad mores attinet. Si enim Antipodes sunt; sequitur Pontifices obligari ad mittendos Operarios Evangelicos ad baptizandos illos homines; hæc autem veritas & supernaturalis est, & moralis; quin ex ipsa dependet salus innumerabilium animarum; quot enim millia hominum damnata sunt, quia creditum est ad annum 1492. Antipodas esse fabulam?

38. Dices D. Augustinus probat Scriptura nullum hominem existere ab Adam non descendentem. Nemo Catholicorum de hoc dubitabat. Ergo per Scripturam non probavit, quod inquirebatur. Quæstio erat, an homines ab Adam descendentes essent in illis regionibus; (de non descendentibus fide credebant nusquam reperiri.) Hoc autem dubium sola ratione naturali diremit.

39. Inquies iterum. Noris in Vindiciis Augustinianis c.4.§. 8. pag. 61. ait D. Augustinum Antipodas negasse considerando rationes tum ex Sacra, tum ex prophana historia, quæ Sapientissimos quosque in eam sententiam traxere.

Sed contra, quia illa verba. *Nullo modo Scriptura ista mentitur &c.* Significant, ut dicunt PP. Benedictini novæ editionis D. Augustini auctores, & Thomas Malvenda de Antichristo Tom. 1. lib.4.c.23. significant, inquam, nullum hominem existere, nisi descendentem ab Adam. De hoc nemo Catholico-

rum

rum dubitavit. Ergo S. D. probavit per Scripturam, quod certum erat Catholicis. Nostra autem quæstio est, ut toties dixi, an dubia sint necessariò probanda per Scripturam, aut Patres.

40. Sed dices D. Augustinus Antipodes negavit *antiquissima Patrum traditione* suffultus.

Sed contra. Quisque suis oculis videre potest, an S. D. vel generaliter, vel specialiter Patrum aliquem pro se attulerit. Integrum locum supra retuli. Legatur, & cui fides adhibenda est, adhibeatur. Poterat quidem D. Augustinus Lactantium citare in testimonium suæ Opinionis. At credo ipsum puduisse hujusce citationis; adeò enim levibus argumentis movetur Firmianus, ut in hac re nullam fidem mereri sibi potuerit. D. etiam Nazianzenus negans Oceanum navigari posse videtur Antipodes de medio sustulisse. Sed forsan D. Augustinus ejus Opera non legerat. Sed sit omninò omnibus certum D. Augustinum negando Antipodas non *antiquissimam Patrum traditionem* sequutum fuisse, sed opinionem, quam quidem ob rationem naturalem certam ipse credebat; sed Philosophi Ethnici ut probabilem solùm sequebantur.

41. Reticere non possum illud in istis Vindiciis Augustinianis mihi maximè displicere, quod ait non solùm Augustinum *vulgarem* hominum de Antipodis opinionem docuisse; sed etiam Zachariam Romanum Pontificem. Zacharias Pontifex, ut referunt Cardinalis Baronius anno 748. & Malvenda ubi supra, & partim ipse Noris, imperavit: Ut Vigilius Episcopus damnaretur, si fateretur *sub terra alium esse Mundum, alios homines, alium Solem, aliam Lunam*. Est evidens ex Sacra Scriptura unicum Mundum à Deo esse productum: Ab unico Adam omnes homines descendere. Unicum Solem, unamque Lunam à Deo condita esse. Ergo; si Vigilius alium mundum, alios homines, alium Solem, aliam Lunam admittebat, apertè contra Scripturam pugnabat; ideoque justè, rectèque, ut damnaretur, præcepit Zacharias Pontifex. An verò hic noster unicus Mundus habitaretur ab hominibus in parte nobis adversa; ac propterea an Antipodes essent; Pontifex nec negavit, nec affirmavit. Et revera nihil de hoc definire poterat; cum res hæc neque in Scriptura, neque in Traditione contineretur. Dediscant igitur jam non solùm Lutherani, & Calvinistæ; sed Catholici etiam illi, qui arrepta quavis occasione de Pontifice Romano obloqui gaudent. Dediscant, inquam, hujusmodi falsitatem, & posthac credant Zachariam Pontificem *Antipodas non negasse*, sed alium mundum, alios homines, alium Solem, aliamque

Lunam jure, ac meritò rejecisse, damnasse, proscripsisseque.

42. Hìc obiter contra Vendrochium, hujusque similes Authores notabis opinionem in se falsam posse habere validissimas rationes, quæ movere possunt & primarium Ecclesiæ Doctorem, D. Augustinum nempè, & Lactantium, & D. Nazianzenum, aliosque viros doctissimos, & hoc esse verum etiam de opinione, quæ causa erat, quamobrem salva non fierent millia millium hominum, quæque eximebat à præcepto gravissimo, quo obstringitur Summus Pontifex, mittendi Operarios Evangelicos ad convertendas Gentes ad fidem Catholicam. Hæc omnia patent in opinione Antipodas negante. Hinc immeritò, & injustè damnantur à Vendrochio, & similibus Probabilistæ, si opinionem doceant aliquam in se falsam ob rationem, quæ sibi validissima videatur. Vindiciis maximis D. Augustinus defenditur rejiciens non tanquam opinionem, sed tanquam rem certam Antipodas. *Fabulantur. Nulla ratione credendum est;* quamvis ex hac doctrina certò sequatur, nisi fiat miraculum, æterna damnatio tot millium hominum. Erunt verò damnandi Probabilistæ, si tradant opiniones aliquas in se falsas tanquam Opiniones, & Opiniones, ex quibus certò hominum æterna damnatio non sequitur? At Probabilistarum rationes possunt facilè enervari. Num D. Augustini rationes rejici non poterant? Si quis dixisset potuisse Navem ex Littore Africano improvisò à Ventis ad plagas nobis adversas ferri, & Oceanum non esse immensum, quomodo potuissent defendi rationes illæ naturales D. Augustini? Et revera qua ratione motus dixit Oceanum esse immensum? Num quia navigatus fuerat per spatia immensa? certè non; nam Insulas Azorias invenissent, & postea insulam Terræ Novæ; & illæ quidem immenso spatio non distant ab Hispania, nedum ab Africa; hec verò nec tantùm distat ab Insulis Azoriis, vel ab Hispania. Quin ipsa Insula Terræ Novæ minùs distat ab Hispania, quàm Hispania ab Ægypto. Si autem Oceanus navigatus non fuerat, quamobrem immensus dicebatur?

Quod si dicas D. Augustinum in materia de Antipodibus errasse, quia eam sola ratione naturali tractavit. Contra, nam ante D. Augustinum S. Papias, S. Irenæus, S. Justinus, & si qui alii sunt, opinionem illam *Millenariorum*, quæ postea hæresis declarata est, tradiderunt Sacram Scripturam afferendo. Sicut ergo hi Sancti erraverunt, non quia Scriptura usi sunt; sed quia ea malè usi sunt. Ita dicimus D. Augustinum in re nostra errasse, non quia rationem naturalem sequutus sit, sed quia rationem naturalem falsam sequutus sit. Vide n. 44. ex ep. 120.

43. Nunc

43. Nunc oportet, ut loca referam D. Augustini, in quibus expressè docuit licere Theses Theologicas sola ratione naturali probare. Igitur lib. 3. contra Acad. c. 20. lib. 2. de Ord. cap. 5. 16. & c. 9. 26. scribit. *Ad discendum nos dupliciter duci auctoritate, atque ratione.* In loco de Ordine c. 9. addit. *Quamquam bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior; ratio verò aptior eruditis.* Subdit cap. 10. 28. *Nam mihi omninò illos nolo credere nisi docenti, rationemque reddenti.* Scribit etiam cap. 19. 50. *Et tamen ratione utor, & per rationem melior sum. Gradatim enim se, & ad mores, vitamque optimam non jam sola fide perducit.* Lib. de Utilit. creden. cap. 11. Lib. 1. Retract. cap. 14. ait; *Quod scimus debemus rationi, quod credimus auctoritati.* Lib. 1. de Liber. arbit. cap. 4. 10. scribit; *Per rationem rem intelligimus, per legem rem credimus.* Cap. 40. verò 6. 14. inquit; *Adesto animo*, & rationis vias *pietate fretus ingredere.* Hìc ratione naturali probat potestatem politicam aliquando multitudini, aliquando uni tantùm esse concedendam. Lib. 2. cap. 9. 25. dicit quæstioni non esse respondendum quid credimus, sed *quid ratione novimus.* Lib. 2. de Mor. Manich. cap. 22. docet per rationem naturalem Manichæorum hæresim everti. Et cap. 9. 18. rationes naturales, quibus eorumdem errores confutat, vocat *moles rationis*; quia nimirum adeò firmæ erant, ac moles. Vide etiam cap. 11. 20. & cap. 13. 30. ubi allata ratione naturali concludit: *Quæso, relinquite errorem. Quæso, advertite rationem*; quia scilicet credebat esse tam claram hujusmodi rationem, ut Manichæi non possent non resipiscere. Lib. de vera Relig. c. 9. 17. Scribit rationem demonstrare quomodo fides Catholica adversus Manichæos tuta sit. Et c. 24. 45. ait. *Animæ Medicina distribuitur in auctoritatem, atque Rationem. Auctoritas fidem flagitat, & rationi hominem præparat. Ratio ad intellectum, cognitionemque perducit.* Lib. de quantit. Animæ c. 15. 26. scribit. *Sed agamus, si placet, more nostro*, & duce ratione *tibi ipsi respondeas. Age, ut placet; nam ego id genus docendi, ac discendi maximè probo.* Lib. 6. de Musica cap. 1. affimat. *Duce Ratione a sensibus carnis avelli, atque uni Deo adhærescere.* Lib. de Magist. cap. 10. 31. docet *rationi benè perspectæ cedendum esse.* Epist. 9. aliàs 105. num. 2. inquit se desiderare, ut Nebridius ad rei tantæ *probabilem investigationem* pervenire non desperet. Epist. 82. aliàs 19. c. 1. 3. fatetur se aliorum dictis assensurum, si *per auctores canonicos*, vel probabili rationi, *quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Hic locus refertur à Gratiano dist. 9. can. *Ego solis* ubi Glossa v. *Probabiles* scribit *rationem Ca-*

noni æquivalere; nos tamen tantum rationi tribuere nolumus. Epist. 120. aliàs 222. num. 5. ait rationem aliquando movere ad ea cognoscenda, quæ credere non valebamus; & numer. 6. expressè docet rationem non esse fugiendam, quia ratio est; sed quia *ratio falsa est*. Epistol. 138. aliàs 5. num. 1. scribit; *Multa enim sunt, vel uberiore, vel subtiliore ratione vel certè auctoritate persuaderi aliquando forsitan possint*. Epistol. 217. aliàs 107. n. 15. hæc habet; *Quærat quisque, ut potuerit, & si invenerit præter hanc, quæ à me reddita est*, aliam probabilem rationem, *à recta fidei regula non recedens teneat eam, & ego cum illo, si me non latuerit*. Lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 1. affirmat quæstiones sacras dirimi *vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima*. Lib. 10. cap. 16. scribit; *Alia fortasse proferunt vel testimonia Scripturæ, vel documenta rationum, quibus hanc auferant ambiguitatem, non absurdè credunt nisi aliqua manifesta, & liquida vel* ratione, *vel earum ipsarum Scripturarum auctoritate redarguantur*. Hìc sermo est de Origine Animæ rationalis, quæstio tam D. Augustino visa difficilis. Similia habet eodem lib. c. 3. lib. 12. cap. 1. & Epist. 143. aliàs 7. nu. 7.

44. Ecce per D. Augustinum *tum per rationem, tum per auctoritatem* discimus. Nec semper per rationem apertissimam, sed etiam *per probabilem*. Nec semper per plures rationes probabiles, sed per unicam. *Vel probabili ratione* inquit Augustinus. Cur ergo Adversarii conqueruntur, si quæstiones sacras; vel apertissima, vel *probabili* ratione dirimimus? Præterea per S. Doctorem *per Auctoritatem credimus, & per rationem intelligimus, & scimus*, ut dicit etiam D. Thomas. Nonne quæstiones inter Catholicos agitantur, ut rei veritatem intelligamus, & sciamus; non verò, ut fidem habeamus? Hìc Syllabatim afferre possumus locum ex lib. 2. cap. 9. 25. de Lib. arbit. *Hìc agitur inter nos, ut respondeamus non quod credimus, sed quod intelligentia dilucida teneamus*. Ulteriùs, si ratio naturalis infandam Manichæorum hæresim evertere potuit; ratio naturalis potens non erit statuendi veritates inter Catholicos? Dicam Adversariis illud Epist. 120. Augustini, Rationem esse fugiendam, non quia ratio est, *sed quia falsa est*. Ergo Adversarii nequeunt rejicere, aversari, execrari quæstiones nostras Theologicas rationibus solùm stabilitas propter hunc modum dirimendi; sed ostendere debent has rationes esse falsas.

45. Dices ex eodem S. D. lib. 1. de moribus Eccl. cap. 7. 11. Ratio humana nequit Divina scrutari. Idem pluries dicit D. Thomas Opusc. 2. Præterea Epist. 119. aliàs 221. numer. 1. di-

citur

citur Hæreticos credentes magis rationibus, quàm auctoritatibus in erroribus persistere.

Sed contra ad primum S. D. ibi loquitur de cognitione Divinæ Naturæ, cujus plurimæ veritates cognosci nequeunt ab humana ratione; ac propterea ad Sacram Scripturam confugiendum est. Ceterùm plurimas etiam veritates de Deo ostendi posse per solam rationem naturalem liquet ex eodem S. D. qui lib. 2. cap. 22. de moribus Manichæorum, ut supra dixi, scribit per rationem naturalem Manichæorum Hæresim everti; & cap. 11. 20. affirmat ratione invictè demonstrari Deum esse incorruptibilem, & lib. 1. de morib. Eccl. cap. 14. dicit ratione patere, quinam sit finis, ad quem omnia referantur. Ulteriùs, cum Deus sit infinitus, in paucis proprietatibus connectitur cum creaturis, ex quibus omnem suam cognitionem homo accipit; mirum non est, si humana ratione pauca de Deo cognoscat. Contra verò cum aliarum veritatum Theologicarum. Fundamentum sint *creaturæ*, quæ connectuntur cum *creaturis* naturalibus, præsertim veritates morales legis naturæ, mirum non sit, si dicamus plurimas veritates Theologicas sola humana ratione rectè dignosci, & probari posse. Vide omninò num. 53. & seqq.

46. Ad secundum. Quis nostrum dicit magis credendum esse rationi naturali, quàm Scripturæ Divinæ, cum ejus fundamentum sit infinita veritas Dei? Hinc rectè Cosentius, cujus est illa Epistola 119. dixit Hæreticos contrarium autumantes in erroribus persistere. Ergo ubi Scriptura contraria videtur rationi contrariæ; potiùs credendum illi est, quàm huic. Aliquando tamen ratio naturalis magis clarè, & efficaciùs probat propositionem nostram, quàm Scriptura, ut patet ex D. Augustino relato numer. 32.

47. At inquies, Damnatæ sunt tot propositiones à Sede Apostolica, quæ solis rationibus naturalibus probantur. Hæc est Cantilena, quam ad Cœlum usque tollunt Probabilioristæ contra Probabilitatem. Credunt enim, sed injustè penitus, laxitatem illarum propositionum à Probabilitate proficisci; & ideò hoc credunt, quia illæ traditæ sunt à Probabilistis; quasi Probabilistæ solas probabiles opiniones docere possint, non probabiliores, nec certas; cum tamen illas propositiones tamquam probabiliores docuisse verisimilius sit; nam videmus quasdam expresè nominavisse ut probabiles; quin 48. Innocen. XI. tamquam certam tradebant. Ergo cæteras ut probabiliores defendebant.

48. De

48. De cætero, si damnatio propositionum à modo illas probandi oritur, ut vult inter alios Clericus Belga, de quo num. 10. Sequitur evidenter, nec Adversarii hoc inficiari poterunt, modum probandi per Scripturam, & Patres esse rejiciendum, & proscribendum, quod impium, & sacrilegum esse nemo negabit; sequela autem est evidentissima. Damnatæ sunt à Sede Apostolica 79. propositiones Bajanæ, quinque Jansenianæ, 101. Quesnellianę, quę omnes 185. sunt. Cum verò Propositiones damnatę, quas sola ratione probari dicunt Adversarii, sint 112 constat evidenter propositiones damnatas, quę ab Adversariis per Scripturam, & Traditionem probantur, superare alias numero 73. quibus si addamus 31. proscriptas ab Alexandro VIII. & 23. ab Innoc. XII. quę certè docebantur ab iisdem Adversariis, & probabantur Scriptura, & Traditione, fit consequens propositiones damnatas à Sede Apostolica, & probatas ab Adversariis per Scripturam, & Traditionem superare num. 127. propositiones damnatas ab eadem Sede, quæque dicuntur sola ratione naturali firmari.

49. Duo hìc notanda sunt, quorum primum est, plurimas ex propositionibus Adversariorum, etiam hæresis censura inuri, cæterarum autem omnes aliquo censurarum genere. Contra verò propositiones Rationalium Theologorum minima temeritatis nota signantur, si excipias duas, quarum una ut hæresi infecta, altera ut erronea ab Alexandro VIII. notantur. Secundum est, ingentem illum numerum propositionum Adversariorum excerptum esse à solis quatuor Authoribus; (non loquor de 31. Alexandri VIII.) E contrario autem numerum minorem propositionum Theologorum Rationalium ab innumeris Authoribus excerptum esse. Porrò ex his duobus evidentibus aliud evidentissimum intelligere licet, nimirum Adversarios multò graviùs, turpiùs, & frequentiùs errasse, quàm nos. Quod cum sit adeò clarum, nescio cur Adversarii, præsertim Clericus Belga, etiamnum utantur argumento desumpto ex Pontificia damnatione propositionum, cum ab eo ipsi penitus confodiantur, & prosternantur.

50 Restat ut argumentis à ratione naturali petitis propositionem nostram confirmemus. Theologia agit tum de rebus supernaturalibus, tum naturalibus; naturalia autem posse non solùm probabilibus rationibus persuaderi, sed etiam necessaria argumentatione concludi evidens est, sive ea ad contemplationem, sive ad mores pertineant: Physica, & Metaphysica de primi generis quæstionibus disputat. Ethica verò de secundi generis

neris quæstionibus. Nonne Aristoteles, & multi alii Philosophi egregiè olim illa tradiderunt, & alii etiamnum tradunt? Cicero, & alii Gentiles quàm benè de moralibus scripserunt!

51. Inquiunt Theologiam nostram distingui à Philosophia. Ergo Theologia non debet uti argumentis Philosophicis ad probandas suas veritates, sed solùm ad illas explicandas.

Ego puto Authores talia dicentes extra quæstionem nostram saltare. Nostra quæstio est, an liceat Theologicas propositiones solis naturalibus rationibus probare. Ipsi negant, & Jueninus, & Clericus Belga dicunt hujusmodi argumentationes in errores damnatos, & Hæreses inducere. Ego illud affirmo, & nego penitus ab hujusmodi argumentis nos trahi in errores. Addo Theologum talibus rationibus utentem Personam Philosophi induere; at hæc persona non est falsa, & damnanda, sed vera, & laudabilis; non deformis, sed pulchra, non deponenda; sed retinenda Affirmo nihilominus multò pulchriorem, veriorem, laudabilioremque esse Personam Theologi.

52. At supernaturalia licebitne solis argumentationibus naturalibus noscere? De illis supernaturalibus, quæ partes naturales implicant, ut sunt Sacramenta, poterimus profectò multa; neque enim ex eo, quòd Aqua v.g. & verba evaserunt partes Baptismi, propterea à finibus Naturæ excesserunt. Quin addo aliquando argumenta naturalia certò dubium dirimere, non sic principia supernaturalia. Hæres? ambigis? D. Thomas in illa quæstione supernaturali, an puer in utero baptizari possit, aliud dubium non agnoscit, nisi illud, an puer ablui possit. Hoc dubium, si principia supernaturalia investigemus, solùm probabiliter; si naturalia, evidenter dirimemus. De primis non habemus nisi illud Gen. 38. 27. ubi dicitur geminos apparuisse in utero. Ex hac narratione videtur probabiliter dici posse Obstetricem digitis in uterum immissis hujusmodi geminos tetigisse; ac propterea posse etiam puerum in utero ab aqua tangi. Si verò in hac re principia naturalia scrutemur, evidenter cognoscemus hujusmodi pueros ablui posse, ut ostendi disp. 1. c. 4. & 5.

53. De supernaturalibus, quæ intrinsecè sunt talia v.g. de Gratia Sanctificante, de Virtutibus Theologicis &c. si etiam nulla per naturalem rationem cognosci posse concederemus, nihil ad quæstionem referret; de Deo tamen, etiam evidenter, plura ostendi posse suprà innuimus.

54. Tandem specialiter probatur propositio nostra de re morali, quod specialiter absurdum reputatur à Clerico Belga allato num. 2. & 3. Nullus adhuc inventus est, qui omnes Theolo-

gicas

gicas morales veritates vel Scriptura, vel Traditione, vel aliquo Patrum testimonio tractaverit; ergo signum evidens est vel omnes ita probari non posse, vel difficillimum esse id fieri. Hoc argumentum fit evidens ipsa experientia nostrorum Adversariorum, qui etsi pauca moralia tractant, tamen neque hæc omnia hisce argumentis confirmant. Legantur Opera ipsorum, idque Lectoribus patebit. Ego unico exemplo meum argumentum confirmare puto sufficere. Jueninus tom.7. instit. par.8. diss.5. de pœnit. q.5. c.3. art.3. nulla prorsus auctoritate adducta probat pœnitentem non satisfacere pœnitentiæ impositæ, si illam peragat, dum actu peccat, & contrariam opinionem errorem esse dicit; vel illam faciat, dum affectus peccati *in ipso prædominatur*. Hìc opus erat vel Scriptura, vel Traditione, ut Scotistæ contrarium docentes de veritate imbuerentur. V. disp.1. num:

55. Præterea naturaliter nobis nota sunt prima principia moralia, quibus postea per Dialecticam naturalem cognitionē, etiam certam, de veritatibus aliis specialibus acquirere poterimus. Sicut revelatis quibusdam generalibus principiis supernaturalibus per Dialecticam naturalem nobis aliæ speciales veritates supernaturales innotescunt. Nobis naturaliter nota sunt illa duo principia: Bonum est amandum. Malum fugiendum. Nota nobis pariter naturaliter sunt hæc alia, Deus est bonum. Matrimonium est bonum. Fornicatio, & multò magis cætera Luxuriæ genera sunt mala. Non poterimus naturaliter, atque etiam evidenter, argumentari: Ergo Deus est amandus. Ergo matrimonium est amandum. Ergo *Fornicatio*, & cætera libidinis genera sunt fugienda?

D. Thomas 2.2. q.154. art.2. probat tum Scriptura, tum rationibus naturalibus *fornicationem* esse malam; num, si Scripturam non adduxisset in medium, propterea rationes illæ naturales firmæ non fuissent? vel ante Scripturam nullius momenti erant? Vel quia ibidem sola ratione naturali ostendit matrimonium esse bonum, ideò hæc argumentatio est rejicienda?

56. Ex his patet clarissima responsio ad illud argumentum de corruptione naturæ, cui tantum fidunt Clericus Belga, & Jueninus. Quamvis corruptam esse velint naturam Adversarii, & quamvis infirmam; non poterunt tamen dicere ad tantam corruptionem devenisse, ut prima principia naturalia, etiam moralia, ut paulò ante dicebam, cognoscere non possit. Certè Tridentinum exactè describens mala, quę peccatum originale naturæ intulit sess.5. & 6. tantę corruptionis, & mutationis non meminit. Si ergo homo naturaliter prima principia noscere po-

test;

test; poterit pariter cætera, quæ cum illis connectuntur, per Dialecticam argumentando percipere. Vide num. 51. 56.

Porrò auctoritas D. Pauli ad Rom. 1. meo judicio non solùm non stat ab Adversariis; sed puto esse à nobis. Nonne expresè ait Gentes cognovisse Deum? si Gentes Deum cognoverunt; ergo cognoverunt esse amandum, & esse adorandum. Ergo Gentes naturaliter cognoverunt præceptum amoris Dei, & ejusdem adorationis. Gentes quidem Deum non glorificaverunt, nec ei gratias egerunt; ac proindè ad hæc opera peragenda requiritur Dei gratia, de quo nostra quæstio non est. Quærimus, an naturaliter possimus multas propositiones Theologicas cognoscere, non autem, an naturaliter possimus multa opera bona facere.

Exemplum Gentilium, Pharisæorum, Hæreticorum, & plurimorum Catholicorum errantium ductum naturalis rationis sequentium nihil penitus probat, ut patet ex dictis num. 49.

Hinc juvat repetere illud D. Augustini Epist. 120. Rationem non esse fugiendam, quia ratio est, sed quia *ratio falsa est*. Sicut ipsimet Adversarii coguntur dicere Hæreticis, & aliis clamantibus suos errores, & hæreses expresè, & ad verbum reperiri in Scriptura Sacra, Coguntur, inquam, dicere, probationes hujusmodi non esse malas, quia à Scriptura depromptæ sunt; sed quia falsò à Sacra Scriptura depromptæ sunt.

Quod verò Clericus Belga numer. 3. concedat questiones ad Leges Ecclesiasticas, & Civiles pertinentes solo dictamine rationis tractari posse. Hoc nihil nobis officit; quin plurimùm prodest; nam Ecclesia supernaturalia pręcipit; cum ejus finis sit supernaturalis. Ergo Clericus nobis concedit supernaturalia moralia sola ratione naturali cognosci posse. Hìc tamen mente tenendum est à Clerico nostro effatum illud adeò à Canonistis celebratum, nedum à jurisperitis, *erubescimus sine lege loqui*. *L. illam* C. de Collat. §. fin. C. de Consu. lib. 12. ut irrisiones Canonistarum vitet, quoad fieri possit.

DIS-

DISPUTATIO SEXTA.

An Auctoritates Patrum quas in medium proferunt Probabilioristæ, efficaciter probent majorem probabilitatem esse sequendam.

EX ipso quæstionis titulo perspicuum fit, me generaliter non quærere, an Patres docuerint majorem probabilitatem esse sequendam; ad hanc enim disputationem ritè tractandam ingenuè fateor me prorsus imparem esse; cum ad hoc opus sit omnia omnium Patrum volumina legisse, quod nec feci, nec id facere tempus mihi superest; neque enim quis verè affirmare poterit hanc, vel illam enuntiationem vel contineri, vel non contineri in hoc libro, nisi illum librum evoluerit. Hinc magnoperè optandum esset, ut Theologi, qui Comitiis generalibus Illustrissimi Cleri Gallicani de anno 1700. interfuerunt, ubi ab illis Patribus decretum est probabilitatem esse *inventum novum, est ortum postremò Sæculo*; optandum inquam, esset, ut hujusmodi Theologi evulgarent omnes auctoritates antiquorum Patrum, è quibus ad famosum hoc decretum efficiendum permoti sunt Antistites Gallicani. Si Probabilitas nata est *postremò Sæculo*. Ergo visi sunt Auctores, qui ante floruerunt, & visum est in nullis ipsorum reperiri Probabilitatem, sed aliam regulam.

2. Igitur solùm in præsenti disputatione quærere volo, an Patrum auctoritates allatæ à Probabilioristis revera probent majorem Probabilitatem esse sequendam. Porrò hoc negotium facillimum est, & parvi laboris; nam sufficit nonnullos Probabilioristas legere, & expendere eas, quas ipsi in medium proferunt, auctoritates; vidi enim, ut alibi manifestum feci, quoslibet ex illis exscribere ea, quæ alii antè recitaverunt; moveor verò ad hanc peculiarem dissertationem ex illo capite, quòd ita meliùs considerantur ea, quæ maximè ponderanda sunt; si enim omnia, quæ de probabilitate afferuntur, in medium adducerem, opus in immensum excresceret; ideòque mens tot, tantisque rebus defatigata non posset Patres accuratè perpendere;

te; cum tamen in hac præsertim materia auctoritas Patrum sit præcipuum argumentum, unde veritas probari queat.

3. Verùm, antequam quæstionem ipsam aggrediar, debeo monere lectores de quadam falsitate, quam mihi affingunt nonnulli; Me vocant enim simpliciter *Probabilistam*. Non est ita. Si quis legerit meum tractatum de Probabilitate, c. 30. num. 22. c. 33. num. 3. c. 48. num. 1. c. 49. num. 44. videbit me quidem asseverare ex doctrina Antiquorum nos sequi posse, etiam ipso facto, Probabilitatem; non tamen reipsa ita esse faciendum; non quidem ob aliquam, vel rationem, vel auctoritatem à Probabilioristis allatam; sed solùm ob auctoritatem Illustrissimi Cleri Gallicani clarè damnantis Probabilitatem, & ob auctoritatem Probabilioristarum, non omnium, sed multorum, qui gravi stylo, & maturo consilio, non verò dicteriis, itaque præcipiti, ut cæteri ex illis, contra Probabilitatem scripserunt. Igitur in Scholis Probabilista acerrimus sum. In moribus Probabiliorista. *Cum Antiquis Probabilitatem doceo*. Cum Recentioribus Probabilioristis *Probabilioritatem* sequor. Ita vivo. Ita vivam, nisi aliter vivendum Sedes Apostolica decreverit, vel, ut loquar cum D. Augustino, l. 7. de Gen. ad litt. c. 1. si contra nos Adversarii afferent *vel rerum rationem apertissimam*, vel *Scripturarum auctoritatem certissimam*. Vel, si ipsis placet, alicujus Patris Antiqui testimonium clarissimum. Si unum ex his effecerint, & in Scholis, & extra Scholas Probabilioristam me audient. Ad propositum redeamus.

4. Primo loco referre placet testimonia Divi Augustini, tum quòd omnium potentissima videntur, tum quòd plurima sunt; inter ipsa verò principem locum tenet, quod habetur lib. 1. contra Donat. c. 3. *Quanquam etiam*, inquit S. D. *si dubium haberet, non illic* (in parte Donati) *rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem Animæ pertinentibus vel eo solo, quòd certa incertis præponeret. Rectè quippè hominem in Ecclesia Catholica baptizari eo ipso certus est, quòd etiam alibi baptizatus huc transire decrevit. Non rectè autem apud Donatistas hominem baptizari saltem incertum habeat, cum hoc illi dicant, quorum sententiam Donatistis anteponendam esse certum habet; & incertis certa præferendo hìc baptizetur, ubi propterea certus est rectè fieri; quia, & cum alibi facere cogitabat, huc transeundum esse decreverat.*

5. In c. 5. similia habet, scribit enim. Illud itaque, quod hi dicunt, quos ipse posponis contradicentibus illis, quos ipse anteponis, aut falsum est, aut, ut mitiùs dicatur, incertum.

Vera

Vera ergo falsis, aut incertis certa præpone; illic enim, quò migraturus es, cum alibi acceperis, rectè posse accipi, quod desideras, non illi tantùm, ad quos transiturus es, sed tu ipse, qui transiturus es, confiteris. Si enim utrum rectè illic posset accipi dubitares, etiam illuc transeundum esse dubitares. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?*

6. Ex his duabus auctoritatibus hoc argumentum efficiunt. *Incerta non sunt præponenda certis; sed Probabilitas est incerta, & major Probabilitas est certa; ergo Probabilitas non est præponenda majori Probabilitati.* Hoc argumento credunt rem esse confectam, & Probabilitatem in nihilum penitus revocatam. Utuntur hoc argumento Vendrochius Epist. 5. not. 1. sec. 4. §. 1. P. Tyrsus Gonzalez Fundam. Theol. moral. dissert. 13. §. 3. num. 25. & dissert. 7. §. 9. Pater Natalis ab Alexandro Theol. moral. lib. 3. de pecc. reg. 3. Pater Cajetanus Verrani tom. 5. Theol. spec. & Dogm. disp. 31. sec. 3. num. 2. pag. 593. Pater Christophorus à Sancto Joseph in tract. de reg. mor. num. 532. & alii Probabilioristæ; quin præ manibus habeo Theses publicè defensas hìc Patavii anno 1720. & Auctor earum num. ubi majorem Probabilitatem tuetur, indicat hasce duas auctoritates; signum manifestum Auctorem credere eas rem planè conficere.

7. Alterum testimonium Augustini accipiunt ex lib. 3. contra Acad. c. 16. ubi ita scribit. Certè non fortasse omnis, qui errat, peccat; omnis tamen, qui peccat, errare conceditur, aut aliquid pejus. Quid si ergo aliquis Adolescentium, cum hos audierit dicentes turpe est errare; & ideò nulli rei consentire debemus; sed tamen cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat. Illud tantùm meminerit, quicquid occurrit vel animo, vel sensibus non pro vero esse approbandum. Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te, te consulo, Marce Tulli, de adolescentium moribus, vitaque tractamus..... Quid aliud dicturus, quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? *At illi probabile est.* Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare Rempublicam; quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam... cui enim succenseat, non habebit; cum omnes se nihil errasse dicant, quando non assentientes id, *quod visum est probabile*, fecerint.... Sed vos me jocari arbitramini. Licet dejerare per omne Divinum, nescire me prorsus quomodo iste peccaverit, *si quisquis id egerit,*

quod

quod probabile videtur, non peccat. . . Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omninò, quæ fieri, & excogitari possunt, flagitiis, & facinoribus, quæ paucis verbis, aut, quod est gravius, apud Sapientissimos Judices defenduntur. *Nihil consensi, & ideò non erravi*. Quomodo autem non facerem, *quod probabile visum est*? Qui autem non putant ista persuaderi *probabiliter posse*; legant orationem Catilinæ, qua Patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. . . . Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, *si hæc ratio probabilis erit*, cum probabile cuique visum est esse faciendum, *tantùm nulli quasi vero assentiatur*, non solùm sine scelere; *sed etiam sine erroris vituperatione committatur*. Utuntur hac auctoritate Vendrochius Epist. 5. not. 1. sect. 3. §. 6. Pater Gonzalez dissert. 12. §. 5. Pater Natalis ab Alexandro in Theol. moral. lib. 3. de pecc. c. 14. reg. 13. Pater Christophorus à S. Joseph num. 527. Sed Vendrochium puduit hanc auctoritatem in medium protulisse, & tom. 2. append. 2. sect. 3. art. 3. doctior factus cognovit alio sensu in libris Academicorum D. Augustinum accipere Probabilitatem, ac faciant nostri Probabilistæ. Pater Christophorus, si non tacuisset illa verba *Nihil consensi, & ideò non erravi. Tantùm nulli quasi verò assentiatur*, ipse quoque hanc veritatem vidisset. Revera, si Probabilistæ eo significatu Probabilitatem acciperent, quo accipiebant Academici, à testimonio D. Augustini se tueri non possent; iisdem enim verbis Probabilistæ utuntur ad significandam suam sententiam, atque utuntur Academici.

8. Ex Epist. 82. aliàs 19 hæc exscribunt. Ego . . . . solis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque debere, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritatis, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam; Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos Auctores Canonicos, vel *probabili ratione*, quod à vero non abhorreat, *persuadere potuerunt*. Utuntur hoc testimonio omnes Adversarii, præsertim P. Gonzalez dissert. 13. cap. 2. §. 1. pag. 201. qui subdit per Probabilem rationem significari rationem validam, infra tamen evidentiam, & virum Sapientem nunquam posse unam partem acriter propugnare ut veram, & oppositam rejicere ut

falsam, nisi pro illa parte fortiorem rationem inveniat, quàm pro contraria.

9. Citant S.D. ex l.2. de bapt. contra Donat. cap.6. dicentem Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est; sed afferamus Divinam Stateram de Scripturis Sanctis tanquam de thesauris Dominicis, & illa quid sit gravius, quid sit levius appendamus; imò non appendamus; sed à Domino appensa recognoscamus. Ita etiam Pater Ganzalez §.2. num. 16. pag. 203. qui num. 17. subdit ex alio recenti Probabiliorista. Si de re pecuniaria agitur, si pretium sit solvendum uno, vel altero nummo, pluries ad lancem appenditur, & si vel minima parte unius grani levior sit, vix admittitur. Sed has omnes leges vult Caramuel submoveri à commercio Salutis, & virtutis, eodemque genere, & ordine contineri res, de quibus opinamur; quamvis opiniones, quæ consulunt Saluti, & honesto, longiùs distent ab opinionibus, quæ stant pro voluntate, & commodo, *quàm aurum ab ære*, & plumbo; vult tamen Caramuel omnes opiniones probabiles pares reputari ad gloriam æternam comparandam.

10. Omnes pariter Probabilioristæ cum Patre Gonzalez n.26. & Patre Christophoro à Sancto Joseph num. 525. producunt illud ex l. 2. de Doct. Christ.c. 8. num. 12. In Canonicis, inquit S.D. Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quàm plurium auctoritatem sequatur, inter quas illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut ea, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quæ quædam non accipiunt; in his verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponas eas, quæ plures, gravioresque recipiunt eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamvis hoc inveniri non possit, *æqualis auctoritatis habendas puto*. Hìc omissum est adverbium, *facilè*, quod est collocatum ante verbum, *inveniri*. Ecce ait Pater Gonzalez, opinio tradita à pluribus, gravioribusque Doctoribus; & ideò, quæ est probabilior, præponenda est opinioni, quæ docetur à paucioribus, & minoris auctoritatis; ideòque, quæ est minùs probabilis.

11. Nec juvat, si dicas S. D. loqui in materia Fidei, non morum; nam loquitur de Scripturis canonicis, in quibus non solùm mysteria Fidei, sed etiam morum præcepta continentur. Hinc num. 14. subdit In his omnibus timentes Deum, & pietate

tate mansueti quærunt voluntatem Dei, cujus operis, & laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros.... Deinde illa, quæ in eis aperta sunt *vel præcepta vivendi*, vel regulæ credendi solertiùs, diligentiùsque investiganda sunt, quæ tantò quisque plura invenit, quantò est intelligentiæ capacior; in iis enim, *quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi*; Hactenus D. Augustinus. Hìc certè S. Doctor clarè significat se loqui tum in materia fidei, tum morum. Ergo per S. D. sequi debemus majorem Probabilitatem non modò in materia Fidei, sed etiam morum.

12. Verùm addenda sunt, quæ Adversarii prætermittunt, & quæ sunt, *spem scilicet, & Charitatem*, de quibus superiore libro tractavimus. Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua Scripturarum Divinarum in ea, quæ obscura sunt, aperienda, & discutienda, pergendum est, *ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant*.

13. Probabilioristæ plurimùm fidunt testimonio, quod habetur hom. 12. inter 50. Hoc utuntur Vendrochius Epist. 5. not. 1. sec. 2. §. 2. Pater Gonzalez num. 28. pag. 206. Pater Christoforus n. 286. Pater Natalis reg. 14. & breviter omnes Probabilioristæ. En verba S. D. Ecce dat tibi securitatem procurator. Quid tibi prodest, si Pater Familias non acceptet? Procurator sum, servus sum. Vis dicam tibi? vive quomodo vis; Dominus te non perdet. Securitatem tibi Procurator dedit. Nihil valet securitas Procuratoris. Utinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te sollicitum facerem; Domini enim securitas valet, etiamsi nolim; mea verò nihil valet, si ille noluerit. *Quæ est autem securitas, fratres, nisi ut Domini jussa intentè, diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus*? Huic auctoritati Vendrochius subjecit aliam ex serm. 34. de diversis, ubi *Serpentis* vocat *dispensatores*, quicunque promittunt, quod non promisit Deus. Pater verò Gonzalez subjungit verba Cardinalis Aghirre tom. 1. Theol. S. Ansel disp. 2. num. 57. dicentis Hæc audiant, & expendant, qui in rebus summi momenti, quales sunt ad salutem æternam spectantes, & ad observantiam divinæ legis, avidè exquirunt DD. benignos, ut vocant, suæ cupiditati faventes; quamvis enim ii procuratores securitatem promittant, nullam, nullam præstant; quoniam Dominus Judex est, & solis his securitatem spondet, *qui ipsius jussa intentè, diligenterque audiunt, & opere exequuntur*. Ego in Codice D. Augusti-

gustini edito à PP. Benedectinis in citata hom. 12. allatum testimonium non reperio; quin etiam Viri eruditi illam hom. 12. inter spuria S. D. collocant.

14. Citant homil. 41. fin. quæ nunc est serm. 393. & habetur can. *Si quis autem.* 7. dist. de pœnit. ubi dicitur: Aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur; quod horum tibi futurum sit, nescio. *Ergo dimitte incertum, tene certum.* Utitur hac authoritate Pater Verrani sec. 21. nu. 4. ad probandum illud axioma *In dubiis tutior pars est eligenda*; & sect. 23. num. 50. nu. 17. pag. 603. allegat ex conc. 1. in psal. 48. illa Verba Hæc est in hominibus mala, & usitata perversitas; quia, cum debeant ipsi vivere secundùm voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundùm voluntatem suam; & cum ipsi nolint corrigi, illum volunt depravari. Rectum non arbitrantur, quod ille vult, sed quod ipsi volunt. Hoc testimonio credit explodi regulam sequendi æqualem Probabilitatem.

15. Vendrochius Epist. 5. not. 1. sec. 2. §. 3. quædam dicta S. D. in medium adducit, & per ea credit Probabilitatem penitus refutari. Ait ex D. Augustino communiter à Theologis laudato peccatum definiri *esse Factum, dictum, concupitum contra legem Dei æternam*. Ergo, si quæ opinio, quamlibet probabilis, ab æterna lege dissideat, ut disidet semper illa, quæ falsa est, qui eam sequitur, agit utique contra legem æternam; ideòque propriè dictam peccati rationem suscipit.

16. Præterea lib. 2. de liber. arbit. cap. 19. ait S. Doct. Fit homo justus, fortis, prudens, coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibusque virtutum. Et in ps. 61. cum sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quandam justitiam, (idest Deum) à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es. Et serm. 44. de divers. cap. 6. Justitia prestò est justè viventi. Secundùm ejus regulam videt, quemadmodum justè vivat. Et sicut justi benè vivendo eam vident; ita injusti malè vivendo eam non vident. Nam & ille justè vivit, cum eam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat; quia nisi secundùm Justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur. Subdit Vendrochius. Dicant nunc Probabilitatis auctores, an qui opinionem probabilem æternæ legi reipsa contrariam sequitur, videat æternam justitiam, & ex ea actus dirigat. Et hoc si absurdissimum esse sentiunt, agnoscant erroris sui damnationem in illustribus illis Augustini verbis. *Nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.*

Affert

Affert etiam epist. 154. quæ nunc est 47. num. 4. ubi ait. Si quis autem bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit. Addit Vendrochius; Unde Gratianus 1. q. 5. ait: *ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est*. Hoc unum veræ Theologiæ decretum, & ab omnibus antiquis Theologis, ut agnoscit ipse Vasquesius, unanimi consensu traditum totam hanc causam plenè conficit; qui enim opinionem falsam, & juri naturali contrariam, quam probabilem putat, sequitur in agendo, is propriè ex ignorantia agit; ignorat enim illicitum esse, quod facit, nec potest ad ignorantiam invincibilem confugere; qui enim aliquid, quod revera non liceat, licere tantùm probabiliter putet, is etiam probabile tenet non licere. Itaque ex hac opinionum varietate in dubitationem incidat, necesse est, à qua ut se expediat, ad præfinitas à Deo inveniendę veritatis vias, *ac maximè ad orationes debet confugere*. Hoc, si ea, qua par est diligentia fecerit, *procul dubio, quærit, inveniet*. Sin autem facere neglexerit, vincibiliter jam potiùs, quàm invincibiliter veritatem ignorare dicendus est.

17. Infra §. 4. iterum damnat Probabilistas, si preces non fundant ad impetrandam à Deo veritatem. Dicit ergo. Qui necessarium à Deo Sapientię lumen eo modo postulant, quo res tanta petenda est, id, quod petunt, nunquam non impetrant, cum in hoc non Apostolum modò Jacobum, sed ipsum luminis largitorem Christum fidejussorem habeamus. Qui ergo non accepit, hoc ipso vel non petiisse, vel non ea, qua par erat, cordis munditie, & Castimonia petiisse convincitur. Hactenus Vendrochius. Si hæc vera sunt, vę omnibus Theologis, etiam antiquis, qui mortui sunt inter se dissidentes in multis ad jus naturale spectantibus.

18. Mastrius in 2. disp. 2. art. 4. affert plurima loca D. Augustini, quę congesserat Merenda, unus ex primis, qui pro Probabilitate decertavit. Sunt autem sequentia. In psal. 100. scribit. *In regula non vos agnosco; novi enim regulam justitiæ meæ; non illi congruitis; declinatis ab ea, distorti estis*. Subdit Merenda, regula justitię Dei est veritas. Ergo regula probabilitatis, quę potest esse falsa, non spectat ad regulam divinam. In psal. 103. ait. Angustam tibi semitam statuit Deus: Quicquid extra illam est, lubricum est. Subjungit Merenda. Via Probabilitatis continet defectum, cum possit esse falsa; & pręterea est lata. Ergo est semita lubrica. In psal. 39. scribit. Voluntas Dei

nostra regula est; illa autem integra manet; regula enim est incommutabilis. Cum ergo Probabilitas, dicit Merenda, sit mutabilis, non spectabit ad regulam statutam à Deo. In psal. 35. scribit: plures non intelligere, ut benè vivant, non quia non possunt; sed quia nolunt; aliud enim est, quando quis conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, *aliud autem, quando perniciosiùs agit adversùs seipsum cor humanum, ut, quod posset intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat*. Hìc Merenda subdit. Excusatio infirmitatis Carnis congruit indoctis sequentibus opiniones existimatas probabiles; defectus autem bonæ voluntatis congruit Magistris docentibus Probabilitatem, qui nolunt uti regulis inveniendæ veritatis, quibus uti possunt, ex quibus intelligere possent doctrinam Probabilitatis posse esse falsam. Addo ego. Nonne Jacob, dum cubitum petiit, uti poterat lucerna, qua vidisset mulierem illam, quæ in lecto jacebat, non esse uxorem suam? & tamen, quia ad hanc diligentiam non tenebatur, excusatur. Ergo non benè argumentatur Merenda.

19. Prosequitur Merenda, & ex lib. 2. Acad. observat D. Augustinum docere illum esse sapientem, qui perfectè quesierit veritatem, etiamsi ad eam modum pervenerit. Tum addit ipse. Quis autem dicat esse modum perfectum quærendæ veritatis acquiescere illi regulæ dicendi, quæ per se est indifferens ad verum, & falsum, *cum per hoc ducat per accidens* ad bonum. Affert lib. 4. Quæst. super Num. c. 45. ubi disputat, utrum peccata, quæ à nescientibus committuntur, dici possint peccata nolentium, & inquit; si peccatum procedat ex negligentia quęrendi substantiam præcepti, non sunt peccata nolentium; quia, dum gravis ratio urget, inquit Merenda, pro malitia actus sic, *quòd illectus non acquiescat rationibus probabilibus contrarium suadentibus, non potest dici, quod sit nescius malitiæ verè existentis in eo.* Hasce auctoritates ex Merenda exscribit Mastrius, & num. 89. ait, omnes singillatim recensere opus non esse, quia plures ad rem non faciunt; hinc allatas dicit esse potiores, quibus dilutis cæteras per se corruere.

20. Pater Christophorus à Sancto Joseph in tract. de reg. morum num. 285. in medium adducit S. D. in psal. 35. num. 3 dicentem. Quid enim dicit? quàm multi hoc faciunt! Et quis hoc non facit? Et nunquid omnes perditurus est Deus? Num. 606. citat. c. 3. de quantitate Animæ, ubi ita scribit. Fieri non potest quadam providentia divina, ut religiosis animis seipsos, & Deum quærentibus, idest veritatem piè, & castè, & diligenter investigantibus, inveniendi facultas desit.

21. Si-

21. Sinnichius apud Vendrochium Append. 2. sec. 3. art. 3. citat. l. de util. creden. c. 11. ubi hæc habet. Tria sunt veluti finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, *intelligere, credere, opinari*; quæ, si per seipsa considerentur, primum sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio. Subdit Sinnichius: si nunquam sine vitio: nunquam ergo non vitiosum. Rursùm si nunquam non vitiosum, profectò nunquam non inordinatum, nunquam non monstruosum, nunquam non naturæ rationali dissentaneum. Vendrochius tamen, sicut & Pater Gonzalez dissert. 1. num. 2. clarè ostendunt D. Augustinum alio sensu accipere opinionem, ac faciunt Probabilistæ.

22. Pater Fogarinus disp. 3. par. 2. sec. 7. subsec. 1. n. 242. affert ex eodem lib. de util. cred. c. 12. num. 27. illa verba. Omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum ullo modo esse potest, quod non à recta ratione proficiscitur. Porrò recta ratio est ipsa virtus; cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præsto est? Solus igitur Sapiens non peccat. Usus priùs fuerat hoc testimonio apud Mastrium n. 89. Merenda, qui subdit non posse spectare ad virtutem Sapientiæ, vel prudentię, quod rationi rectæ absolutè non convenit.

23. Pater Natalis ab Alexandro Theol. Dogmat. & moral. lib. 3. c. 14. regul. 15. recitat auctoritatem ex prolog. Retract. ubi explicans Jacobi cap. 3. damnantis Magistrorum pluralitatem ait, tunc talem pluralitatem contingere, quando DD. diversa, & adversa inter se sentiunt; cum ergo, inquit Pater Natalis, ex Probabilitate proveniat, ut Doctores diversa inter se, & adversa doceant; sequitur Probabilitatem esse causam pluralitatis Magistrorum.

Testimonia adducta videntur proximè Probabilitatẽ oppugnare; sed hoc non contenti eam etiã obliquè adoriri conati sunt. Studuerunt ergo ostendere Probabilitatem reddere hominem parum veritatis amantem, & segniorem ad bonos mores componendos, Cœlique viam capessendam. Proferunt ergo in medium plures auctoritates Divi Augustini, in quibus significat magnam operam dandam esse ad inveniendã veritatem, falsitatemque fugiendam; hinc lib. 1. contra Acad. c. 4. ait: Quisquis minùs instanter, quàm oportet, veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantùm, quantùm homo *potest, ac debet*, dat operam inveniendæ veritati, etiamsi non inveniat, beatus est, seu eximitur à peccato. Adhibent hoc testimonium P. Gonzalez dissert. 13. c. 2. §. 3. pag. 204. & Pater

Christophorus à Sancto Joseph num. 525. Addit P. Gonzalez ex lib. 12. Confess. c. 25. ubi S. D. invehitur in quosdam, qui Spiritu superbiæ ducti, & suis placitis nimis adhærentes illi obsistebant circa sensum illorum verborum, *In principio creavit Deus Cælum, & terram*, superbi sunt, inquit, nec noverunt Moysi sententiam; sed amant suam, non quia vera est; sed quia sua est; alioquin & aliam veram pariter amarent, sicut & ego amo, quod dicunt, quando verum dicunt, non quia ipsorum est, sed quia verum est; & ideò idem S. D. Epist. 6. ajebat, omnes aut sumus, aut tenemur esse cives illius Civitatis, cujus Rex, & Imperator est veritas, ne simus ex alia, cui falsitas dominatur, & vanitas. Subdit Pater Gonzalez quando S. D. animadvertebat se opinionem falsam docuisse, illam deserebat. Quis hoc non facit, si protervus non sit? Hinc lib. 3. contra Cresconium Grammaticum cap. 3. dicit: sicut laudabile est à vera sententia non amoveri; ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus est; secunda mutare, aut ex initio vera permaneat, aut mutata falsa vera succedat. Quamobrem lib. 22. de Civit. Dei cap. 23 sollicitè admonet excubandum esse, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant; ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur.. ne in ea, quæ agenda non sunt, cupido præcipitet. Rationem verò, cur sic excubare, & vigilare debemus, reddit serm. 12. de Tempore, nam voluntatis propensio auctoritatem vitiis quærit, & quod malum est, bonum, aut bono proximum esse suadet. Hinc S. D. Epist. 7. nunc 143. num. 2. satis ostendit, quàm sollicitè veritatem desideraret, & falsitatem fugeret. Ait enim: Ego fateor me ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt; unde, si aliquid vel incautiùs, vel indoctiùs à me positum est, quo non solùm ab aliis, qui id videre possunt, meritò reprehendatur; verum etiam à meipso; quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio; nec mirandum est, nec dolendum, sed potiùs gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perversè se amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat; quantò enim meliùs, & utiliùs, ut, ubi ipse erravit, alii non errent; quorum admonitu errore careat. Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat... Hactenus S. D ex quo patet nos non posse judicare veram illam opinionem, quæ nobis apparet vel magis, vel æquè falsa; cum enim secundùm D. Augustinum *nihil fortiùs* desideret; Anima, quàm veritatem, nequit amplecti illam opinionem ut ve-

veram, quando majus, vel saltem non minus fundamentum ad judicandum esse falsam, quàm ad judicandum esse veram, habet: cum enim natura sua sit ordinata ad veritatem, non minùs horret falsitatem, & deceptionem, quàm amet, & desideret veritatem, & ideò ajebat D. Augustinus Enchir. c. 10. usque adeò natura rationalis refugit falsitatem, & quantùm potest devitat errorem, ut falli nolint, quicunque amant fallere.

24. Adversarii afferunt etiam nonnulla ex D. Augustino, in quibus ipso facto sequutus est majorem probabilitatem. Adducunt ergo in medium lib. 1. de Conjug. adulter. c. 26. ubi narrat, inquit P. Gonzalez dissert. 13. num. 30. pag. 206. suo tempore alios docuisse esse baptizandum Cathecumenum, qui mortis periculo constitutus nullum daret indicium volendi Baptismum; alios verò id negasse. S. D. benignam opinionem tanquam probabiliorem sequitur, quamvis contrariam condemnare non audeat tanquam improbabilem; sed solùm ut falsam, & sibi non probatam explodat; Sic enim scribit. Cathecumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut, quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint; prosit eis, quod eorum in vita Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. *Non tamen propterea debemus damnare eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere.* Subdit P. Gonzalez, ex hoc patet D. Augustinum, quamvis cognoverit opinionem contrariam non esse destitutam omni probabilitate, sequi tamen opinionem, quæ sibi probabilior apparebat. Addit n. 31. pag. 207. Augustinus ergo amplexus est sententiam benignam, quia probabilior sibi fuit, & quasi moraliter certum Cathecumenum in mortis periculo constitutum petiturum fuisse baptismum, si posset loqui; & quamvis incertum omninò foret, an tunc Cathecumenus haberet voluntatem recipiendi, vel potiùs contrarium actum, docet Augustinus satiùs esse dare baptismum internè repugnanti, quàm negare internè desideranti, & volenti petere Baptismum. Ita syllabatim Pater Gonzalez. Si ita est, cur Adversarii tanto ardore Probabilistas damnant eò, quòd sequuntur contrarias opiniones? Si volunt nos sequi Augustinum sequendo opinionem probabiliorem; quia hoc facit Augustinus; cur ipsi Augustinum non sequuntur clarè percipientem non esse damnandos eos, qui opiniones nobis contrarias amplectuntur?

25. Si ex eo quod D. Augustinus opinionem probabiliorem sequitur, argumentari licet S. D. docuisse, & voluisse ita necessa-

sariò esse faciendum; ego indicabo plura loca, in re quidem contemplativa, in quibus clarè opinionem S. D. probabiliorem amplectitur. Ergo lib. 1. Retract. c. 21. 1. ait. Harum autem duarum sententiarum, *quæ sit probabilior*, eligat lector Epist. 140. 32. scribit: si quid autem dici potuit *convenientius*, vel potuerit; nullius præjudicamus ingenio, doctrinæ nullius invidemus. Epist. 147. 51. ait. Quapropter, donec diligenti inquisitione, si Dominus adjuverit, reperiatur, quid secundùm Scripturas de spiritali corpore, quod in resurrectione promittitur, *probabilius sentiendum sit;* interim nobis sufficiat, quod Unigenitus Filius &c. Epist. 148. 16. docet. De Spiritali autem corpore, quod in resurrectione habebimus, quantam capiat in melius commutationem, utrum in simplicitatem spiritus cedat; ut totus homo jam spiritus sit; an, *quod magis puto*, sed nondum plena fiducia confirmo, ita futurum sit spirituale corpus, ut propter ineffabilem quandam facilitatem Spiritale dicatur, servet tamen substantiam corporalem, quæ per seipsam vivere, ac sentire non possit, sed per illam, qui ea utitur, spiritum &c. multa alia, quæ in hac quæstione movere possunt; fateor me nondum alicubi legisse, quod mihi sufficere existimarem sive ad discendum, sive ad docendum. Lib. 2. de doct. Christ. c. 12. num. 17. scribit. Nunc autem collato interpretum sensu probabilior occurrit sententia propriè de consanguineis non despiciendis esse præceptum (Isa. c. 58. 7.) Lib. 1. de moribus Eccl. c. 29. num. 61. pag. 527. ait. Cum, si exemplaria proferres altera, tenere non deberem, nisi ea, *quæ plurium consensione commendarentur*.

26. Alio modo obliquè oppugnat Pater Natalis ab Alexandro Probabilitatem in quadam Epist. ubi affirmat illum esse imprudentem, qui certis incerta præponit, uti facit Probabilista. Hanc verò imprudentiam oriri ex cœcitate cordis, & cœcitatem proficisci tanquam pœnam ex nostris peccatis. Ad hoc probandum affert D. Augustinum lib. 7. contra Julian. Pelag. c. 11. scribentem, Et peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, cum cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum aliquod malum cœci cordis errore committitur. Addit alteram auctoritatem lib. 2. confess. c. 19. ubi ait Deum super peccatores pluere laqueos, & lege infatigabili spargere pœnales cœcitates super illicitas cupiditates.

27. Nunc tempus postulat, ut alios Patres à Probabilioristis productos in medium afferamus temporum ordinem servando. Primus est Clemens Pontifex: Authoritas deprompta est ex Epis. 5. & refertur Can. *relatum*, 37. dist. ubi ait. Relatum nobis est, quod

qui-

uidam in vestris partibus commorantes adversantur sacris do-
:rinis, &, prout eis videtur, non secundùm traditionem Pa-
rum; sed juxta suum sensum docere videntur; Multas enim
uidam, ut audivimus, vestrarum partium ingeniosi homines
xiis, quæ leguntur, verisimilitudines capiunt; & ideò dili-
enter observandum est, ut lex Dei, cum legitur, non secun-
ùm propriam ingenii virtutem, vel intelligentiam legatur, vel
oceatur. Sunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ pos-
unt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque spontè præ-
umpsit; sed fieri non oportet; non enim sensum, quem extrin-
ecus adulteretis, alienum, & extraneum debetis quærere, aut
juoquo modo ipsum scripturarum auctoritate confirmare; sed
:x ipsis scripturis sensum capere veritatis; & ideò oportet ab
:o intelligentiam discere scripturarum, qui eam à majoribus se-
:undùm veritatem sibi traditam servavit, ut ipse possit ea, quæ
ectè suscepit, competenter asserere.

28. Subdit P. Gonzalez dissert. 13. c. 2. §. 2. hæc documenta persuadent in iis, quæ ad fidem, & bonos mores spectant, illam sententiam esse præferendam, quam Sancti Patres ex scripturis habuerunt; vel per traditionem à majoribus acceperunt; unde, cum sententia benigna de minori probabilitate sequenda destituta sit suffragio *omni*, & auctoritate Patrum, à veritate aliena censenda est. Isteque locus est valdè opportunus ad improbandum modum procedendi aliquorum Casuistarum, qui, ut affirment aliquid esse licitum, satis habent adducere aliquod argumentum à paritate, seu similitudine aliarum rerum, quæ licitè reputantur; constatque hinc ejusmodi opiniones sic probatas nō sufficere ad securitatē conscientiæ, præsertim quando pro opposita parte sunt argumēta desumpta à Patribus, & à jure Canonico.

29. Afferunt deinde Tertullianum de spetac. c. 20. ubi sic ait: erramus, nusquam, & nunquam excusatur, quod Deus damnat. Nusquam, & nunquam licet, quod semper, & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ & debetur disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii, non mutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod verè quidem est bonum, seu malum; omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt. Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec Doctor veritatis Deus, malum, ac bonum pro arbitrio, ac libidine interpretantur. Alibi bonum, quod alibi malum; alibi malum, quod alibi bonum. Subdit Vendrochius Epist. 5. not. 1. sec. 2. §. 2. *Videant Casuistæ, ne hęc in ipsos non minùs bellè, quàm in Ethnicos cadant.*

30. Ter-

30. Tertio loco adducunt Cyprianum. P. Gonzalez loco citato num. 14. non indicat librum, ex quo hæc auctoritas depromatur. En verba S. D. In compendio autem est apud religiosa mentes, & simplices, & errorem deponere, & invenire, atque eruere veritatem; nam, si ad Divinæ Traditionis originem, & caput itur, cessat error humanus, & Sacramentorum cœlestium ratione perspecta, *quidquid sub caligine, ac tenebrarum latebat luce veritatis aperitur*. P. Gonzalez Merendam approbat dicentem ad cognoscendum an liceat Probabilitatem sequi debere nos investigare secundùm regulam datam à D. Cypriano, quid senserint Apostoli, quidve eorum discipuli. Tum subdit cum eodem Merenda. *Si autem hoc quærere recusaverint, quid de ipsis sentiendum?*

31. P. Cajetanus Verrani producit Lactantium de Divin. instit. lib. 5. c. 13. ita scribentem. Ne trahamur auctoritate cujusquam; Sed veritati potiùs faveamus, & accedamus. Nullus hìc temeritatis locus est. In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Hactenus Lactantius ab illo citatus; sed ipsum integrum audiamus. Restat ut in sola Ethica totius Philosophiæ vis contineatur, ad quam se, abjectis omnibus, contulisse dicitur; in qua etiam parte, quoniam Philosophos errasse docui, qui summum Bonum ..... non comprehenderunt, apparet falsam, & inanem esse omnem Philosophiam; qui nec instruit ad justitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat. Sciant igitur errare, qui Philosophiam putant esse Sapientiam. Non trahantur auctoritate cujusquam; sed veritati potiùs, & faveant, & accedant. *Nullus hìc temeritatis locus est &c.*

32. P. Natalis in quadam Epist. in qua conatur explodere minorem probabilitatem, affert aliam auctoritatem Lactantii ex eodem lib. c. 27. dicit hìc Lactantius. Nihil ne illi Philosophi præcipiunt? imò permulta, & ad verum frequenter accedunt; sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & auctoritate majori, idest Divina, carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse, qui audit, quàm ille, qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod à scientia veniat. Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa, & varia proferantur, stultissimi est hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint, an falsa dubitatur. Et ideò nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.

33. A D. Basilio quatuor auctoritates accipiunt. Prima est in psal. 61. ad illa *Mendaces filii hominis in stateris*. Ait ibi. En

tibi

bi datur libra, quæ sufficiens discrimen mali, & boni demonstrat; Corporea namque pondera in libræ lancibus comprobamus; quæ verò ad instituendam vitam eligenda veniunt, *per liberum arbitrium*, ratione scilicet regulatum, *discernimus*, quod stateram nominamus, *quod momentum æquale ad utramlibet artem capere potest*. Utitur hac auctoritate P. Gonzalez. n. 16.

34. Alteram auctoritatem D. Basilii sumunt ex lib. de abdicat. rerum, ubi hæc habentur. Contendit Adversarius noster, ut nobis persuadeat, ut alicui nos credamus propria vitia simulata quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo innumeris nos pravis libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mitius gere volens Magistrum tibi quæsieris, tecum se ad vitia tua demittentem, vel, ut melius dicam, secum una in eandem perniciem corruentem, frustra mundanis rebus nuncium remisisti, qui cœcum tibi ducem asciveris, cujus ductu sequuto in foveam tibi sit procidendum. Subdit Vendrochius: Ecce, Basilio teste, mollis ille, & indulgens rector, quem certè discipuli probabiliter sentire existimant, non enim aliter ipsum sequerentur; nihilominus ipsos secum in foveam abripientem qualiter probabilitate deceptos.

35. Ex eodem D. Basilio Epist. 82. tertiam auctoritatem refert P. Natalis ab Alexandro in quadam Epist. in qua agit de Probabilitate. Ecce verba S. D. Ne morer hominum judicia; sed per Evangelica præcepta absolutè instituar, quæ neque cum temporibus, neque humanarum rerum circumstantiis mutantur; sed eadem permanent ita perdurantia, ut à veraci, ac beato ore prolata sunt; homines verò similes sunt nubeculis pro ventorum immutatione ad aliam, atque aliam aeris partem jactati. Quartam in medio producit ex Princip. in Proverb. Pater Fogarinus disp. 3. par. 2. num. 400. ubi ita scribit. Vera prudentia eorum, quæ agenda sunt, cognitio est, quam si quis sectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteque abscedet. Nunquam vitiorum viam imitabitur. Subdit Fogarinus: *Usum Probabilitatis imitari passim viam vitiorum* ... Certum est, ut *patet ex propositionibus jam damnatis*.

36. D. etiam Gregorium Nazianzenum in Patrocinium vocant, & ex orat. 27. hunc locum proferunt. At plerisque, inquit, secus videtur. Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit; hoc miserum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videtur, nihil ad nos; Quemadmodum nec alienum omnium. Hactenus S. D. Utuntur hac auctoritate P. Gonzalez num. 18. & P. Verrani,

No

Notant ex S. D. non sufficere, ut conscientia secura sit, *multi ita videri*; sed necessarium esse judicium verum, seu de veritate *assecurari*.

37. Pergunt deinde, & D. Joannem Chrysostomum advocant in auxilium; hinc P. Gonzalez num. 15. homil. 44. in Matt. profert in medium. En verba S. D. Si vestimentum empturus unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & prætio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes DD. & inquirere ubi sincera veritas Christi venditatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, plusquam vestimentum? & homil. 13. in c. 7. 2. ad Cor. Ne igitur, inquit, multorum opiniones habeamus; sed res ipsas inquiramus. Quomodo autem non absurdum propter pecunias aliis non credere; sed ipsas numerare, & supputare; pro rebus autem amplioribus aliorum sententiam sequi simpliciter, præsertim cum habeamus omnium exactissimam trutinam, & gnomonem, ac regulam; divinarum inquam legum assertionem; ideò obsecro, & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic, vel illi videatur; Deque his à Scripturis hæc omnia inquirite, & veras divitias discentes eas sectemur, ut æterna bona assequamur. Subdit P. Gonzalez: ex quibus verbis constat absurdum esse, quod homines in negotio salutis non sequantur doctrinas tutiores; quando agnoscunt esse veriores, seu probabiliores, & quod non quærant doctrinas meliores, & magis fundatas, qui vestes, & calceos quærunt meliores; & quod non solliciti sint inquirere an sint veræ doctrinæ favorabiles, quas amplecti volunt; Colligitur insuper nos non posse licitè sequi opiniones hominum nobis faventibus præcisè, quia opiniones hominum sunt; sed quia sunt opiniones veræ, quę nobis manifestant sententiam Dei, ejusque voluntatem proponunt ut regulam; ac proindè non debere nos simpliciter, ac sine diligenti examine amplecti doctrinas hominum; quin priùs prudenter judicemus illas esse veras, & legi æternæ conformes.

38. Pater Fogarinus sec. 3. subsec. 3. adducit D. Hieronymum in cap. 2. lament. Jeremiæ dicentis: Hinc etiam per Isajam dicitur: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum; undè cavendum est, ne pro veritate sequamur mendacium; ne pro lumine tenebras; multæ enim sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ, & novissima eorum perveniunt ad profundum inferni. Subdit Fogarinus S. D. non agere de mendacio manifesto; nam verbum *videntur* non congruit viæ manifestæ, malæ

ergo

rgo agit de mendacio, & via mala habente Probabilitatem, & hanc distinguit à via expressa in præcepto: *nec declinabitis ad dexteram, nec ad sinistram.*

39. Idem Fogarinus num. 404. citat D. Dorotæum in doctrina quinta, cujus titulus: *Non debere quemquam suæ prudentiæ confidere.* Ait ergo: Nostrum igitur est, fratres, nos ipsos ad voluntatem Dei dirigere, nec proprio cordi quidpiam credere; sed si quid nobis bonæ rei fuerit, audiamusque ab aliquo *seniorum* quia bona est, debemus quidem credere, quia bona est, non autem credere, quod ante nobis sit visa bona esse; & quia justa est, debet fieri; non autem quod sic eam opinemur. *Deus nos eripiat ab hoc periculo instituendi nos ipsos, dignosque faciat, ut sequamur, & teneamus viam Patrum nostrorum.* Pater Fogarinus vult, ut notemur illud verbum, *seniorum*. Mox num. 405. subdit: *Ecce quàm parvi fiat ab hoc Sancto Doctore auctoritas Modernorum.*

40. Vendrochius Epist. 5. not. 1. sec. 2. §. 2. affert Epist. 3. Felicis Tertii Summi Pontificis dicentis: sciat quod se decipit ipse, qui fallit; nihilque per nostram facilitatem Tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt. Mox tres auctoritates Gregorii Magni considerat. Prima est ex lib. 1. moral. cap. 2. Hic scribit: Nonnulli ita sunt simplices, ut rectum quid sit, ignorent; eo veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quo ad virtutem rectitudinis non assurgunt; quin, dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt: Vendrochius ait hunc locum *apertiùs* spoliare probabilitatem falsam securitate.

41. Altera auctoritas est ex lib. 3. c. 19. Plerumque, inquit, quædam se nobis vitia sub specie virtutum tegunt, quasi blanda ad nos facie veniunt; sæpè immoderata ira justitia; sæpè incautus timor humilitas; sæpè effrænata superbia appetit libertas apparere. Ad consolandum ergo amici Job veniunt; sed ad increpationis verba dilabuntur; quia nimirum vitia virtutem specie palliata, blanda quidem superficie, inchoant; *Sed aspera nos contrarietate perturbant.*

42. Tertia auctoritas accipitur ex lib. 5. c. 6. Sæpè opus nostrum causa damnationis est, quod profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placari Judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait, est via, quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem; unde Sancti viri, cum mala superant, sua etiam benè gesta for-

formidant, ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera labes putredinis sub boni specie lateat coloris; sciunt enim, quia corruptionis adhuc pondere gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt, & cum oculos ante extremi examinis regulam deducant, hæc ipsa in se nonnumquam, & quæ approbant, metuunt, & tota quidem mente interna desiderant; sed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiuntur, ignorant.

43. Subdit Vendrochius hanc putredinis pestiferam labem, & hæc vitia sub virtutis specie contecta esse illicitos per se actus, qui liciti à nobis falsa verisimilitudine videntur. Hæc ergo cum nihilominus certa esse peccata pronunciet Gregorius, & propterea trepidos semper esse justos jubeat, ne fortè Deo displiceat, quod à nobis rectum existimatur, *manifestè totam Probabilitatis doctrinam evertit.*

44. Denique Vendrochius duas auctoritates valdè longas Divi Bernardi de præcept. & dispens. c. 17. & 18. in medium adducit. En primam. Ut interior oculus verè sit simplex, duo illi arbitror esse necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem; nam, si bonum diligat quidem, sed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam; & nescio, quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem Magistra Veritas, estote, inquit, prudentes, sicut Serpentes, & simplices, sicut columbæ. Præmisit ergo Prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? Aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? scriptum est enim ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam, & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, *Benevolentia*, *atque Prudentia*, ut oculus videlicet cordis non solùm pius, qui fallere nolit, sed etiam cautus sit, qui falli non possit.

45. En alteram auctoritatem cap. 18. Sine malo quocumque non erit decepta simplicitas. Cur inquis? numquid non ex fide? sed falsa; vel potiùs non ex fide; quia fides falsa fides non est. Denique de fide vera, non falsa, puto dixisse Apostolum, omne, quod non est ex fide, peccatum est. Non autem ex fide vera bonum creditur, quod malum est; est enim falsum; peccatum igitur est. Utrumque proindè complectitur præsens capitulum; *Omne, quod non est ex fide, peccatum*

est

est; & cœcam videlicet malitiam, & deceptam innocentiam; quia, quod à nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta. *Sive itaque malam putes bonum, quod fortè agis; sive bonum malum, quod operaris; utrumque peccatum est; quia neutrum ex fide.* Subdit Vendrochius, nihil huic loco addere necesse est; videtur enim Bernardus omnia istorum suffugia præcludere studuisse.

46. Patri Natali ab Alexandro lib. 3. Theol. Dogmat. & Moral. c. 4. regul. 15. placuit. tertiam auctoritatem D. Bernardi addere depromptam ex Epist. 174. in quâ S. D. invehitur contra servantes solemnitatem conceptionis B. V. & ait numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Nec verò id tale est, quod, nisi prætereundum fuerit, Patrum quiverit diligentiam præteriisse. Hac auctoritate probat Morum Regulas *ex SS. & traditione, non ex solis hominum opinionibus depromendas.* A simili potuisset argumentari, nos probabilitatem sequi non posse, quia Sacræ Scripturæ, & traditionis fundamentum Probabilitas non habet, ut ipsi Probabilioristæ semper decantant.

47. In reg. 13. affert duas auctoritates D. Thomæ, primam ex Quodl. 8. q. 6. art. 3. alteram ex Quodl. 9. q. 7. art. 2. quibus ostendere conatur minorem probabilitatem non esse rectam morum regulam. In reg. verò 14. ubi probare contendit extrinsecam probabilitatem ex unius, vel plurium Scriptorum auctoritate petitam opinioni morali securitatem conciliare non posse, adducit in medium locum ex Quodl. 3. q. 4. art. 2.

48. Quamvis videatur esse extra quæstionis terminos, quod hunc notare placet; tamen existimo hìc esse breviter considerandum. Pater Christophorus à S. Joseph recentissimus Probabiliorista in tract. de reg. mor. par. 2. q. 5. art. 13. à num. 1068. quærit quænam sint *media* ad inveniendas veritates morales, & §. 1. determinat exercitium virtutum ad hoc valdè conducere. In §. 2. statuit humilitatem, & obedientiam valdè mentem præparare ad inveniendam veritatem, & *regulandam* conscientiam. In §. 3. probat orationem præcipuum esse *medium* ad inveniendam veritatem. In §. 4. ait Charitatem multipliciter docere veritatem.

49. Hæ sunt auctoritates PP. quas adducere in medium solent Probabilioristæ ad probandum majorem probabilitatem esse sequendam. Ego semper existimavi esse omninò inefficaces, & prorsus infirmas, & solùm primam habere aliquam veri speciem.

Ut verò hanc meam existimationem manifestam faciam, hìc

est omninò notandum, & memoriæ mandandum; quando Probabilioristæ dicunt nos docere minorem probabilitatem sequi nos posse, hoc non esse verum de omnibus *Agentibus*, nullo excepto; nam nec Judex in judicando, nec conferens Sacramenta, quando agitur de *valore* Sacramenti, nec Medicus in medendo possunt sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliore, & tutiore. De duobus primis id decretum est ab Innoc. XI. proposit. 2. & 1.

50. Item non esse verum in quacumque materia; sicut nec in quacumque materia sequi possumus majorem probabilitatem; hinc quamvis Hæretici probabiliùs judicent, quin etiam certò credant non esse ex præcepto Divino confitendas circumstantias mutantes speciem; non propterea excusantur ab erroris vitio, & à peccato. Audiamus D. Thomam Quodl. 3. art. 10. quærit hìc *Utrum discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris:* Concludit ita: *Qui ergò assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Omnes antiqui, qui de hujusmodi quæstione *differuerunt*, & sunt Joan. de Fribur. Sum. confess. lib. 3. tit. 3. q. 18. Albericus V. *Opinio*. Asten. lib. 2. tit. 58. de Hæret. art. 1. q. 2. Pisanella, & ejus supplementum V. *Opinio*. D. Antoninus 3. part. tit. 5. c. 2. §. 9. Baptista de Salis. V. *Opinio*. Henricus Herp. præcept. 1. serm. 8. q. 4. & ex D. Antonino Monaldus, Guillel. & Hostiens. hunc locum S. D. exscribunt nihil addentes.

51. Certè D. Thomas, & cæteri DD. hìc quæstionem generalem tractant, quando scilicet quis peccet, si sequatur diversas Magistrorum opiniones, & respondent in materia non pertinente ad fidem, & bonos mores, nos sine periculo posse sequi quamcunque opinionem. Glossa 22. q. 2. Can. in quibus V. *Rebus* exemplum profert: *An Planetæ moveantur contra Firmamentum, vel cum ipso. An homo, & non homo eandem speciem significent.* Hinc D. August. Enchir. c. 21. relato in citato canone *in quibus* dicebat *in his errare, idest aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum, aut si est minimum esse;* Addit D. Thomas, & cæteri, si materia ad fidem, vel bonos mores spectat neminem, etiam simplicem, excusari, si sequatur opinionem erroneam Magistrorum, & probant, quia aliter qui secuti sunt opiniones Arrii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum à peccato immunes fuissent. D. Antoninus loco citato afferens exemplum eorum, in quibus sequi possumus varias opiniones Magi-

stro-

strorum sine periculo, ait: sicut varia fuit opinio inter Augustinum, & Hieronymum de observatione legalium ante divulgationem Evangelii, & de simulatione Petri circa illa legalia, & hujusmodi, habet locum, quod ait Apostolus ad Rom. 14. unusquisque in suo sensu abundet; in illis verò, quæ pertinent ad fidem, vel bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem Magistri; in talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrii, Nestorii &c.

52. Ecce per D. Thomam sequentes opiniones Arrii, Nestoriique, etiam simplices, non excusantur ab erroris peccato; per D. verò Antoninum excusantur sequentes varias opiniones D. Augustini, & D. Hieronymi. Ego addo neminem peccare sequendo opiniones D. Thomæ, & Scoti, & aliorum Theologiæ Principum. D. Antoninus ubi suprà allato quodl. 3. art. 10. D. Thomæ subdit. Aliqua sunt, quæ aliquando fuerunt in varia opinione DD. antequam per Ecclesiam fieret determinatio; & pro illo tempore potuerunt excusari, qui unam, vel contrariam tenebant; sed postquam determinatum est per Ecclesiam, *& firmata altera earum hæreticum esset contrarium sentire*. Addit exemplum, & dicit potuisse Doctores excusari *variè* opinantes de materia paupertatis Christi, antequam Joan. 22. hanc quæstionem dirimeret; at facta Pontificia decisione, nec mulieres simplices excusari posent, si variè opinarentur.

53. Antiqui quæstionem faciebant an contrariæ opiniones de Divinis Notionibus ese posent sine peccato, & communis opinio affirmabat. Ita Guilel. Altisiod. in 1. tract. de Divin. Notion. c. 5. q. 3. Albert. in 1. dist. 26. art. 27. Alen. par. 1. q. 68. memb. 1. art. 2. D. Thom. in 1. dist. 32. art. 5. & par. 1. q. 32. art. 4. D. Bonav. in 1. dist. 27. par. 1. q. 4. Ægid. dist. 33. par. 2. q. 2. Stephanus Brulifer dist. 27. par. 1. q. 4. Pelbar. in Rosar. tom. 1. V. *Opinio* num. 1. Jo: Altenstaig in Lex. Theol. V. *Opinari*. Tabien. V. *Opinio* q. 2. Fumus V. *Opinio*. Affirmabant, inquam; sed conditionem addebant. Audiamus D. Thomam in loco citato Sententiarum: Vel est de illis contrarietas opinionum, ad quæ consequitur aliquid inconveniens, & contrarium fidei, licèt in fide exprefsum non sit, nec determinatum; & tunc ante pertractationem, *per quam scimus, quod aliquod inconveniens fidei sequitur, potest utrumque sine peccato opinari*; & maximè si pertinacia non adjungatur. *Sed pertractata veritate, & viso quod sequitur* idem est judicium de eis, & de illis, quæ determinata sunt in fide; quia ad unum sequitur alterum. Sicut si ali-

cuis simplex, & Scripturam ignorans, crederet Jacob Patrem Isaac fuisse, ad quod sequitur Scripturam esse falsam, quod est expressè contra Fidem. Antequam sequi ostenderetur sibi, posset ejus opinio sine peccato esse. *Sed ostenso quod sequitur &c.* Ecce evidenter in materia de Divinis Notionibus contrarias opiniones licet sequi, donec vel Ecclesia litem dirimat, vel quæstio ita tractetur, ut res *sciatur*, *& videatur*. Sic licuit negare Antipodas ad annum 1492. sed eo tempore Christophorus Columbus, quamvis sciret D. Augustinum, & nonnullos alios Patres eos negare, alio modo voluit litem tractare, quàm ante factum fuerat, & ita etiam pertractavit, ut scire, & videre fecerit veritatem, & ipsi revertenti ab magnanima navigatione. & affirmanti se Antipodas vidisse magis creditum fuit, quàm tot famosissimis antiquis eos negantibus.

54. Ex his omnibus puto manifestum nos posse contrarias opiniones sequi sine periculo, antequam vel ostendatur manifestum Scripturæ testimonium, vel Ecclesia quæstionem dirimat, vel Doctores *scire*, *vel videre veritatem faciant*.

Nec valet, si dicas, hoc esse verum in materia contemplativa; non verò morali; Nam D. Thomas, & cæteri illi Antiqui nullam differentiam faciunt inter opiniones contemplativas, & morales. Præterea D. Augustinus lib. 1 Trinit. c. 3. dicebat *Ubi quæritur unitas Trinitatis*, nec periculosiùs alicubi erratur, *nec laboriosiùs* aliquid quæritur, *nec fructuosiùs aliquid invenitur*. Ergo error in materia de Sanctissima Trinitate est omnium periculosissimus. Ergo, si licet contrarias opiniones in materia de Sanctissima Trinitate docere, antequam inveniatur auctoritas clara SS. &c. multò magis id licebit in materia morali, utpotè quæ est materia minùs nobilis; ideòque minùs periculosa.

55. Sed audiant D. Thomam idem dicentem in materia morali. S.D.2.2. q.42.art. 2.sibi objecerat Seditio est discordia quædam. Sed discordia potest esse sine peccato mortali, & quandoque etiam sine omni peccato. Ergo etiam seditio. Respondet S. D. Quod discordia ab eo, *quod non est manifeste bonum*, potest esse sine peccato; sed discordia ab eo, quod est manifestè bonum, non potest esse sine peccato. Et talis discordia est Seditio, quæ opponitur utilitati multitudinis, quæ est manifestè bonum. Ecce, ut discordia sit mala, oportet, ut sit contra id, *quod est manifestè bonum*. Et si discordia sit contra id, *quod non est manifestè bonum*, potest esse sine peccato. Ergo in materia morali non manifestè bona poterimus tenere opiniones contrarias.

56. Hinc constat opinionem, seu probabilitatem versari in ma-

materia obscura; hinc, si materia aliqua olim fuit obscura; nunc verò sit clara; olim in illa materia Probabilitas locum habuit, non verò in præsenti. Hinc olim, dum D. Thomas junior erat, materia de ebrietate erat obscura; ac proindè licuit tunc contrarias opiniones docere; & reipsa Doctor Angelicus q. 2. de malo art. 8. ad 3. docet inebriare se non esse per se peccatum mortale. Ita etiam plures Canonistæ docebant. Postea verò hæc materia clara evasit; Hinc D Thomas 2. 2. q. 150. art. 2. clarè, & expresse docuit ebrietatem *per se esse peccatum mortale*. Hanc mutationem opinionis factam à D. Thoma in ebrietatis materia notaveram ego in meis scriptis; sed nescio causam, cur Typographus illam non ediderit in meo tractatu Probabilitatis. c. 14. num 38. Etiam, atque etiam precor Lectores meos, ut hanc mutationem loco citato notent. Sic etiam olim multifariam opinabantur in materia de Confessione facienda confessario absenti; multi enim affirmabant, ut refero c. 3. num. 21. & 22. tractatus Probabilitatis. Nunc verò postquam Clemens Octavus Bulla 87. de anno 1602. 20. Junii damnavit hujusmodi opinionem, opinio, & Probabilitas circa hanc materiam versari non potest.

57. Confirmatur hæc doctrina ex eodem D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 5. ad 4. ubi hæc scribit, sed de eodem secundùm idem non potest esse simul in uno homine Scientia nec cum opinione, nec cum fide; alia tamen, & alia ratione; *Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem; quia de ratione scientiæ est, quod id, quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere. De ratione autem opinionis est, quod id, quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere*. Hoc idem patet ex Arist. 1. poster. tex. 44. ubi ait de ratione opinionis esse, ut opinans æstimet rem posse aliter se habere. Hinc D. Bernardus de consid. lib. 5. c. 6. dicebat opinionem posse falli, & ambiguum habere; unde c. 3. definiebat opinionem; opinio est quasi habere pro vero aliquod, quod falsum esse nescias.

58. Nunc tempus est, ut auctoritatibus allatis respondeamus, & iterum fateor testimonia D. Augustini num. 4. & 5. recitata multùm fortia videri; cætera verò mihi nihil negotii facessere. Respondeo priùs retorquendo argumentum. Si quis probabiliùs judicet licere recipere Baptisma ab Hæretico, hic sine peccato ab hæretico Baptismum recipiet? Certè adversarii fatebuntur hunc Probabilioristam peccaturum; quia ex D. Thoma, qui opinionem sequitur contra manifestum Scripturæ testimonium, vel contra id, quod publicè tenet Ecclesia, non potest à peccato excusari: Cum ergo Scriptura clarè dicat Hæreticum hominem esse vitandum, nec ei

Ave dicendum; & Ecclesia semper prohibuerit consortium cum Hæreticis, præsertim in Sacris actionibus, sequitur hunc Probabilioristam à peccato excusandum non esse.

59. Ex his iterum respondeo incerta sive sint probabiliora, sive minùs probabilia non esse præponenda certis; si materia sit clara, & veritas haberi possit; secus verò dicendum est, si materia sit obscura; cum enim in hac materia veritas ipsa haberi nequeat; quia scientia solùm reperitur in materia evidenti; sola Probabilitas in hac materia inveniri potest. Cum ergo D. Augustinus loqueretur de Ministro Baptismi, in qua materia semper perspicuum fuit non posse esse Hæreticum, ut mox dicebam, & dixi disp. 1. num. 153. sequitur jure, ac meritò S. D. dixisse *incerta non esse certis anteponenda*.

60. Confirmatur. Quamvis Lutherani, & Calvinistæ non solùm magis probabiliter, sed etiam certò credant ex præcepto divino *Circumstantias* mutantes speciem non esse confessario confitendas; nihilominus peccant ipsas non confitendo, & hujusmodi peccatum erroris est. Contra verò si quis judicet, saltem magis probabiliter, ex præcepto Divino circumstantias aggravantes non esse confessario confitendas; hic certè non peccaret; & hujusmodi opinio peccatum non esset. Afferant nunc in medium disparitatem, & eandem nos dicemus intercedere inter opinionem minùs probabilem, & opinionem Donatistarum damnatam à D. Augustino.

61. Dices D. Augustinus probat non posse recipi Baptisma ab Hæretico ex eo, quod incertum est, an hæc actio sit bona, vel mala; ergo existimabat omnem incertitudinem in re morali esse malam.

Sed contra; nam cum major probabilitas possit esse falsa, est etiam ipsa incerta; & in materia, de qua loquebatur S. D. certè nec sufficiebat ad nos excusandos à peccato. Igitur incerta, quæ non sunt probabilia, ut erant incerta Donatistarum, nihil prosunt; prosunt verò, si sint probabilia, de quibus nos loquimur. Si D. Augustinus locutus fuisset in materia obscura, nihil reponere possemus; Cum verò loquatur de materia clara, cur Probabilioristæ volunt illum etiam loqui de materia obscura? *Quæ societas luci ad tenebras* dicebat Apostolus 2. Cor. c. 6? Quod dicitur de uno, dicatur de alio, quod primo sit simile; æquum est, & in jure clarum est c. *cum secundùm* de præben. c. *per venerabilem:* qui filii sint legitimi. Sed quod dicitur de uno, idem dicatur de alio, quod est dissimile; est prorsus falsum; imò contrarium affirmari debet; unde valet argumentum, quod vocant *à*

con-

contrario sensu. *c. qualis*. 25. dist. *c. quamquam* de Cens. in 6. de quo vide Glos. in d. c. *quamquam*. V. *negotiandi*. Geminianum num. 6. & Barbos. de locis commun. argum. 27. & 101. ergo, si in materia clara, de qua loquitur D. Augustinus, incerta non sunt præponenda certis; in materia obscura, de qua nos loquimur, poterimus incerta, sed probabilia, præponere certis. Hac doctrina plurimis auctoritatibus ex allatis respondetur.

62. Ad auctoritatem num. 7. Si Probabilioristæ videre veritatem voluissent, vidissent, ut vidit Vendrochius, alio sensu D. Augustinum in libris contra Academicos accipere Probabilitatem, ac Probabilistæ. Academici scientiam respuebant, & solam probabilitatem admittebant. Per ipsos omnia erant incerta, & nihil certi reperiri docebant, ex quibus manifestè sequitur omnia potuisse esse probabilia, etiam ipsa vitia; ideòque etiam perjurium, etiam Adulterium, etiam homicidium, etiam proditionem Patriæ excusatum iri, ut argumentabatur Augustinus; nam probabilitas à sola certitudine penitùs evertitur; cum ergo per Academicos nulla certitudo esset, & omnia essent obscura; jam non poterant ea, quæ verè erant vitia, ostendi evidenter esse falsa; ideòque omnia vitia probabiliter defendi poterant.

63. Contra verò Probabilitas, quam Probabilistæ sequuntur, circà materiam claram, ut diximus, non versatur; hinc nec homicidia, nec adulteria &c. ut facere cogebantur Academici, Probabilistæ defendunt; quia in hisce, aliisque materiis claris solam scientiam reperiri dicunt, & sola scientia regula humanarum actionum esse potest, non probabilitas; sicut ipsi Probabilioristæ dicere coguntur solam scientiam in hisce rebus, non majorem Probabilitatem, esse regulam actuum humanorum.

64. Ego semper credidi auctoritatem illam relatam num. 8. favere plurimùm Probabilitati. D. Augustinus ait se assensurum alicui conclusioni, si probetur vel per auctoritatem Sacræ Scripturæ, *vel probabili ratione*. *Probabili ratione* dixit. Ergo ratio probabilis vim habebat movendi mentem D. Augustini. Si D. Augustinus contentus erat sola *probabilitate*. Cur Adversarii contenti non erunt? Cæterùm gratis Pater Gonzalez ait virum Sapientem, ut rejiciat contrariam opinionem, exigere rationem fortiorem pro illa opinione, quàm pro contraria; Nam Richardus de Media Villa sæpè sequitur utramque opinionem in aliqua quæstione, & utriusque rationes diluit dicens; *qui vult tenere opinionem primam, potest respondere argumentis contrariis, &c. qui vult tenere secundam opinionem, potest respondere rationibus*

contrariis &c. Hìc indicabo solùm duo loca, in quibus ita se gessit, cætera habeo in meo tract. c. 4. num. 30. Primus est in 1. dist. 48. art. 2. q. 2. in illa quæstione morali *An teneamur nos conformare cum voluntate Dei in volito*: Alter est in 3. dist. 37. art. 3. q. 2. in illa controversia: *An quis possit defendere propriam vitam cum morte invasoris.* Ecce utramque opinionem tuetur, & utriusque rationes refellit: Certè utramque non defendebat ut probabiliorem, cum essent contrariæ; ergo illas vel ut æquè probabiles, vel unam ut magis probabilem, alteram ut minùs defendebat. Ideòque vel per æqualem rationem, vel per minùs fortem, vel per fortiorem contrariam opinionem refutabat.

65 Fagnanus in c. *ne innitaris* de constit. num. 46. assuetus, utpotè Canonista, ad judicanda facta, quorum cognitio perfecta habetur per plures *præsumptiones*, & probationes, quæ simul junctæ certitudinem moralem generant; seorsim verò considerata sunt solùm probabiles, dicit citatum locum D. Augustini relatum in Can. *Ego solis* 9. dist. sicut & alios canones, qui probabilitatem videntur approbare, non decernere probabilitatem sufficere ad dirimendas quæstiones, & causas; sed tantùm velle, ut à probabilibus rationibus simul junctis Judex illuminatus judicium certum de re efficere possit.

Sed contra; quia etsi D. Augustinus prout refertur in citato Can. *Ego solis* posset hoc modo explanari; quia Gratianus loco *probabili ratione*, ut revera S. Doctor scripsit, sufficit *Per Probabiles rationes*; hæc tamen interpretatio nullo modo aptari potest legitimæ auctoritati S. P. Ipse scribit se assensurum alicui dicto, si id vel *probabili ratione sibi persuadeatur*. Ecce *Probabili ratione* S. D. movetur ad aliquod judicandum. Ergo Fagnanus hìc fingere non potest suam illam interpretationem. D. Augustinus hìc non induit personam Judicis, sed Doctoris; nec loquitur de decisione alicujus facti, sed de dubio juris; nam ibi intendebat quæstionem illam dirimere: *An liceat aliquando officiosè mentiri.*

66. Ad auctoritatem num. 9. nihil prorsus nos urget. Differit ibi Augustinus contra Donatistas, qui se ab Ecclesia Catholica separaverant; quia credebant contaminari, si cum Ecclesia Catholica, quam pravam credebant, jungerentur. Credebant autem Ecclesiam Catholicam pravam, quia in ipsa erant quidam fideles, qui tempore persecutionis sacros libros Gentilibus tradiderant. Ut ergo ostenderet Donatistis malè fecisse, quia se ab Ecclesia propter traditores separaverant, sic argumentabatur. Cyprianus non se separavit à Schismaticis. Ergo nec vos,

Donatistæ, separare debetis à Traditoribus. *An graviora sunt delicta Traditorum, quàm Schismaticorum? Non afferamus stateras dolosas &c.* Ecce auctoritas D. Augustini loquitur de materia clara, non obscura; Clarissimum enim est Schisma gravius esse peccatum, quàm Traditionem sacrorum librorum. Præterea Probabilistæ concedunt esse judicandam rem ita esse, non quia vult voluntas, sed ex SS. & PP. & addunt etiam ex ratione naturali: ergo allata auctoritas nihil prorsus Probabilitatem improbat. Ad ea, quæ ex illo Probabiliorista subdit P. Gonzalez, cum vim non habeant ex Patribus, nihil respondendum est.

67. Quod attinet ad locum positum num. 10. certè evidenter, si aliquid probat, ostendit nos posse æqualem probabilitatem sequi; nam Scripturæ illæ, quarum aliquæ à gravioribus personis, aliquæ à pluribus comprobantur, æquali honore sunt venerandæ. Sed revera hæc auctoritas Adversariis nihil omninò prodest. Geminianus, & Turrecr. art. 2. notant Canonem non significare illas Scripturas esse probandas, alias verò refellendas; sed illas ita præponi aliis, ut majore honore venerentur; hæ verò venerentur quidem, sed minùs. Sic Imperator præponitur aliis, etiam Regibus; non ita tamen, ut Reges nullo honore sint digni. Ita etiam dicere videtur Glossa V. *præponat*. Hæc pulcherrima interpretatio apprimè convenit nostræ opinioni, qui dicimus opinionem probabiliorem, & minùs probabilem esse sequendas, illam quidem magis, hanc verò minùs.

68. Verùm vellem ego, ut Adversarii perpenderent Verba D. Augustini citata num. 12. ubi S. D. exigit ad auferendam obscuritatem Scripturis *manifestiora exempla*, & ad tollendam dubitationem ab incertis *certa* postulat testimonia. Ergo exempla, & testimonia probabiliora, cum nec manifestiora sint, nec certa, ab opinionibus nec obscuritatem, nec dubitationem auferunt. Ergo cogi non possumus ad sequendam opinionem probabiliorem; cum sola evidentia, & sola certitudo mentem cogere possit. Vide num. 80.

69. Non solùm Probabilistæ, sed etiam Probabilioristæ; sed etiam Scotistæ; sed etiam Thomistæ, quin omnes Doctores, qui docent aliquam opinionem in se falsam, damnarentur; si auctoritas D. Augustini num. 13. explicanda est, ut volunt Adversarii; Si enim securitas Procuratoris humani nihil valet, si Deus illam ratam non habet; & Deus ratum non habet, nisi quod in se verum est. Ergo quicumque Doctor, qui opinionem benignam docet, quæ in se sit falsa, damnatur à D. Augustino. Et

revera

revera Vendrochius per illam auctoritatem probare contendit solas opiniones certas esse bonas regulas morum. Præterea D. Cyprianus, & plurimi alii Patrum iterum baptizabant baptizatos ab Hæreticis. Num illi Patres peccabant sic faciendo? Lego Glossam in c. *Tempora* 26. q. 7. V. *arbitrio tuo* dicentem Procuratorem posse ex causa præcipere contrarium ei, quod Dominus præceperat; & revera contingit aliquando, ut mihi placeat contrarium ei, quod priùs mandaveram. In mandatis tamen Divinis, ubi constat Divina voluntas, tanta libertas Procuratori Dei concedenda non est; Concedenda tamen est etiam à Probabilioristis, & à Sicuristis, quales fuere Sinnichius, & Vendrochius, hujusmodi libertas, quando Divina voluntas est dubia, & obscura, ne damnemus omnes DD. & plures Patres, ut dicebam. Hinc subditus in rebus obscuris obediens Parocho, Episcopo, & Regi non peccat, c. *quid culpatur* 23. q. 1. & tamen Parochus, Episcopus, & Rex falsum dicere possunt. Ratio horum omnium est; quia in rebus obscuris nec possumus, nec tenemur *scire veritatem*. Ergo, si aliquando falsum sequimur, id vitio nobis vertendum non est. Præterea Auctor illius homiliæ loquitur de Procuratore, qui in re evidenti mandata Domini non servat. Iniquus hic Procurator ait: *Vive quomodo vis*. Nonne est evidens hoc esse contra voluntatem Dei?

70. Ex his patet responsio multis auctoritatibus allatis ab Adversariis, præsertim illi ex Tertulliano n. 29. & illi ex Felice Papa III. allatæ n. 40. & iis, quæ citantur num. 14. 15. & 16. Addo ad illud axioma *tene certum*, *& dimitte incertum prolatum* fuisse à D. Augustino de eo, qui differt Pœnitentiam in fine vitæ, quo tempore facta Pœnitentia dubia est, ne sit facta magis timore Gehennæ, quàm timore Divinæ offensæ; ideòque an sit vera Pœnitentia, ad quam D. Augustinus ex c. *nullus* de Pœnit. dist. 7. timorem Divinæ offensę postulat. Ut ergo aliquem verè pœniteat, ait pœnitendum esse tempore sanitatis, non tempore mortis; ac propterea rectè dicebat: *Tene certum*, *& dimitte incertum*. Ita D. Antoninus par. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. versus finem. Subdit D. Antoninus, quod si illud axioma ad alias materias extendatur, explicandum esse de certitudine morali, *quæ consurgit ex probabilibus conjecturis grossis, & figuralibus magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus*. Idem ait Nider in *Præceptorio* præcep. 1. c. 5. litt. F. citans Gersonem. Addit Antoninus tit. 5. c. 2. §. 9. fin. in his, quæ concernunt forum conscientiæ, *in dubiis tutior pars est eligenda* de spons. c. juvenis, *nec tamen de facili opinio contraria condemnandi*. Notent Adversarii hæc ulti-

ma verba, verè aurea, & posthac tam facilè opiniones nostras non condemnent.

71. Quòd verò Vendrochius num. 16. & 17. tanto fervore asseveret debere nos ad orationem confugere, ut veritatem percipiamus, sicut indicat non solùm Jacobus Apostolus, sed etiam ipse Christus; breviter respondeo, (hoc enim est extra præsentem quæstionem) Patres non semel; Theologos verò, & Canonistas quàm sæpissimè inter se in opinionibus dissidere. Ergo & illi Patres, & multi tum Theologi, tum Canonistæ vel orationem non fuderunt ad asequendam veritatem, vel tametsi illam fuderunt, veritatem asequuti non sunt, cum ex opinionibus contrariis una sit vera, altera falsa. Præterea vel Vendrochius, & hujusce similes Auctores oraverunt, & obtinuerunt veritatem; vel non oraverunt, vel si oraverunt veritatem non perceperunt. Si primum; cur clarè non explicant hasce materias obscuras, ut & nos illas clarè cognoscamus? Cur nos hanc mirabilem orationem non docent, ut & nos illam facientes hasce materias clarè deprehendamus? Si secundum; cur nos ad orandum obligant? Præterea, si tu dices ferventissimè oravisse; ac propterea certò cognovisse veritatem in hac materia obscura: *an teneamur confiteri circumstantias aggravantes*. Quomodo hoc mihi persuadebis? Cajetanus 1. par. q. 14. art. 13. vers. *has objectiones* scribit post quindecim annorum studium sibi illuxisse D. Thomæ ope veritatem in quæstione de physica futurorum præsentia in æternitate. Hæc tamen Cajetani credulitas tantùm abest, ut apud Scotistas aliquam fidem obtinuerit, vel etiam aliquantulum moverit; ut potiùs illos in sua opinione confirmaverit. Quin ipsi hoc Cajetani testimonio utuntur ad ostendendum Thomistis rationes Scoti in hac materia naturaliter solvi non posse. De quo vide Mastrium tom. 1. de Log. ubi refert doctrinam Scoti tum cœlitus, tum humanitus fuisse probatam. Si ergo aliquis post longas preces sibi persuaserit se à Cœlo fuisse illustratum in aliqua morali materia obscura, videat, ne decipiatur, uti Cajetanus, & de ipso dicantur verba illa Mastrii. *Libero suo ingenio confitetur Cajetanus, postquam neminem ex Thomistis rem acu tetigisse viderit, post quindecenalem sibi irritam speculationem* tandem opus fuisse è cœlo delapsa responsa Scoti objectionibus opponere: id, *quod an etiam fuerit assecutus, Judices sint ipsimet Thomistæ, atque Neoterici Theologi*.

72. Nec Vendrochius pro se citet Apostolum Jacobum, & ipsum Christum; nam fatemur per orationem assecuturos nos esse quidem cognitionem illarum rerum, quæ necessaria est ad

Salutem

Salutem æternam;non verò cognitionem illam,quam nec omnes Sancti, nec omnes Theologi, etiam antiqui, consecuti sunt. Cur enim Deus tibi concedet veritatem in materiis obscuris, quam aliis non concessit, quæque necessaria non est ad Salutem æternam obtinendam? Per hæc patet responsio ad auctoritatem depromptam ex lib. de quantit. Animæ c. 3. locatam num. 20.

73. Ad auctoritates num. 18. quàm brevissimè respondeo regulam justitiæ Divinæ in materia clara esse veritatem, non probabilitatem; in rebus verò obscuris; in quibus nec possumus, nec tenemur scire veritatem; cum in hisce materiis & plures Patres, & plurimi Theologi eam assecuti non sint, esse Probabilitatem. Hinc in rebus obscuris, cum hæc sint contingentia, non verò necessaria, regula non potest esse *incommutabilis*, ut dicunt, & sine defectu, saltem *materialiter*. Certissimè celeberrimi antiqui plura moralia docuerunt, quæ posteà detecta sunt falsa fuisse. Ergo hujusmodi regulæ illorum Antiquorum *materialiter* defectum continebant; & tamen illo tempore bonæ regulæ fuerunt. Quod verò Merenda dicat Probabilistas non uti regulis, quibus, si uti vellent, veritatem agnoscerent; Si hoc dicat de suis Canonistis; hi eidem respondeant; Si de Theologis, meminerit se esse Canonistam; ac propterea judicandum esse à Theologis, non Theologos ab ipso; Theologia enim est supra artem Canonicam. A præsenti verò quæstione sine dubio debebat ipse abstinere; quia hæc dependet à primis principiis moralibus, & à Sacra Scriptura, & Traditione, quorum interpretatio ad *Canonistam* non attinet, sed solùm ad Theologum; Canonista etenim ex D. Thoma Quodl. 9. art. 13. solùm jus Pontificium explanare debet.

74. Ex his patet responsio ad primam auctoritatem num. 19. nam in re obscura alius modus veritatis quærendæ non invenitur, nisi opinio, & Probabilitas. Scientia enim est de rebus evidentibus; nego verò opinionem, & probabilitatem per se, & *formaliter* esse indifferentes ad verum, & falsum; quamvis fatear posse aliter se habere in suo objecto, & forsan reipsa aliter se habeat. Hæc doctrina sequenda est ab Adversariis, ne cogantur dicere Antiquos falsum secutos fuisse, dum dabant licentiam sequendi ex pluribus opinionibus, quam voluissemus, ut tam sæpè concessit Ricardus de Media villa; præcipuè verò est sequenda, ne dicamus Doctorem Angelicum falsum defendisse, dum in rebus contemplativis aliquoties utramque opinionem propugnavit.

75. Ad alteram dicimus Probabilistas summo conatu verita-

tem

rem inquirere; Verùm, quia vident in rebus obſcuris veritatem videri non poſse, aut ſcientiam acquiri; probabilitate, & opinione contenti ſunt; cum verò major probabilitas non excludat probabilitatem à parte contraria, ut patet ex modo dictis; Ergo poſsunt eſse contenti minori probabilitate nec ratio opinionis probabilioris facit, ne Probabiliſta opinioni minùs probabili acquieſcat; nam Probabiliſta diluit rationes opinionis probabilioris; hinc Paludanus in 4.diſt.15. q. 4. art.5. de ſecunda opinione, quæ probabilior erat, quàm prima, dicebat habere *rationes ſolubiles*. Et Pariſienſis de fide c. 1. poſt init. quem ſequitur Nider de conſolat. timor. conſcien. par.3. c.19. *Probabilitas*, inquiunt, *quantacumque ſit, non ingerit credulitatem, ſeu fidem ex neceſſitate hominibus intelligentibus, & exercitatis, cum ipſi certi ſint non omne, quod videtur verum, eſse verum*. Unde voluntarium ſimpliciter eſt, & liberum de omni Probabili, ut ei quis credat, vel non credat; *quoniam nihil adeò probabile, quod non habeat diſsuaſionem, qua poſſit videri falſum, aut ſaltem qua poſſit videri non eſse credendum, & hoc propter periculum erroris*. Videantur etiam Henricus Quodlib.10. q.11. & Carthuſ. in 3.diſt. 24.q.1. verſ. *Propterea idem Doctor*.

76. Cum prorſus nihil opinioni Adverſariorum proſit auctoritas ex tract. in pſal.35. relata num.20. nihil eſt, quod nos ipſi reſpondeamus; nihil etiam eſſet reſpondendum auctoritati n.21. Tamen hæc pauca ſubjicio. Si opinio nunquam eſt ſine vitio; cur & Patres, & Theologi in materiis obſcuris opiniones ſequuntur, & opiniones contrarias? D. Bernard. lib.5. de conſider. c.3. docet *tribus viis Deum, & Angelos eſse inveſtigandos*, ſcilicet, *opinione, Fide, & intellectu*. Num per cognitionem vitioſam Deus, & Angeli ſunt inveſtigandi? definit poſtea D. Bernardus opinionem, & ait: *Opinio eſt quaſi habere pro vero, quod falſum eſse neſciat*. Opinionem ergo, & Probabilitatem, quam Probabiliſtæ ſequuntur, ajunt eſſe illam, quam D. Bernardus hìc definit. Si Sinnichius integram auctoritatem attuliſſet, ſine dubio vidiſſet, quàm ſit diverſa opinio explicata à D.Auguſtino, ac opinio, quam Probabiliſtæ ſequuntur. Subdit D. Auguſtinus auctoritati allatæ à Sinnichio num.21. *Opinari duas ob res turpiſſimum eſt, quod ediſcere non poteſt, qui ſibi ſe ſcire perſuaſit; & per ſeipſam temeritas non benè affecti animi ſignum eſt*. Clariùs ſe explicat lib. de mendac. ad Coſent. c.3. ubi ait: Inter credere, & opinari hoc diſtat, quod aliquando ille, qui credit; ſenſit ſe ignorare, quod credit ... *Qui opinatur autem putat ſe ſcire, quod neſcit*. Ex his patet ſecundùm D. Auguſtinum *opinio-*

nem

nem esse existimationem certam de re, quæ potest aliter se habere? Certè non solùm Probabilistæ Theologi, sed omnes Theologi, ac Philosophi hanc opinionis notionem tamquam temerariam penitus explodunt. Hinc antiqui Theologi, de quibus num. 53. concedebant nos posse habere de *Divinis Notionibus* variam opinionem; si tamen abesset *assertio*. Et D. Bernardus ibidem dicebat: *Si opinio habet assertionem temeraria est*, & D. Bonav. in 2. dist. 27. in explanat. Litt. dub. 3. ait Catholicos Tractatores circa ea, *quæ assertivè dicunt*, non discordare, circa verò ea, de quibus opinantur, dissentire possunt, & aliquando dissentiunt. Hinc videre licet per *Assertionem* Theologos significare cognitionem certam. Cum igitur D. Augustinus velit in opinione inesse certitudinem; Theologi verò id negent; jam D. Augustinus loquens de opinione non loquitur de ea cognitione, quam loquuntur Theologi; ac propterea, si D. Augustinus dicit opinionem semper esse vitiosam, hoc aptari non potest opinioni, & Probabilitati, quam Probabilistæ sequuntur.

77. Jam dictum est rectam rationem in materia clara esse solam veritatem; in obscura verò, in qua nec possumus, nec tenemur scire veritatem, esse solam Probabilitatem. Hinc, quia in materia factorum scire veritatem non tenemur, licèt aliquando possimus, non peccamus. Sic Jacob habens copulam cum Lia, quam credebat esse Rachelem uxorem suam, non peccavit; & tamen factum illud fuit factum *materialiter* contra legem Dei æternam prohibentem Copulam cum non sua muliere. Sic etiam Noe se inebriando habuit factum contra legem Dei æternam vetantem ebrietatem; tamen Noe non peccavit. Sic etiam subditi obediendo superioribus, Parocho, Episcopo, Regi possunt facere in materia obscura aliquid contra legem Dei æternam; Et tamen certum est non peccare. Ergo benigna interpretatio facienda est de auctoritate D. Augustini de Util. creden. c.12. relata num.22. sicut & de illa allata num. 15. Igitur in re clara actio debet proficisci à ratione recta; in re obscura det proficisci à ratione, quæ probabiliter sit recta. Sic etiam factum contra legem Dei claram est peccatum; contra verò legem Dei obscuram tunc solùm est peccatum, si factum non proficiscitur à ratione saltem probabiliter vera; & si aliter dicemus, allatę personę, à peccato excusari non possent. Ex his emergit responsio auctoritati improbanti pluralitatem Magistrorum; hęc enim est vituperanda in rebus claris, non obscuris; ideòque in *assertionibus*, non *opinionibus*; Tractatores enim Catholici, etiam Sancti, ajebat Seraphicus Doctor, in *assertionibus concordant*,

in

in opinionibus dissentiunt. Quis vitio vertit Thomistis, & Scotistis perpetua opinionum diversitate inter se digladiantibus? Mirum profectò est P. Natalem hanc auctoritatem in medium produxisse.

78. Multò copiosiùs Recentiores nostros quęstiones Theologicas tum contemplativas, tum morales pertractasse, quàm Theologos antiquos, est adeò evidens, ut sufficiat habere oculos ad id videndum. In antiquis, ubi invenies Theologiam contemplativam adeò amplè disputatam, sicut fecere Suarius, & Godoy, Theologiam verò moralem, sicut Castropalaus? Sanchez de solo matrimonio nonne tres *Tomos* confecit, & Pasqualigus duos de solo Sacrificio Missæ? Dicant ergo Adversarii quid aliud facere *poterant*, *ac debebant* Probabilistę, ut veritatem invenirent; ideòque ut facerent, quę D. Augustinus allatus num. 23. pręcipit? Nec dicant Probabilistas tantis laboribus, & operibus veritatem non reperisse; si enim etiam hoc concederemus, non propterea sequitur beatos non esse, nec à peccato exemptos; Nam per D. Augustinum, qui facit, quod potest, ac debet, & beatus est, & à peccato eximitur.

79. Ad alia num. 23. in quibus S. D. clarissimè ostendit Animam desiderare veritatem, fugere falsitatem, & ipsum deseruisse opinionem statim, ac animadvertebat ejus falsitatem. Ut hęc concederemus, opus non erat, ut tanto labore tot Auctoritates quęrerent; cum hęc sint evidentia. Voluntarium ergo laborem subierunt. Ut hanc rem clarè explicemus, argumentum conficiamus. Solùm illi veritatem inveniunt, qui magnam diligentiam adhibent. Sed Probabilistę magnam diligentiam non adhibent; Ergo Probabilistę veritatem non inveniunt. Quis, quęso, non videt quemlibet concessurum esse primam propositionem, ac proindè opus non esse, ut probetur? Quis etiam non videt Probabilistas negaturos esse secundam propositionem; ac proindè probandam esse ab Adversariis? Nunc quid faciunt ipsi? Cum nihil velint esse verum, nisi vel Scriptura, vel Patribus probetur; ex alia parte cum videant secundam propositionem nec Scriptura, nec Patribus probari posse; magnum conatum adhibent in probanda prima propositione per Patres. Sed cur tantum laborem, voluntarium penitus, subeunt? Propter aliud divinare non possum id eos facere, ne redarguerentur à Lectoribus, quia quęstiones facerent sine auctoritatibus, quas esse necessarias ad eas rectè dirimendas summo animi ardore contendunt, & palam profitentur se ita facturos. Sed jam hunc insincerum modum quęstiones tractandi alibi detexi. Patribus probant

bant, quod nos verum fatemur, & de quo quęstio non est. Quod nos negamus, nec Patribus, nec Scriptura probant. In quęstione nostra quem Patrem afferunt ad probandum illud pronunciatum *Probabilistæ magnam diligentiam non adhibent ad reperiendam veritatem.* Igitur posthac Probabilioristę probent, quod est probandum, & vel unicum Patrem producant, qui clarè illud pronunciatum dicant, & nos victos libenter fatebimur.

80. Dixi *clarè* &c. afferre enim auctoritates obscuras, & nullas afferre est unum, & idem; hinc ipse Augustinus, quamvis plurimę hujusmodi auctoritates sibi ab Adversariis objicerentur, ut desereret varias opiniones, quas de Animę rationalis exortu defendi posse dicebat; non propterea eas deserebat; sed auctoritates ipse explicabat, ut videre licet lib. 10. de Gen. ad litt. & Epist. 143. num. 11. hæc maximè notanda, & ab Adversariis sequenda scripsit. *Hæc ideò scripsi*, ut quisquis illarum quatuor de Anima sententiarum aliquam voluerit adstruere, atque defendere, talia proferat, vel de Scripturis in auctoritatem Ecclesiasticam receptis, quę non possint aliter accipi; Sicuti est, quod Deus hominem fecit; vel *rationem tam certam*, ut contradictio aut nulla existat, aut insanię similis meritò judicetur; velut si quisquam dicat nec veritatem cognoscere, nec falli quemquam posse, nisi viventem. Et d. lib. de Gen. c 10. ait: *Si tamen nisi aliquid tam certũ proferatur, quàm certo proferuntur, quibus ostenditur*, quod Deus animam fecerit; vel quod eam primo homini dederit, *quonam modo per Divini eloquii testimonium, ita quæstio* de Animę origine *solvatur, ignoro.* Ecce evidentissimè, ut Augustinus opinionem deserere cogatur, vult, ut afferantur vel Scripturę Sacrę, vel testimonia tam certa, ut sunt ea, quibus fides Divina probatur; vel *rationes naturales* tam clarę, ut sunt principia evidentia. Et hìc obiter vellem Adversarios videre illam manifestam veritatem, scilicet quęstiones Sacras sola ratione naturali dirimi posse.

81. Præterea si, qui sequitur Probabilitatem, non investigat veritatem ea diligentia, qua uti debemus; hinc facilè labimur in errores, cur dant nobis licentiam sequendi Probabilitatem in rebus contemplativis, in qua revera materia etiam antiqui probabilitatem sequuti sunt; & ipse Gonettus concedit hoc fecisse Doctorem Angelicum? Num in rebus contemplativis falsum sequi possumus? Num Anima solùm veritatem in moralibus amat, non in contemplativis? Nonne error de Creatore ex D. Augustino Epist. 147. c. 21. num. 49. est major, quàm de Creatura? Sic etiam, quamvis reipsa D. Augustinus sequutus fuerit, ut dicitur num. 24. & 25. opinionem probabiliorem (licèt sequutus

fuerit etiam minùs probabilem in quæstione de exortu Animæ rationalis, (ut ex num. 74. liquet) non propterea minùs probabilem improbat; nam Pontifex c. *litteras* de restitut. spoliat. unam opinionem amplectitur, & nihilominus expressè declarat ex hoc non intendere contrarias opiniones damnare. En verba canonis. *Nos autem ad præsens nullam de prædictis sententiis reprobantes, nec cuiquam earum aliquod præjudicium ex nostra responsione volumus generari*. Ergo approbatio opinionis probabilioris necessariò non est improbatio opinio minùs probabilis; Et major probabilitas necessariò non importat falsitatem in minùs probabili; nam, si necessariò hoc importaret, ridiculè Pontifex dictam declarationem faceret; sicut, si Petrus ignem domui Pauli applicaret, ridiculè protestaretur se nolle comburere domum Pauli. Ergo, ut quis damnet, & improbet al quam opinionem, non sufficit sequi opinionem contrariam; sed etiam aliquid aliud faciendum est.

82. Ad illa, quæ num. 26. ponuntur, & obliquè ferire Probabilitatem videntur; dicimus Probabilistas non esse cœcos, dum etiam aliquando opinionem falsam sequuntur; sicut nec Probabilioristæ cœci sunt, si aliquando fallantur; sicut, & Antiqui cœci non fuerunt, qui non tam raro decepti sunt. Probabilitas in materia obscura versatur; qui verò in obscuro aliquid non videt, non propterea est cœcus. Aliter vel Thomista, vel Scotista cœcus esset, sicut & illi Patres, qui in materia obscura inter se dissident. Deum spargere pœnales cœcitates super peccatores ob ipsorum peccata, inficias non ibo, nec necesse erat, ut P. Natalis hoc probaret; cum sit evidens. Illud probationis eget, nimirum *propositiones falsas, quas aliquando Probabilistæ defendunt, esse pœnales cœcitates, & esse ortas ex ipsorum peccatis*. Hoc probandum. Hoc ostendendum. Jam sæpissimè dixi alibi, & in hac disputatione num. 79. notavi Adversarios ostendere eruditionem magnam in probandis propositionibus evidentibus, quas nos ultrò concedimus; at non modò eruditionem, sed nec necessariam doctrinam tradunt ad probandum, quod nos negamus. In præsenti concedimus Deum punire peccatores cœcitate cordis; negamus Probabilistas puniri à Deo tali cœcitate. Cur primam evidentem probant, secundam verò, quæ continet etiam claram contumeliam in viros præstantissimos, & optimis moribus institutos, Religiosos viros; & quam nos negamus, non probant? Quia nimirum, cum sit evidenter falsa, nullo modo probari potest.

83. Explicatis auctoritatibus D. Augustini, explicandæ sunt

aliæ ex cæteris Patribus. Illa S. Clementis Pontificis, quæ habetur num. 27. Si Pontifex ipso P. Gonzalez teste loquitur de Doctrina habita per Traditionem; ergo Pontifex non loquitur de materia obscura, & probabili, de qua nos disserimus. Argumenta ex similitudine deprompta esse fortia, & aliquando licere eis uti, patet ex dictis, & confirmat Glossa in citato can. *relatum.* 37. dist. V. *Verisimilitudines* dicens *quandoque licere argumentari per similitudine*, *quandoque non*. Addo ita etiam licere argumentari, etiamsi pro opinione contraria afferantur Patres. Affero exemplum. Antiqui Theologi ex primis argumentis, quibus probare contendebant B. V. fuisse conceptam in peccato originali, illud erat depromptum tum ex SS. tum ex Patribus; quia scilicet indigebat redemptione Christi. Potestne hoc gravissimum argumentum confectum à communi opinione Antiquorum per aliquam similitudinem dilui? evertique? Quàm optimè. En optima similitudo. Medicus corporalis optimè dicitur redemisse Petrum à morbo, in quem quidem non incidit, sed necessariò incursurus erat ob crapulas; sed providus Medicus dat pharmacum Petro, quo sumpto, antequam pravi humores morbum generent, emittuntur è corpore. Nonne per quam propriè dicitur Medicus liberavisse à morbo Petrum, & Petrus plures gratias agere debet de hac redemptione Medico, quàm Paulus, qui à morbo exemptus est, postquam à morbo correptus fuerat? Ergo etiam B. V. perquàm propriè dicitur redempta à Christo; quia, antequam peccato *originali* reipsa inficeretur, ita à suo dilectissimo Filio servata est, ne inficeretur à turpissima labe. Ergo ipsa plures gratias agere debet amantissimo Filio, quàm nos; quia ipsa longè perfectiùs à peccato originali liberata est, quàm nos. Doctrinam illam de Medico habet D. Augustinus in psal. 85. num. 18.

84. Si auctoritas Tertulliani, de qua num. 29. *in novos Casuistas cadit*, ut volebat Vendrochius, cadit etiam in multos Patres, & Theologos insignes Antiquos. Baptizatos iterum baptizari ab Hæreticis bonum erat apud Cyprianum, & octoginta tres Episcopos Affricanos, & plurimos Orientales; malum erat apud cæteros. Sic barbam fricare nec bonum erat, nec malum apud D. Bonaventuram, & Scotum; apud D. Thom. bonum erat, vel malum. Debeo longam seriem opinionum variarum, quæ vigebant inter multos Patres, & plurimos Theologos antiquos, & insignes hìc retexere, & in quos verba Tertulliani torqueri possent, si sine benigna interpretatione acciperentur? Igitur calumnia est Vendrochii dicentis novos Casuistas affirmare

ex

ex suo arbitrio hoc esse bonum, illud esse malum. Id pronunciant, cum vel per Canonicos Scriptores, vel saltem *probabili ratione hoc sibi persuasum fuerit;* in hoc sequentes D. Augustinum relatum c. *Ego solis.* 9. dist. In materia clara, quod Deus damnat, si erramus, non excusamur; aliter, dicebat D. Thomas Quodl. 3. art. 10. Sequaces Arrii, Nestorii, &c. excusari possent; in materia verò obscura, si erramus ratione probabili ducti, non propterea damnamur; aliter vel Thomistæ, vel Scotistæ damnarentur, cum alteri ex ipsis in materiis, in quibus inter se dissident, falsum sequantur. Et ipsa Ecclesia, *cum aliquando opinionem sequatur,* (in factis scilicet non dependentibus à jure) *quæ sæpè fallit, & fallitur*, ut clarè dicitur c. *à nobis* el. 2. de sentent. excomm. damnaretur à Deo.

85. Divum Cyprianum nobis nihil esse contrarium constabit, si verba ipsa solùm explanemus. In ipsis traditur regula depellendi errorem, & veritatem assequendi. Hæc porrò regula docet, ut *Traditionis originem* inveniamus. Quis ex Probabilistis hoc negat? Dicunt Probabilioristę probabilitatem esse errorem, esse inventum postremi Sæculi. Ad Traditionem ergo confugiamus. Inveniant ergo Patres, sed clarè dicentes in materia obscura excusandos non esse, si sequamur opinionem probabilem, quæ in se sit falsa; Si tales Patres invenient, obedient Cypriano, nosque vincent, cogemurque opinionem nostram deserere. Plus addo ego, vel unicum Patrem clarè damnantem Probabilitatem reperiant, & tunc me victum fatebor, quin libentissimè id fatebor.

86. Auctoritas mutilata ab Adversariis, & relata num. 31. non nihil negotii facescere videretur; sed si integra adducatur, ut feci ego, in promptu est nihil nobis esse contrariam. *Ibi ait* Lactantius *Philosophiam inanem esse; quia nec instruit ad justitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat. Sciant ergo errare, qui Philosophiam putant esse Sapientiam.* Quorsum hæc? Ergo Probabilitas minor non est bona regula morum? Certè secundùm regulas traditas ab Aristotele ad conficienda argumenta hujusmodi consecutio ex auctoritate Lactantii elucere non potest.

87. At inquit Pater Natalis, Justitia Christiana tota consistit in eo, quòd voluntatem Dei faciamus; hæc autem verbo Dei scripto, & tradito, non in hominum placitis continetur, & hoc dicit Lactantius in allata auctoritate. Et ego subdo Lactantium dicere Philosophiam non esse Sapientiam, hoc est, facultatem, *quæ instruit ad Justitiæ munera, & officium hominis, rationemque confirmat*; quæque *beatum facere potest*. Quis porrò Probabilista

negat justitiam Christianam totam consistere in obedientia voluntatis Divinæ? Voluntas Divina revera continetur in verbo Dei scripto, & tradito, non tamen solùm, si loquamur de multis, non de omnibus, quæ à voluntate Divina præcipiuntur, quandoquidem prima præcepta moralia, & ipsa præcepta Decalogi etiam naturaliter cognosci possunt. In hominum etiam placitis, idest, opinionibus continetur Voluntas Divina; dum tamen involvitur in materia obscura, de quo toties dixi, ut nihil addere opus sit. Nec Lactantius contrarium dicit; si mens mea non me decipit, si verum verborum significatum sequi volumus, nec fictum supponere.

88. Quod spectat ad alteram auctoritatem Lactantii positam num. 32. ego semper judicavi favere æquali probabilitati, de quo in meo Tract. c. 27. nu. 17. Lector locum adeat, & si videbit esse veram, quod dico, mihi assentiatur. Revera per Adversarios tunc propriè dubitamus, quando inter propositiones æquè probabiles versamur. Quando autem dubitamus, an præceptum sit verum, tunc quid dicit Lactantius? Audiamus: *Stultissimi est hominis* præceptis eorum velle parere, *quæ utrum vera sint, an falsa, dubitamus.*

89. D. Basilius in prima auctoritate num. 33. solùm nobis significat paritatem inter Stateram corpoream, qua corpora gravia pensamus, & inter liberum arbitrium, quo res omnes pensamus. Vellem ego, ut Adversarii notarent illa verba: *Ratione regulatum*, & illa, *quod momentum æquale ad utramlibet partem capere potest*, & considerarent, an voluntas nostra sequi possit regulam mentis depromptam ex ratione naturali, sicut etiam sequi possit ipsam mentem, *dum momentum æquale ad utramlibet partem capit*. Nonne nos probamus nummum, & libenter accipimus, si æquale pondus habeat, atque alius nummus? Ergo cum opiniones D. Thomæ sequi possimus, si mens inveniat alias opiniones æqualis ponderis, æqualis probabilitatis, poterimus etiam hasce opiniones sequi; & sicut ille imprudentissimus esset, qui videns suum nummum esse æqualis ponderis, atque est nummus Petri, utrumque nummum abjiceret. Ergo etiam Thomista imprudentissimus esset, si sequutus opinionem Angelici Doctoris, incidens postea in existimationem, qua opinionem aliquam contrariam esse ejusdem probabilitatis crederet, propterea opinionem D. Thomæ depelleret. Sic etiam numquis nummum projiceret, si pensatus cum alio inveniretur minoris quidem ponderis, ac alius, non tamen plurimùm minoris?

90. Cum ex D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 4. intelligamus mentem du-

dupliciter moveri, primò à primis principiis, & à conclusionibus, quarum est scientia. *Alio modo . . . non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio*, sed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis, quàm in aliam; *& si quidem hæc sit cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio;* si verò sit cum certitudine, absque tali formidine, erit fides. Ecce evidenter, objecta evidentia mentem movent *per seipsa* inquit S. D. objecta verò obscura per seipsa sufficienter mentem non movent. Quæro nunc, ut hisce materiis mens assentiatur potiùs huic parti, quam illi, quid est necessarium secundùm Doctorem Angelicum? certè nihil aliud, nisi, ut *per quandam electionem voluntariè mens declinet in unam partem magis, quàm in aliam*. Verba expressa D. Thomæ. Ratio est, quia mens non movetur, nisi ab objecto evidenti; ab objecto verò obscuro, quamvis certissimo, non movetur *sufficienter*. Ergo nisi objecto obscuro alia causa addatur, nunquam mens movebitur. Hinc, etsi objectum fidei Divinæ sit certissimum, nisi voluntas menti imperet, ut ipsi assentiatur, nunquam assentietur. Idem multò magis dicendum est de objecto obscuro, quod non sit certum. Ergo, sicut, ut habeatur assensus fidei, necessarius est actus voluntatis; ita & ad assensum probabilem. Hinc rectè scripsit Doctor Angelicus: *Et si quidem hæc* (voluntaria declinatio in unam partem magis, quàm in aliam) *sit cum formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine, absque tali formidine, erit fides.* Ecce disparitas evidens inter motum Libræ corporeæ, atque motum libræ intellectualis. Nam omnis motus Libræ corporeæ solùm ab ipsa provenire potest; motus verò intellectualis libræ potest produci tum ab ipsa libra, tum à voluntate in materia obscura. *Per quandam electionem* voluntariè *declinans in unam partem magis, quàm* in aliam.

91. Ad secundam auctoritatem D. Basilii num. 34. dicimus loqui de Rectore, qui vult nos innumerabilibus libidinibus irretire; ideòque, qui in re clara per apparentem Probabilitatem vult nos decipere; uti per talem probabilitatem Hæretici suos Discipulos decipere solent. Non verò loqui in materia obscura, ut nos loquimur; aliter Antiqui diversas opiniones sequentes nos innumeris libidinibus irretire voluissent; & hoc fecisset præsertim Albertus Magnus, & ejus sectator D. Antoninus, qui benignè satis, etsi solùm probabiliter, primi fuerunt, qui docuerunt conjuges actum Matrimonii exercentes modo Brutorum non peccare lethaliter.

92. Tertia auctoritas loquitur pariter de materia clara; in

materia enim obscura præcepta Divina etiam ipsa mutantur non quidem in seipsis, sed erga nos. Sic D. Cyprianus credebat Deum præcipere, ut baptizati ab Hæreticis iterùm baptizarentur. Sic tempore antiquo multi arbitrabantur Deum non præcipere, ut crederemus Libros Machabæorum, Librum Ecclesiastici, Librum Sapientiæ esse verbum Dei. Si nunc viverent, viderent hoc Deum præcipere.

93. Quarta auctoritas, quæ num. 35. ponitur, est verissima; est enim, ut ita dicam, ipsa definitio Prudentiæ. Solùm sciscitor à Patre Fogarino, an D. Thomas, & Scotus etiam in opinionibus moralibus contrariis ex virtute Prudentiæ suas actiones fecerint, & affirmabunt profectò. Sed me doceant, quì fieri id possit, cum una ex illis opinionibus, utpotè contrariis, debeat esse vera, altera falsa. Postquam id me docuerit, intelligere etiam poterit esse falsum, quod tam confidenter ait *Usum Probabilitatis imitari viam vitiorum*, & quod magis est, *id esse certum*.

94. At inquit: Nonne tot propositiones Probabilistarum damnatæ sunt? At nonne plures propositiones Antiquorum decursu temporis detectæ sunt falsæ? Num propterea regulæ Antiquorum viam vitiorum imitantur? Nonne ex damnatis propositionibus partim erant *Antiquatæ* teste ipso Pontifice? Ergo, si ex hac damnatione sequitur Usum Probabilitatis imitari viam vitiorium, sequitur etiam regulas Antiquorum imitari viam vitiorum. Cum ergo hoc de regulis Antiquorum dicere sit absurdum; idem etiam absurdum erit dicere de Probabilitatis usu.

95. Ipsa quoque auctoritas D. Gregorii Nazianzeni loquitur de materia clara; nam secundùm P. Gonzalez S. D. vult *assecurari* de veritate rei. Num in re obscura possumus esse securi de veritate rei? Præterea S. D. nec curat quid Sapientes dicant. At Aristoteles lib. 1. topic. c. 1. num. 6. definiens Probabilia ait. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his aut omnibus, vel plurimis*. Si ergo D. Gregorius nihili facit Sapientes, non loquitur in materia obscura, & Probabili, de qua hos disserimus; sed de materia clara, & evidenti. Antiquo tempore, quando res erat obscura, multùm intererat, quinam Antipodas negarent; nostris verò temporibus, cum res sit clara, non consideramus, quinam, & quot id negaverint, sed solùm veritatem videre volumus.

96. Prima auctoritas, quæ num. 37. refertur à P. Gonzalez, & aliis Probabilioristis tanquam ex D. Joanne Chrysostomo deprompta, revera non est S. D. cum illæ homiliæ pluribus erroribus

bus

bus sint refertæ; Sed cujusque illa sit, nihil nobis obest, nec prodest Adversariis. Auctor loquitur de invenienda vera Fide. Nonne res est clara, quænam sit vera fides? credant licèt certam suam fidem Hæretici, nedum probabiliorem, propterea Hæretici excusabuntur? Si major probabilitas non excusat in hac materia, de qua loquitur Auctor, quid mirum, si dicamus non excusare minorem probabilitatem? Sed nonne diximus in materia clara non inveniri probabilitatem, sed solam Scientiam? Inveniant materiam, in qua Probabilitas versatur, & ostendant Patres dicere Probabilitatem non esse bonam morum regulam, & tunc nos victos fatebimur.

97. Altera auctoritas, quæ germana est D. Chrysostomi, nihil nos premit. S. D. dixerat, & probaverat melioris esse conditionis Pauperem, quam divitem; postea subdit allatam auctoritatem. Hæc materia sine dubio est clara in Sacra Scriptura. Ergo nihili faciendum est, si aliis placeat contrarium; nam liquet ex toties dictis ex D.Thom. quodl. 3.art.10.hos ab erroris vitio excusari non posse; at in materia obscura DD. excusari possunt, si falsum dicant; ut patet in Antiquis Theologis, qui non tam raró falsum docuerunt. Et in hujusmodi materia maximi faciendi sunt, ut dicebam ex Arist. num. 95.

98. D. Hieronymus allatus num. 38. loquitur de iis, qui diligentiam debitam non adhibent, ut veritatem inveniant; non verò de iis, qui diligenter inquirere veritatem student: aliter si loqueretur de omnibus omninò, qui falsum dicunt, cum opiniones Antiquorum inter se sint contrariæ, quarum una est vera, altera falsa, damnerentur etiam Antiqui, D. Thomas, D. Bonav. Scotus &c.

99. D. Doroteus allatus num. 39. ex titulo illius capitis, & ex iis, quæ ejusdem capitis princ. dicit, docere contendit neminem debere se regere, sed curæ aliorum debere se committere, & quamvis hoc sit evidens, rationem afferre voluit illam satis claram, quia *sine coadjutore quis expugnatur citiùs*. Hæc est una ex regulis vitæ spiritualis, quæque datur cuique, sive sit Probabiliorista, sive Probabilista, sive *Sicurista*. Ad quid ergo D. Dorotæum in medium adducere? Hic nos non volumus regulas vitæ Spiritualis, quæ non solùm præcepta servare studet, sed etiam consilia Evangelica; Volumus regulas vitæ Christianæ, quæ in servandis solis præceptis consistit.

100. Ad auctoritatem Felicis Tertii num. 40. Respondeo. Ex c. *à nobis* de sentent. excomm. ut dicebam, habemus Ecclesiam aliquando sequi opinionem, quæ sæpè fallit, & fallitur. Ergo

Pontifici rata sunt, quæ sunt vera in seipsis, & quæ vera apparent; & in seipsis sunt falsa. Hìc nota Pontificem posse solùm errare in materia *facti*, non juris; facti inquam, sed non dependentis à jure; hinc Pontifex in materia juris opinionem, & probabilitatem sequi non potest; contra verò privatæ personæ possunt in materia juris obscuri non solùm opinari, sed etiam variè opinari, ut patet in Patribus, & Antiquis Theologis; Ergo nulla paritas intercedit inter Pontificem, ac nos in materia de veritate sequenda.

101. Ad primam D. Gregorii Magni num. 40. dicimus, qui contra veritatem manifestam, etsi ignorans, operatur, hic simplicitatem innocentem deserit, non verò, qui contra veritatem obscuram. Nam, cum scire veritatem nesciat, & nequeat, venia sine dubio dignus est; & si hoc negaremus, vel D. Thomas, vel D. Bonav. vel Scotus, vel cæteri Theologi, venia sine dubio digni non essent, dum opiniones contrarias sequuntur, quarum alterutra certè est falsa.

102. Eodem modo respondetur ad alteram auctoritatem ejusdem Sancti Pontificis. Antiquitus doctrina corrupta non erat; quia testibus Adversariis hæc Doctrinæ labes accidit postremo sæculo. Sequor ergo antiquos famosos D. Thomam, D. Bonav. Scotum, & cæteros antiquos inter se diffidentes in opinionibus; cum verò alterutræ ex his opinionibus sint falsæ, num ideò Vendrochius dicet hosce Antiquos intrusisse vitia pro virtutibus?

103. Tertiam porrò auctoritatem S. D. existimo multùm Probabilitati favere. Audiamus. Qui operatur cum formidine, hic operatur ductus ab opinione, & Probabilitate. Sed Sancti teste D. Gregorio operantur cum formidine; Ergo Sancti operantur ducti ab opinione, & Probabilitate. Secunda propositio est ipsa auctoritas Pontificis. Prima verò est clara; nam in sola definitione opinionis, & Probabilitatis formido ponitur. Et quia, qui est certus de aliquo, hic non formidat, ut est evidens. Crediderim ego labem illam, quam Sancti tam metuunt, ne actiones illorum inficiat, esse amorem sui ipsius, qui adeò latenter in animos se insinuat, ut non cognoscatur ab operante, nisi sit diligentissimus, & cautissimus. Judex offenditur à Petro. Ex suo officio hanc offensam vindicare se præparat. Hìc evidentissimum periculum est, ne, dum ex legum præcepto vult vindictam sumere, amor sui clam se insinuet, & actionem corrumpat, & latenter vindictam sumat propter seipsum, & non ex amore servandæ legis.

104. Ad auctoritates D. Bernardi relatas num. 44. plurima

reponere possem; sed satis sit dicere S. D. loqui in materia clara; non obscura; in hac enim si quis bonum diligat, sed falsum præter propositum eligat, excusatur. Sic, si quis diligens Christum adoret Hostiam, quam credit consecratam, quam tamen Sacerdos non consecravit, hic benè operatur, quamvis falsum elegerit. Sic etiam ego sequens opinionem communem Antiquorum, quam sine dubio credo fuisse D. Thomæ, & D. Antonini, Confiteor peccata; sed circumstantias aggravantes omitto. Si postea hæc opinio, quam damnant Adversarii, damnaretur; nihilominus illa mea confessio fuisset bona, & sancta. Ergo, si quis in materia obscura operatur malum, quod probabiliter bonum credit, hic non peccat. Peccat verò si in materia clara malum operatur credens esse bonum V. G. credens fornicationem non esse peccatum mortale, ut expresè hoc exemplum afferens docet D. Thom. Quodl. 8. art. 15. & generaliter id dixit Quodl. 3. art. 10.

105. Quod attinet ad tertiam auctoritatem D. Bernardi citatam num. 46. Epist. 174. Sciscitor à P. Natali, an festum Conceptionis B. V. quod jam servatur à tota Ecclesia, & præconiis laudatur, profectum fuerit à sola hominum opinione, vel à Traditione Ecclesiæ, & à Sacra Scriptura. Si primum. Ergo, si festum profectum à sola hominum opinione probatum fuit à tota Ecclesia, cur probabilitas, si etiam concedatur esse profecta ab hominum opinione, spernitur ab ipso? Si secundum; cum D. Bernardus clarè crediderit ortam esse ex hominum opinione; ideòque deceptus fuerit (si tamen illa Epistola verè est D. Bernardi) cur ipse P. Natalis suspicari non poterit se decipi, dum credit Probabilitatem natam fuisse ex hominum opinione?

106. Ad tres auctoritates D. Thomæ depromptas ex quæstionibus *Quodliberalibus* positas num. 47. alibi copiosè satis respondi; hìc quàm brevissimè me expediam. Auctoritas ergo ex Quodl. 8. art. 13. loquitur de eo, qui facit contra legem Dei, & hoc manifestè patet vel *ex Scriptura Sacra*, *vel determinatione Ecclesiæ*. Ita Cardenas in Crisi Theologica, disp. 15. à num. 453. ubi pro se citat sexaginta Doctores, inter quos sunt plures Antiqui, ut sunt D. Antoninus, Joan. Nider, Conradus, Adrianus, Sylvester &c. Hæc explicatio videtur ex principio S. D. clarè colligi; ait enim. *Duobus modis aliquis obligatur ad peccatum. Uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur. Alio modo &c.* certè exemplum de eo, qui *fornicatur*, est exemplum legis claræ: ergo S. D. in principio quæstionis loquitur de lege clara. Ergo in eadem quæstione, nisi id expresè fateatur,

non

non loquitur de lege diversa, sed de eadem. Ergo, quando paulò post dicit. *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam;* hæc verba explicanda sunt de lege clara, ita ut afferri possit illud exemplum de *Fornicatione*. Revera S. D. quoties affert exemplum de faciente per ignorantiam contra legem, quem dicit non excusari, semper profert exemplum *Fornicationis*. Sic illo utitur in eodem Quodl. art. 15. Ubi hæc aurea scribit. Error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi; *quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur*. .. quandoque verò error conscientiæ non habet vim absolvendi, vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantia ejus, *quod quis scire tenetur, & potest*. Sicut si crederet *Fornicationem* simplicem esse peccatum veniale. Et tunc quamvis crederet peccare venialiter, non tamen peccaret venialiter; *sed mortaliter*. Ecce, ut error conscientiæ; ideòque error moralis, excuset, unum est necessarium, ut vel sit de re, quam non possimus scire, vel non teneamur scire. Ut verò non excuset, duo sunt necessaria, ut scilicet teneamur, & scire illam rem possimus. Et de hujusmodi errore non excusante exemplum adducit de *Fornicante*, & credente *Fornicationem* esse peccatum veniale. Certè *Fornicans* & tenetur, & potest scire veritatem de *Fornicatione*. Si D. Thomas credidisset etiam errorem contra legem obscuram non excusare, cur nunquam attulit exemplum de faciente contra talem legem? Dixit quidem Quodl. 3. art. 10. sequi opinionem contra manifestum Scripturæ Sacræ testimonium non posse ab erroris vitio excusari; at nunquam dixit non posse excusari ab erroris vitio, si teneat opinionem contra obscurum Scripturæ Sacræ testimonium. Cur ergo, dum dicit, *quod fit contra legem semper est peccatum*; dum dicit; *quod fit contra veram opinionem est peccatum*, non possunt hæc explicari per exemplum de *Fornicante*, & per illa verba: *Si sit de iis, quæ* scire tenemur, & possumus?

107. Confirmatur. De ratione legis est, ut sit manifesta, ne animas illaque & c. *erit autem* 4. dist. Ergo, quando legislator de lege loquitur, loquitur de ea, quæ verè est lex, & quæ omnia pertinentia ad legem habet est. Ergo loquitur de lege manifesta. Ergo, dum D. Thomas de lege loquitur, si aliter non se explicet, loquitur de lege manifesta, qualis certè non est lex obscura.

108. Confirmatur ex ipso D. Thoma quodl. 4. ar. 14. ubi docet, si sit varia Doctorum opinio *an aliqui sint excõmunicati vitandi*; docet, inquam, si nondum sit facta declaratio à Judicibus, opinionem benigniorem esse sequendam; quod si fiat declaratio à

ju-

dicibus, standum esse à Sententia judicum, explosa Doctorum opinione. Ergo per hoc D. Thomæ testimonium clarum, explicandum est illud obscurum, esse scilicet *peccatum, si quis agit contra legem*. Explicandum est ergo ita; *si agitur contra legem post judicum declarationem*. Hinc D. Antoninus 3. par. tit. 5. c. 2. §. 9. dicebat potuisse excusari illos ab erroris vitio, qui ante constitutionem Joan. XXII. varias opiniones de paupertate Christi sequebantur; non potuisse verò post hujusmodi constitutionem.

109. Confirmatur ex D. Bonav. in 2 dist. 15. expl. lit. dub. 3. ubi ait Tractatores Catholicos in opinionibus inter se dissentire posse, quia opinio aliquando venit ex probabili conjectura rationis, *in qua homo frequenter decipitur, quæ deceptio potiùs est pœna, quam culpa*, à qua vix aliquis Tractatorum Catholicus immunis fuit; *& ideò talis dissentio reprehensibilis non est*. Ecce evidentissimè penè omnes tractatores Catholici decipiuntur, dum varias opiniones docent; Sed hæc deceptio pœna est, non culpa. Ergo, licèt decipiantur, excusantur ab erroris vitio. Ergo, qui facit contra legem, in qua Doctores Catholici varias opiniones tradunt, cum excusentur ab erroris vitio, excusari debent etiam à culpa. Ergo idem dicendum secundùm D. Thomam, ne dicamus, hosce Ecclesiæ Doctores esse inter se contrarios.

110. Instat Vendrochius: Si D. Thomas sic esset explicandus, non defuissent S. D. verba idonea, quibus ita se ipse explicaret. Sed contra, quia in citato loco ex Quodl. 8. art. 13. loquitur de lege, de qua exemplum producit de *Fornicante*, quo clarè demonstrat se de lege clara loqui; quis autem non dicat de eadem lege loqui, si post quatuor lineas iterum sermonem habeat de lege? Si Doctor deberet semper eidem rei conjungere *limitationes*, quoties de eadem loqui vult, tædio maximo Lectores afficerentur. Hinc nemo hanc methodum in suis disputationibus adhibet.

111. Replicat Vendrochius D Thomas loquitur de pluralitate Præbendarum, an liceat illas simul plures habere; & hæc materia clara non erat; quia quol. 9. art. 15. narrat in hac quæstione Theologos Theologis, & jurisconsultos jurisconsultis fuisse contrarios.

Sed contra, quia D. Thomas in 1. dist. 33 art. 5. & 1. par. q. 32. art. 4. object. 2. hanc objectionem sibi fecerat in materia infinitè graviore, scilicet de Divinis Notionibus, in qua fatetur Theologos fuisse inter se diffidentes; quidam enim nullam admittebant, & alii infinitas esse dicebant. Tum contrariæ opiniones non possunt esse sine errore alicujus; sed alicubi non erratur periculosiùs, quàm in materia Sanctissimæ Trinitatis ex D. August. lib. 1. de

Tri-


Trinit. c. 3. ergo &c. Ex doctrina, quam tradit in quæstionis *corpore*, ut vocant, huic respondet tunc cum periculo nos errare in hac materia sequendo varias opiniones, postquam *scitum, visum, & ostensum est* ex talibus opinionibus errorem in fide proficisci; sine periculo verò nos errare in hujusmodi materia ante hujusmodi *scientiam, visionem, & ostensionem*. Quod D. Thomas dicit in materia de rebus Divinis, in qua ait secundùm D. Augustinum de mendac. c. 21. mendacium esse omnium gravissimum, idem affirmandum esse voluisse in materia de Præbendis, & de quacunque alia materia existimamus.

112. Nec auctoritas D. Thomæ ex Quodl. 13. art. 10. ad propositum rectè adducitur; nam nostri Probabilistæ dicentes plures auctores (idest plurimos Sapientes, ut loquar cum Arist. allato num. 95.) probabilitatem extrinsecam opinioni conciliare posse explicandi sunt in materia propria Probabilitatis, quæ est obscura, & contingens; non clara, & necessaria; Contra verò D. Thomas expresse de materia clara loquitur; dicit enim, *qui assentit alicui opinioni contra manifestum Scripturæ Testimonium, vel quod publicè tenetur ab Ecclesia, non potest ab errore excusari*.

Quod attinet ad illas quatuor pias meditationes Patris Christophori; Certè, si aliquis censendus est dignus, cui Deus speciale lumen, & specialem illustrationem ad inveniendas veritates largiatur, est ille, qui virtutum moralium exercitium frequentat; qui sæpè sæpiùs orat, quique nobilissima omnium virtute, Charitate nempè, decoratur. At nollem, ut hujusmodi, qui talia agunt, se decipiant credentes, quia talia agunt, se veritatem ideo assequutos fuisse; tale enim lumen est gratia, quam Deus concedit, quando vult, & quibus vult; & multò minùs judicent alios, qui talia non egerunt, summo tamen studio veritatem consequi contenderunt, veritatem assecutos non fuisse; Nam, quamvis Cicero, & Aristoteles illa certè non præstiterint; Quia tamen summo labore, & studio veritates consequi conati sunt, ideò, & veritatem obtinuerunt, & magnam auctoritatem adepti sunt.

Vincentius Contenson, à me visus post confectam hanc disputationem in Theol. *Mentis, & cordis* tom. 1. lib. 6. differt. 6. omnem lapidem movet ad refellendam Probabilitatem, quam & *Commentum Probabilitatis* vocare voluit. Inter multa argumenta, quę ad hoc probandum in medium profert, primum est hujusmodi: ignorantia in jure naturali non excusat. Ergo saltem in jure naturali Probabilitas, dum falsa est, non est recta regula morum. Num major Probabilitas erit ipsa veritas, nec fal-

sa esse poterit? Illud *antecedens* multis Patrum auctoritatibus
tendere conatur, quas brevitatis studio prætermitto. Si Au-
or solùm in materia clara loqueretur, verum omninò dice-
t, ut ex hac tota disputatione manifestum est. At cap. 1. Spe-
lat. 1. pag. 437. col. 2. vult etiam intelligendum *de remotiori-
s juris naturalis conclusionibus*. Si hoc est verum; ergo cum D.
homas, D. Bonaventura, & cęteri Sancti, quę in hac mate-
a docuerunt, vera erunt. Sed cur in hisce materiis contraria
iquando tradunt? Cur Theologi antiqui inter se, sicut & Re-
ntiores tum inter se, tum cum antiquis in hisce materiis dissi-
ent? Num Thomistę, & Scotistę in hac materia nunquam dis-
ntiunt? Num Auctor poterit ad illud suum effugium confuge-
*hæc videre quotquot propriis, & voluntariis tenebris non cæcan-
ur*? Alia de hoc Auctore non refero; quia ejus auctoritates
unt eædem, quas supra explicavi.



DISPUTATIO SEPTIMA.

An Recentiores aliquod novum invenerint, quo aliqui ex ipsis ab opinione Magistri, Alensis, Alberti Magni, D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum Antiquorum in materia de pœna peccato originali debita meritò discedere potuerint.

DIxi disp. 4. à num. 22. fuisse communem antiquorum Theologorum affirmantium pueros decedentes sine baptismo nullo dolore afficiendos ab igne. Ita Magister in 2. dist. 33. c. 3. Alen. part. 2. q. 105. membr. 10. §. 1. Albert. Magnus par. 2. tract. 17. q. 113. D. Thomas in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. & de Malo q. 5. art. 2. D. Bonav. in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. Richar. art. 3. q. 1. Ægid. q. 2. art. 1. Henric. Gandav. Quodl. 6. q. 21. Durand. in 2. dist. 33. q. 1. Scot. q. un. Anton. Andreas ibidem. Vvillel. Rubion. q. 2. Thomas Argent. q. 2. art. 3. Capreolus q. 1. art. 2. & 3. Stephanus Brulifer q. 5. Gabriel Biel q.

un. dub. 2. Major qu. un. Penè autem omnes hi Doctores quæstionem expressam etiam agitant, an dolorem, & tristitiam patiantur ex eo, quod Visione beata priventur. Et communiter pariter negant; D. tamen Thom. art. 3. in qu. de Malo narrat nonnullos docere pueros aliquem dolorem, & afflictionem interiorem ob hujusmodi privationem sensuros. Horum Auctorum opera nondum edita sunt.

2. Cum Magister scripserit anno 1140. & Major anno 1511. videre licet spatium, in quo præfati Doctores vixerunt, quasi quatuor Sæcula complecti; & nihilominus nullus, cujus scripta videantur, fuit, qui tot annorum curriculo contrarium docuerit, ut dicebam. Gregorius quidem Ariminensis, Auctor vivens medio sæculo decimo, & quarto, Auctor solitus communes opiniones deserere, voluit & hanc in 2. dist. 30. 31. oppugnare; oppugnare, inquam, voluit, ausus tamen non est sequi contrariam, ut ostendo disp. 4. nu. 35. Nihil tamen effecit, nullumque sequacem habuit; ita ut Joannes Major, qui quasi post duo sæcula floruit, scripserit omnes Scriptores communem opinionem tradidisse.

3. Verùm Doctorem Seraphicum audiamus, ut judicium satis intelligamus, quod de utraque opinione in hac materia Sapientissimi illi Theologiæ Principes tulerunt. *Quidam*, inquit, attendentes *rigorem Divinæ Justitiæ*, ac Sententiæ, qua Deus pro uno modico mortali, in quo momentanea, & quasi nulla fuit delectatio, hominem æternùm cruciat, dicunt pueros igne cremandos, longè tamen minùs, quàm illi, qui peccato actuali peccaverunt. Et hoc dicunt *sensisse Augustinum*, cum dixit in Enchir. c. 93. pœnam parvulorum esse *mitissimam*; & in lib. de Fide ad Petrum c. 27. Parvuli cremabuntur æterno supplicio; *mitissimam* enim illam vocant pœnam, *non absolutè, sed respectu aliarum*. Nec in hoc derogatur, ut dicunt, Divinæ Misericordiæ, *quamvis plus manifestetur via Justitiæ, quàm Misericordiæ....* Et hoc dicunt esse conveniens, ut sicut in Originali peccato erat carentia debitæ Justitiæ, & concupiscentia; Sic etiam in pœna esset carentia visionis Dei, & afflictio ignis æterni ..... *Sed cum valdè durum* illud dicere videatur, quod Deus *tam durè, & tam asperè* agat cum parvulis sic decedentibus, *qui omninò non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ*, præsertim cum videamus Deum *cum impiissimis, & sceleratissimis peccatoribus* in multis misericorditer agere; Ideò est alia *positio mitior*, quæ *magis concordat pietati fidei, & judicio rationis*; quod quia parvuli decedentes cum originali carent Justitia, &

ritus-sancti gratia ..... privantur in æternum Dei visiones a, verò in carne fuit fæditas; ideò ponuntur loco vili, utè infernali; sed quia non habuerunt in se actualem delectanem peccati nec in spiritu, nec in carne: *Ideò non sentiunt pæ- ignis acerbitatem*. Hactenus Seraphicus Doctor.

4 De hac opinione oppugnata à S. D. quam syllabatim seuntur Adversarii, hæc duo notabis. Primùm esse contra mmunem opinionem Antiquorum Theologorum, & solùm quibusdam traditam fuisse, quorum Opera, ut dicebam, cum on sint edita, oportet dicamus fuisse parvæ existimationis auores. Secundum esse opinionem *valdè duram*, & facere Deum ioquin tam misericordem *multum durè, & multum asperè* pueros stigantem; pueros, inquam, *qui culpam vitare non potuerunt*; cum lioquin ipse Deus *cum impiissimis, & sceleratissimis in multis isericorditer agat*. Revera Theologi dicunt Deum damnatos ad nfernum *citra condignum* punire. De contraria etiam opinione uo considerabis. Unum esse opinionem *mitiorem*, alterum nagis consentire *pietati fidei, & judicio rationis*. Hìc videre deent Adversarii nostri, quantum Antiquis placuerit tum benignitas opinionum, tum judicium rationis, quæ duo tantùm lisplicent tum ipsis, tùm Probabilioristis. Notandum est etiam Antiquis placuisse opinionem, quæ magis *pietati Fidei* consentiebat. Hinc decernes, an hæc significent ex fide solùm proficisci ea, quæ pietatem sapiunt; an verò, si proveniunt etiam ea, quæ severitatem ostendunt, nihilominus Antiquis magis placuisse, quæ Fidei pietatem indicant, quàm quæ severitatem. Illud tamen pro certo habeas, nimirum magis esse sequendos in hac materia Antiquos, quàm Adversarios; cum illi sint majoris auctoritatis, & clarè loquantur. Præsertim verò sunt sequendi, quia quæstionem hanc non paucis verbis, & obiter, sed ex proposito, sed copiosè, sed latè agitarunt; ita ut argumenta ab utraque parte stantia diligenter in medium produxerint, & consideraverint; hinc in hac materia tantam auctoritatem assecuti sunt, quantam alioquin mereri possunt.

5. Ex his ego satis intelligere nequeo causam, quamobrem plures Recentiores ab hac communi Antiquorum Opinione discesserint. Ex illo etiam capite mirum est, quod vivimus eo tempore, quo Antiquorum auctoritas maximi æstimatur. Nam scimus Probabilioristarum argumentum præcipuum, quo ad majorem Probabilitatem sequendam ducuntur; esse, quia credunt antiquos Theologos opinionem probabilem sequi. Hinc maximo labore, & studio omnes antiquos, etiam ineditos, etsi

vel

vel tria verba solùm dicant, in lucem diligentia mirabili profe-runt. Cur ergo Adversarii nostri tam facilè antiquos illos celebratissimos deserunt in re nostra? Accedit illud majoris ponderis, quod materiam Probabilitatis Antiqui per quam jejunè tractarunt, si excipias Henricum, qui unum, vel alterum argumentum pro utraque parte attulit. Præterea nec D. Thom. nec D. Bonav. nec Scotus, nec alii pauciores antiqui in illis paucis clarè loquuntur; sed satis obscurè; & Nos Probabilistæ simpliciter negamus ab ipsis stare. Ego certè, si hi Theologię Principes in materia Probabilitatis clarè loquerentur, ab iisdem dissentire non auderem. Cur ergo Adversarii in materia de pœna peccati Originalis ab his famosis Antiquis non solùm clarè loquentibus, sed etiam ex professo, & per quam diligenter materiam tractantibus discedunt?

6. Ex Adversariis inter alios, vel ignorat, vel ignorare simulat Jueninus par. 7. Theol. instit. dissert. 7. q. 5. c. 4. hanc opinionem esse Antiquorum communem, dum ait in resp. ad 5. quosdam negare peccato Originali pœnam gehennę esse debitam; & in principio quęstionis narrat Albertum Pighium, Catarinum, nonnullosque alios docuisse infantes, de quibus est quęstio, habituros vegeta, & sana corpora, cognitionem abstractivam Dei, claramque plurium veritatum cognitionem; immunitatem à pravis conscientię moribus; aliquam cognitionem de Christo, quem in ultimo judicii die conspecturos, & reverituros esse, & denique habitaturos amęnissimam terrę superficiem. Hoc ultimum ex dictis disp. 4. num. 40. patet, & ex mox dicendis manifestum erit secundum Antiquorum sententiam esse falsum. Hoc tamen verum est, hujusmodi doctrinam, non esse inventum nostrorum Recentiorum; Nam Ricardus de Media Villa in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. narrat nonnullos suo tempore id docuisse. Hoc notare placet, ne Jueninus, & hujusce similes, ut solent, alia, quę absurda judicant, nostris Recentioribus attribuant. Et revera idem Jueninus c. 3. num. 5. confidenter hoc affirmat.

7. Sed ipse Jueninus cap. 4. object. 7. agnovisse videtur D. Thomam opinionem benignam tradidisse; sed cum Sylvio prophetica responsione conatus est eum facere opinionis severę sequacem. Audiamus. Respondet Sylvius in 1. 2. q. 86. num. 6. Beatum Thomam variis quidem in locis loqui juxta sententiam suo tempore communem. Si tamen, addit idem Auctor, suam Summam Theologicam absolvisset, non deest ratio existimandi, eum in partem alteram declinaturum; quia lib. 3. contra Gent. c. 156. habet pro absurdo, quod sint aliqui homines, qui nec Beatitudinem

nem

em consequantur, nec pœnam à Deo patiantur, quod juxta
cripturam Matt.25. omnibus in divino judicio existentibus di-
tur *venite, possidete paratum vobis regnum;* vel *discedite in
gnem æternum.* Ego puto, si talia de D. Thoma nos dixissemus,
dversarios exclamaturos esse nos hæc dicere, quia auctorita-
em S. Doctoris nihili facimus.

8. Verum audiant hi prophetici Theologi, quid Angelicus
Doctor in ipsa Summa 1.2. q.89. art.6. §. *sed contra* scripserit
ed contra est; quia pro peccato originali homines puniuntur
n Limbo puerorum, ubi non est pœna sensus, ut infra dice-
ur. Audiamus & ipsum 3. par. q. 1. art. 4. ad 2. ita loquen-
em. Ad 2. dicendum, *quod peccato Originali in futura retribu-
ione non debetur pœna sensus;* pœnalitates tamen, quas sensi-
iliter in hac vita patimur, sicut famem, sitim, mortem, &
lia hujusmodi, ex peccato originali procedunt; & ideò Christus
c. Potest loqui clariùs? Hisce duobus testimoniis, quæ in
sa Summa habentur, poteritne cum Sylvio Jueninus *propheticè*
icere, si Summam confecisset, opinionem mutasset? Nec al-
ata auctoritas Adversariis favet, (quamvis eo loci non reperia-
ur.) Nonne Fides docet quemlibet vel æterna beatitudine do-
andum, vel æternùm puniendum? Puniendi ergo sunt pueri:
ed non pœna sensus, ut expresè Doctor Angelicus bis in ipsa
umma fatetur; sed puniendi sunt pœna *damni*, hoc est priva-
ione visionis beatificæ, ut cum catholicis sæpè fatetur, &
robat Doctor Angelicus.

9. Adversarii ergo, ut ritè ab Antiquorum opinione discede-
e videantur, inquiunt Patres contrariam opinionem docuisse.
At etiam Theologi antiqui viderunt Patres, eosque interpreta-
i sunt. Cur ergo hanc interpretationem non sequuntur?

10. Respondent, quia Theologi antiqui plures Patrum au-
ctoritates, & rationes non viderunt, quas ipsi viderunt, dili-
genterque discusserunt.

Ex hac responsione oritur quæstio nostra. Quæro ergo, an
hi Recentiores revera auctoritates, & rationes invenerint, quas
D. Thomas, D. Bonaven. Alen. Scotus, & cæteri antiqui Theo-
logi non viderint. In quo illud est certum Adversarios plures
auctoritates, & rationes in medium adducere, de quibus ex-
presè mentionem non faciunt Antiqui; cum tamen Antiqui
nonnullas auctoritates, & rationes multas explanaverint, &
interpretati sint, quærimus, an per hujusmodi explanatio-
nem, & interpretationem explanari possint auctoritates, & ra-
tiones novissimè repertæ; si enim hoc fieri potest; sequitur evi-

denter ideò Adversarios suam opinionem sequi, illamque Antiquorum deserere, quia judicant se meliùs Patres, & rationes intelligere, quàm Theologiæ Principes illi celeberrimi intellexerint, quos si aliquando nos sequi non videmur, exclamant nos antiquos Theologos nihili facere, nosque pluris æstimare, quàm illos.

11. Dicimus ergo Adversarios nullam Patrum auctoritatem, nullam rationem invenisse, quæ quàm commodissimè per doctrinam Antiquorum explicari non possit; hinc voluntariè penitus Adversarios ab opinione antiquorum Theologiæ Principum discessisse, & penitus voluntariè docere pueros morientes sine baptismo pœna ignis cruciandos, tristitiaque, & dolore ob amissionem æternæ beatitudinis affligendos. Conclusio ipso facto, atque experientia comprobanda est. Ergo singulas auctoritates, & rationes Adversariorum in medium proferam, mox singulis responsionem ex Antiquis subjiciam. Hac metodo utor; quia D. Augustinus in ultimo suo, & quidem maximo, & perfectissimo Opere, quod *Opus imperfectum* vocant, ea usus est. Postremò rationes, quibus suam opinionem Antiqui confirmarunt, adducam, ostendamque frustra laborare Adversarios, dum eas diluere moliuntur.

12. Primo loco auctoritates referam, quas expenderunt Antiqui; quia negari non potest, efficaciores, & clariores videri. Prima est ex lib. 5. Hypognosticon c. 5. de qua ita loquitur D. Thom. q. 5. de Malo art. 2. Parvuli decedentes sine baptismo *experientur Gehennam*. Sed Gehenna nominat pœnam sensus, ergo peccato originali debetur pœna sensus. Secunda est ex lib. de Fide ad Petrum cap. 27. quæ ita se habet. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, qui sine Sacramento baptismatis de hoc sæculo transierunt *æterno supplicio puniendos*. Sed supplicium nominat pœnam sensus, ergo peccato originali debetur pœna sensus. Tertia est D. Gregor. lib. 9. moral. cap. 16. vel 12. super illud Job *Multiplicavit vulnera mea, sine causa*: Quos à culpa originali Sacramenta non liberant; & licet ex proprio nihil egerint; tamen illuc ad tormenta perveniunt. Sed tormentum nominat pœnam sensus; ergo peccato originali debetur pœna sensus. Ita ad verbum Doctor Angelicus.

13. D. Bonaventura in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. meminit alterius auctoritatis ex c. 3. ejusdem lib. de Fide ad Petrum. Hìc dicitur: Quisquis ita vivere incipit, ut antè finiat vitam, quàm ab ejus (peccati originalis) obligatione solvatur; si unius diei, vel unius horæ spatio anima vixit in corpore; necesse est eam

cum

rùm eodem corpore *interminabilia Gehennæ supplicia sustinere*. Ita Doctor Seraphicus. Scire hìc juvat Antiquos credidisse librum de Fide ad Petrum, & libros Hypognost. esse D. Augustini. Hinc nulla injuria D. Aug. ideòque nec aliis Patribus, fiet; si eadem doctrina, qua antiqui allata testimonia explicãt, nos alia testimonia D. Augustini, & aliorum Patrum explanabimus.

14. Disp. 4. num. 22. refero D. Thomam priores tres auctoritates ita explicantem, ut *largè sint accipiendæ*, & ponatur *species pro genere*; & per hoc patet *responsio ad omnia similia*. Num. 23. refero responsionem D. Bonav. dicentis D. Augustinum *vallè abundanter loqui*, *ita ut plus dicat*, *& minùs velit intelligi*. Num. 24. in medium produco Richar. Scotum, Capreolum, Gabrielem, & Majorem dicentes D. Augustinum *loqui excessivè*, sicut *frequenter faciunt Sancti extinguentes contra se hæreses pullulantes*. Num. 26. hasce tres interpretationes esse unum, & idem ostendo. Num. 38. Theodoretum cito, qui etiam ipse expresse ait Patres in contentionibus *modum excedere*, & vehementiam contentionis esse in causa, *ut modum excederent*. Ad idem num. 39. D. Bonav. num. 41. D. Thomam, & Epiphanium in medium affero; & nu. 42. noto Adversarios non habere Doctorem aliquem tanti nominis, ac sunt à nobis allati, qui expressè neget Patres aliquando *excessivè loqui*. Ergo nos jure cum tanti nominis Doctoribus affirmamus Patres aliquando *excessivè loqui*; Adversarii verò nullo jure id negant. Hujusce tertiæ interpretationis, ut observo cum D. Bonav. & Scoto num. 38. fundamentum jecit Arist. 3. eth. c. ult. dicens. *Nam, si procul à peccando nos ipsos removerimus*, ad medium veniemus, *id, quod, qui ligna distorta dirigunt*, *facere consueverunt*. Nota hoc exemplum de eo, qui, ut plantam distortam rectam faciat, in partem contrariam eam dirigit, quod exemplum adeò vituperant adversarii; sed malè, ut videre est eodem num. 38.

15. Num. 25. mentionem facio de Alen. & Alber. Magno, qui illam auctoritatem Matt. 25. *ite in ignem æternum*, & illam ex c. 27. li de Fide ad Petrum ita interpretantur, ut pueri futuri sint in igne non *ratione adustionis*, sed ratione *tenebrositatis*.

16. Hìc Adversarii clamant illã tertiam interpretationem esse *quorumdam Recentiorum scholasticorum*, esse injuriosam D. Augustino, & aliis Patribus; quid est enim dicere Augustinum, aliosque Patres in extremum declinasse, quàm eos esse mentitos, ut hæreticos ad veritatem reducerent? ita Juenin. c. 4. sed contra; nam Jueninus, si intendit negare illam interpretationem esse Antiquorum Theologorum, apertum mendacium dicit, ut con-

ſtat ex num. 14. Jueninus, & Noris de opinione noſtra, & de reſponſis loquuntur, tanquam de inventis à nobis. Sed evidentia obſcurari non poſſunt. Opinio noſtra, reſponſa noſtra Antiquorum ſunt, velint ipſi, vel nolint. Nec ex hac tertia interpretatione ſequitur Patres mendacium protuliſſe. Num Scriptura Sacra mentitur, quia per hyperbolim, & *exceſſivè* loquitur? Audiamus D. Auguſtinum tract. 124. in Joannem num. 8. explicantem illa verba Joannis, ubi dicit Mundum capere libros non poſſe, ſi omnia, quæ Chriſtus fecit, ſcriberentur. Non ſpatio, inquit, locorum credendum eſt capere non poſſe, quæ in eo ſcribi quomodo poſſent, ſi ſcripta non ferret? ſed capacitate legentium comprehendi fortaſſe nôn poſſent; *quamvis ſalva rerum fide plerumque verba excedere videantur fidem*, quod non fit, quando aliquod, quod erat obſcurum, vel dubium cauſa, & ratione reddita exponitur, ſed quando id, quod apertum eſt, *vel augetur*, vel extenuatur; *nec tamen à tramite ſignificandæ veritatis* erratur, quoniam *ſic verba rem*, quæ indicatur, *excedunt*, ut voluntas loquentis, nec fallentis appareat, qui novit, *quouſque credatur*, à quo, ultra quàm credendum eſt, vel minuitur loquendo aliquid, *vel augetur*. Hunc loquendi modum græco nomine non ſolùm græcarum, verùm etiam latinarum litterarum *magiſtri hyperbolem vocant*. Qui modus, ſicut hoc loco, ita in nonnullis aliis Divinis litteris invenitur; ut eſt *Poſuerunt in cœlum os ſuum* pſal. 72. 9.... *& multa hujuſmodi*, quæ Scripturis Sanctis non deſunt, *ſicut alii tropi*, *hoc eſt Locutionum modi*. Vide lib. 16. de Civit. Dei c. 21.

17. At Jueninus inſtat. D. Auguſt. lib. 4 de Doct. Chriſt. c. 8. docet explanatores Sacræ Scripturæ non debere Auctorum Canonicorum Librorum figuratum modum imitari.

Regulam illam D. Auguſtini eſſe optimam nemo ibit inficias; atque utinam explanatores sacię Scripturę ſemper ea uſi fuiſſent; ſic enim Theologi non tam ſæpè ſaltem inter ſe digladiarentur de intellectu Patrum. Quis neſciat Thomiſtas contendere Divum Auguſtinum ab ipſis ſtare, quod negant Scotiſtæ? Diſp. 4. num. 29. & 56. oſtendi D. Auguſtinum etiam in fidei regula fuiſſe obſcurum. Nonne ex can. *erit autem* 4. diſt. Lex debet eſſe *manifeſta*, *ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat*; & nihilominus Legiſlator non ſemper utitur, & credo nec uti poſſe hujuſmodi regula, & num. 43. d. diſp. 4. demonſtravi in c. *cum contingat* de ætat. & qualit. Ordin. Pontificem ita loqui obſcurè, ut Canoniſtæ crediderint, ſed falsò, damnari opinionem quandam, quam Theologi omnes docuere, docent, eternùm-

nùmque docebunt. Præterea quot quæstiones instituuntur à Theologis, & Canonistis de intellectu Sacrorum Canonum, & à Jurisconsultis de Legum intelligentia?

18. Ex dictis in disp. 4. num. 43. perspicuum est Legislatorem in suis legibus, Rescriptisque in eo, de quo principaliter agitur, in proprio verborum sensu loqui debere, & ita explicandum esse; in iis verò, de quibus obiter tractatur, obscurè loqui posse, & impropriè. Ita reipsa contigit in illo cap. *cum contingat*. Et ita multò magis dicendum est de Theologis, Canonistis, & Patribus. Hinc D. Augustinum, & cæteros Patres contra Pelagianos scribentes de rebus ad fidem pertinentibus, nimirum pueros peccatum originale contrahere, æternùmque propterea damnari &c. cum hæc essent, de quibus principaliter agebatur, propriè loquutos fuisse, & in proprio verborum sensu fatendum est, eosque ita esse explicandos. Secus dicendum est de iis, quæ ad fidem non attinent, in quibus propterea solùm obiter versabantur, ut est res, de qua nunc agimus. D. Fulgentius lib. 1. *de Verit. Prædest.* c. 14. apud Noris in Vindic. August. c. 3. §. 5. pag. 32. *Dixit parvulos sine baptismo morientes æternis ignibus arsuros, quibus ardent adulti*. Ipse Noris pag. 35. illud verbum *Arsuros* ait significare *calorem cum dolore, qui tamen esse potest citra combustionem*. Cur Noris verbum, *Ardeo*, si de adultis dicitur fatetur significare *combustionem*; si verò de pueris significare calefactionem, & non *combustionem*? Certè hoc verbum propriè significat idem, quod *flagro*, *conflagro*; hinc, dum lignum flammam concipit, ardere dicitur. Eodem loco D. Fulgent. ardere dicit adultos, & pueros. Cur propriè explicatur de adultis, & impropriè de pueris, & hinc dicitur pueros non comburi, sed *solùm calefieri*?

19. At inquiet fortasse aliquis, cur suspicari possumus Patres disputantes cum Hæreticis *excessivè* loqui? Theodoretus citatus disp. 4. num. 38. huic interrogationi eleganter respondet inquiens *Ne ægrè tuleris; vehemens enim adversus adversarios contentio in causa fuit, ut modum excederent*. Hoc deinde explicat exemplo de Viridarii cultoribus, qui ut plantam distortam rectam faciant, in partem contrariam flectunt.

20. Jueninus, utpotè severissimarum opinionum Auctor, & semper timidus, hìc timet; si licet dicere Patres aliquando *excessivè* loqui, timet, inquam, destructum iri efficax argumentum *Traditionis*, quod ex scriptis Patrum effici solet. Cum sit certum Scripturam Sacram *multa hujusmodi habere*, ut cum D. Aug. n. 16. dicebam, si timor Juenini vel minimi faciendus esset, tunc sequeretur veritates supernaturales Scriptura Sacra probari non posse.

21. Quod verò Patres cum Pelagianis de pœna sensus disputare noluerint, mihi videtur id apertè intelligi ex D. Hieronymo lib. 3. Dial. contra Pelag. fin. quam auctoritatem affert Noris pag. 32. induxerat S. Doctor Pelagianum verbis oratoriis obloquentem de catholicis, quasi dicerent pueris vagientibus, balbutientibus, nec peccare potentibus *paratos esse æternæ miseriæ cruciatus*. Nonne si de cruciatibus S. D. disserere voluisset; affirmare debebat revera miseros pueros æternæ miseriæ cruciatus subire? Nihil minus id fecit, sed ipsum Pelagianum redarguit, quod *floribus non suis, & oratoriis ludere velit, per quos solent imperitorum aures decipi*. Mox ei præcipit: *Simpliciter dic mihi, quid sentias*. Pelagianus coactus hæc pauca respondet: *Concedas mihi saltem eos esse sine peccato, qui peccare non possunt*. Respondet Catholicus; *Concedam, si in Christo fuerint baptizati*. Postea Sanctus Doctor Scriptura Sacra probat pueros peccato originali fœdari, nec vel minimum verbum facit de æternæ miseriæ cruciatibus.

22. Idem videtur colligi ex D. Augustino lib. 3. Oper. imperfec. c. 199. quem pariter citat Noris pag. 24. Julianus Pelagianus D. Augustino objiciebat, quasi diceret puero nascenti tantum malum inesse, ut possideatur à Diabolo, *atque æternum mereatur incendium*. Respondet S. D. cum infans in baptismo exsufletur, & exsuflari non possit, nisi ut à Dæmonis potestate eruatur; sequitur puerum, qui non exsuflatur, à Dæmonis potestate non erui. *Si autem non eruitur à potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus; quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non sinitur?* Cur S. D. non respondet mereri incendium æternum, sed solum dicit ituros in ignem æternum? Nonne antiqui Theologi dicunt pueros futuros quidem in igne, sed nihil ab ipso pasuros, ituros in ignem ratione *tenebrositatis, non ardoris*? Jueninus solito more, hoc est omnia interpretans in partem severam ait per D. Augustinum de Fide, & Oper. c. 15. idem esse ire in ignem æternum, atque ire in combustionem æternam. Sed eo loci S. D. loquitur de adultis, qui eo ipso, atque ibunt in ignem æternum, certè & ibunt in combustionem æternam. Id verò dicendum non est de pueris qui etiam per Noris calfactum quidem subibunt, non ustionem.

23. Sed quis crederet Adversarios omnes cogi ad fatendum Patres in hac materia *excessivè loqui, plus verbis significare, quàm velint intelligi*? Noris totus est in ostendendo Ecclesiam Africanam, quæ 466. Episcopis constabat, decrevisse pueros mo-

ientes fine baptifmo pœna fenfus in inferis caftigari. Ad hoc n medium adducit cap. 27. lib. de fide ad Petrum, de quo num. 2. Adducit etiam ex eodem lib. c. 44. Inquiro nunc an Adverfa- ii ipfi credant fide divina pueros pœna ignis torqueri. Nega- unt profectò; ipfis enim fufficit, fi oftendant hoc effe proba- bile, vel probabilius; ergo Ecclefia Africana vel falfum dixit, el exceffivè locuta eft, dum voluit fidem docere pueros *ignis æterni fempiterno fupplicio torqueri*.

24. Defenfis Antiquorum interpretationibus de illis Patrum uctoritatibus, vidēdum fupereft, an aptari poffint auctoritatibus, quas inveniſse gloriantur Adverfarii; cum tamen majorem eo- um partem objecerit Ariminenfis, quibus Capreolus refponde- at. Afferunt ergo Byzacenos Patres in Sardinia exulantes, qui dicunt noftros pueros *ignis æterni interminabilibus penis torqueri, æternis cruciatibus damnari*. Afferunt Hieron. ubi fupra dicen- tem *æternæ miferiæ cruciatus miferis præparari*. Alcimum Avi- tam citant in carmine ad Fufcinam fororē canentem *Gehennæ, & flammis deftinari*. Fulgentium Epifcopum Rufpenfem affirman- tem lib. 1. de Verit. Prædeft. c. 12. & c. 14. *æternis eſse ignibus deputatos, & ipfis arfuros*. Sanctum Prudentium Epifcopum Tricafinum de Prædeft. c. 16. docentem *eos Gehennam acquirere, & perpetua plexione damnari*. Anfelmum de concept. Virg. & pecc. orig. c. 22. fcribentem *nullum Angelum, nullumve hominem poft diem judicii futurum nifi aut in Regno Dei, aut in Inferno*. Ael- redum lib. 1. Specul. Charit. c 14. ajentem *genus humanum eſse lignum aridum juftiffimè flammis addictum, igni deftinatum, & damnationi adjudicatum*. Infra plura D. Auguftini teftimonia commemorabimus, quibus perfpicuè docet pueros ob peccatum originale æternùm damnari, æterno igni addici, æterno igne cremari, fecunda morte multari, morte perpetua damnari, pœnæ fempiternæ obnoxios &c.

25. Nunc conferantur hujufmodi auctoritates cum iis, quibus Antiqui refpondent, & effe omninò fimiles videbimus. Quid dicunt auctoritates ab Antiquis expenfæ? dicunt pueros *ignis æterni fempiterno fupplicio puniri, Gehennam experiri, ad tormenta pervenire, interminabilia Gehennæ fupplicia fuftinere*. Ecce penitus funt fimiles. Ergo viderat illas D. Thomas; ergo illis re- fpondet, dum ait, *& per hoc patet refponfio ad omnia fimilia*. Præ- terea quamvis hæc verba D. Thomas non protuliffet, cum tamen ex Philofophia, jure Civili, & Canonico, & Theologia fcia- mus dici de altero fimili, quod dicitur de uno; fequitur inter- pretationem D. Thomæ, D. Bonav. Scoti, Alen. Alber. Magni,

& cæterorum Antiquorum esse aptandam hisce aliis testimoniis utporè omninò similibus. Si Alen. & Alber. illud Matt. 25. ite in ignem æternum explicant esse intelligendum non ratione ardoris, sed *tenebrositatis*; cur ita explananda non erunt testimonia Patrum dicentia quid simile? Num Scriptura Sacra commodè explicari poterit, non verò Patres?

26. Hic conqueritur Noris veteres Magistros Parisienses *Subtilitatibus* se devovisse, parumque in Synodorum, ac Patrum lectione fuisse versatos; hinc eruditionis defectu quasdam opiniones obtrusisse, à quibus antiquioris Ecclesiæ magistri distarunt. Hoc in præsenti controversia patet, in qua Scholastici ex manca Pelagianæ hæresis notitia à recepta antiquitus sententia recesserunt. Ita ad verbum Auctor, quæ an reverentiam erga veteres Parisienses scholasticos, inter quos fuere D. Thom. D. Bonav. Lectores æqui judicabunt.

27. Nunc audiamus plurimas alias auctoritates, in quas si incidissent Scholastici, dicunt Adversarii, ab opinione antiqua, id est, ab opinione docente peccato originali pœnam sensus non deberi, non recessissent. Ajunt Patres Synodi Carthaginensis in litt. ad Innoc. primum apud August. Epist. 90. nunc 175. hæc scripsisse: *Parvulos etiam propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant*; (Pelagiani) ac sic eos mortifera ista doctrina in æternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam. Idem statuere Patres Concilii Milevitani. Innocentius verò rescribens Patribus Milevitanis apud August. Epist. 93. nunc 182. num. 5. ait. illud verò, quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari perfatuum est. *Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.*

28. Ex his decretis intelligimus salutem, & vitam illam, quem Christus nobis acquisivit sua morte, & ad quam obtinendam præcepit, ut Sacramentum Eucharistiæ sumeremus, pueros non habituros, si non baptizentur. Quis ex Catholicis hoc negat? Dicimus Christum nobis vitam, & beatitudinem supernaturalem acquisivisse; hinc affirmatè asseveramus pueros morientes, si baptizati non sunt, hanc vitam, hanc beatitatem non habituros. Quietem quandam naturalem in Gehenna ipsis concedimus cum D. Thoma in 2 dist. 33. q. 2. art. 2. & D. Bonav. art. 3. q. 2. Pelagium infantibus promisisse vitam æternam supernaturalem constat ex ejus principiis. Ipse docet pueros nasci innocentes nulloque peccato fœdatos; ideòque nulla pœna di-

gnos;

gnos; ideòque ipsis debitam esse beatitudinem in Scriptura Sacra innocentibus promissam; hæc verò beatitudo supernaturalis est. Hinc D. August. serm. 14. de verb. Apost. nunc serm. 294. num. 2. scribit, *Parvulus, inquiunt*, (Pelagiani) *& si non baptizetur, merito innocentiæ eo quod nullum habeat omninò nec proprium, nec originale peccatum.... necesse est, ut habeat salutem, & vitam æternam. Sed propterea baptizandus est, ut intret etiam in Regnum Dei, hoc est in Regnum Cælorum.* Fides Catholica duo de innocentibus docet, & salutem, seu vitam æternam consecuturos, & consecuturos in Regno Cœlorum, hoc est in loco quodam materiali sublimissimo, quem Cœlum empyreum vocamus, & ad quem Christus ascendit; hinc, si quis diceret innocentes vitam æternam assecuturos, sed extra locum sublimissimum, quem cœlum empyreum appellamus, hìc certè hæreticus esset. Hinc D. August. lib. 1. Oper. Imperf. c. 132. Dicebat secundùm Pelagianos pueros futuros *in loco aliquo secundæ felicitatis, quem talibus ædificavit hæresis vestra.* Ecce Pelagianorum hæresis pueris, ubi felices esse possint, locum ædificat; & infra videbimus Patres sæpè rejecisse quendam tertium locum, nempè, qui nec esset Regnum cœlorum, nec Gehenna, & quem tertium locum Pelagiani existere volebant. Ergo una ex hæresibus Pelagii erat de loco beatitudinis. Erant etiam hæretici, quia parvulis morientibus sine baptismo salutem, & vitam æternam promittebat; quia in Scriptura Sacra salus, & vita æterna solùm virtute Christi obtineri potest; Christus autem, ut dicebam, ad solam beatitudinem, & vitam æternam supernaturalem nobis acquirendam in Mundum venit. Hinc D. Thomas loco citat. scribit; Quamvis pueri non baptizati sint separati à Deo quantum ad illam conjunctionē, quæ est per gloriam; *non tamen ab eo penitus sunt separatis; imò sibi conjunguntur per participationem naturalium bonorum, & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione.*

29. Dices Pelagiani docebant pueros esse naturaliter innocentes. Ergo solam naturalem beatitudinem eisdem promittere poterant.

Sed contra; quia per Pelagium eas actiones naturas facere poterat, quas Theologi supernaturales vocant. Quid mirum ergo, si pueris naturaliter innocentibus supernaturalem beatitudinem spondebant? Præterea, ut benè notat Noris Vindic. August. c. 3. §. 5. pag. 30. *Nostris nunquam innotuit, quid in hoc dogmate Pelagiani sentirent; unde Augustinus, aliique Patres eorumdem sententiam planè se non percipere fassi sunt.* Si solam beatitudinem naturalem pueris Pelagiani promittebant, certè & ipsi

faci-

facilè eam explicare poterant, & Patres facilè intelligere, cum sit scitu, captu, expliatuque facillima, utpotè res naturalis, & de qua Philosophi multa disseruerant.

30. Inquies iterum. Si Pelagiani æternam beatitudinem, & supernaturalem promissisent, hæc utique Visio beatifica fuisset; hanc autem ipsis spondere non poterant; videntes enim Deum infelices esse non possunt; & tamen D. August. lib. 2. Oper. imperf. c. 113. ait, An tandem aliquando extra Regnum Dei infelices futuros fatemini parvulos non renatos? Dicite ergo hujus infelicitatis meritum verbosi, & contumeliosi, qui negatis peccatum originale.

Si argumentum esset efficax, probaret Christum in hoc mundo Deum non vidisse; cum tot infelicitates passus fuerit. Præterea D Augustinus non affirmat Pelagianos docere pueros fore infelices; sed illos interrogat, an ita affirment, ut interrogare solemus Adversarium, dum aliquam ejus opinionem oppugnamus. Præterea opinio Pelagianorũ hæresis erat. Quid mirum si aliquod absurdum involueret, cum proprium falsitatis sit absurda continere? Hinc, quia falsa opinio plura absurda continet, ex his absurdis argumenta conflamus, quibus illam opinionem refellimus.

31. Dicunt tertiò. S. Doctor ibidem contra Pelagianos ita argumentatur. Dicite, obsecro, in ea felicitate, quæ extra Dei regnum erit, ullusne regnabit, an nullus? si nullus, liberior erit procul dubio sine ullo Rege illa felicitas. Si verò ullus regnabit in ea, quis erit Rex imaginum Dei, qui non erit Deus? subdunt: At in illa secunda felicitate pueri fruerentur Visione Dei, & profectò Deus in illis regnaret; nec eo dilemmate Augustinus Adversarios perculisset; etenim Deus clarè visus regnat solus in anima videntis, & omnes ejusdem actus regit, ac moderatur.

Sed contra; quia S. Doctor post illa verba ita argumentum prosequitur. *Porrò si Deus erit, vos introducitis alterum Deum, & me dicitis Manichæum? Quod si Deus ibi regnabit, cujus ille imagines sunt;* etiam ipsæ imagines ejus in veri Dei sui regno felices erunt; *& ubi erit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non potest introire regnum Dei?* Argumentum ergo D. Augustini est hujusmodi. In illa felicitate, quam vos Pelagiani pueris non baptizatis conceditis, regnabit ullus, vel nullus? Si nullus. Liberior ergo illa felicitas erit. Si ullus regnabit; certè hic Rex erit Deus, cum pueri sint ejus imagines: Hic ergo Deus, vel erit alter Deus, & hoc dicere non potestis; cum me Manichæum vocetis.

cetis. Erit ergo hic Rex Deus ille, cujus pueri ſunt imagines; ac propterea *etiam ipſæ imagines ejus in veri Dei ſui regno felices erunt*. Ecce D. Auguſtinus ex eo quod Deus ſit Rex illorum puerorum, qui ſunt ejus imagines, argumentatur haſce imagines futuras felices in Regno Dei; hoc autem dici non poteſt de pueris non baptizatis, quia, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei*. Ego ſine dubio aſſevero, ſi Pelagiani pueros non baptizatos ſola beatitudine naturali futuros felices dixiſſent, argumentum D. Auguſtini infirmum eſſe, & imbecillum; ſic enim reſpondiſſent, ſicut nos cum D. Thomas reipſa reponimus. Deum eſſe Regem infelicium hominũ, *cui coniuncti ſunt per participationem naturalium bonorum*; ex hoc tamen non ſequitur haſce imagines Dei ſola bona naturalia à Deo participantes futuras felices in regno Dei. Sequitur ſolùm, ut ait Doctor Angelicus, ipſas gaviſuras *de Dei naturali cognitione, & dilectione*. Si D. Auguſtinus probaviſſet; vel alius probare poſſet imagines Dei habentes ſolam Dei naturalem cognitionem, ejuſque amorem naturalem eſſe Dei Regno dignos, tunc planè nos victos fateremur.

32. Inſtabis. D. Auguſtinus ſolùm ex eo quod pueri ſint imagines Dei, & Rex illorum ſit Deus, argumentatur imagines Dei futuras in Regno Dei; cum ergo nos fateamur pueros, & eſſe imagines Dei, & Deum eſſe illorum imagines, fateri etiam cogimur futuros eſſe in Regno Dei.

Reſpondemus eodem modo, & cum D. Thoma dicimus imagines Dei habentes ſolam naturalem Dei cognitionem, & ſolum amorem Dei naturalem non eſſe Dei regno dignos. Hoc modo reſpondere Pelagiani non poterant; quia ipſi dicebant naturam viribus ſuis efficere poſſe actiones, quibus Regnum Cœlorum acquiritur, & eſse innocentem, &c. Vide num. 33.

33. Dices quartò. Pelagiani apud D. Auguſt. lib. 6. Oper. imperf. c. 37. dicebant *Multò maximè Congregatio omnis glorificata Sanctorum eſse Deo ſubiecta non deſiſtet, ſed totum corpus dignum regno cælorum, quod Chriſti capite conſtruitur, Divinæ voluntati perfecta affectione cohærebit, ut extincta omni cupiditate culparum Deus & contineat cunctos, & compleat*. Ex his efficitur Pelagianos non promiſiſſe pueris viſionem beatificam; etenim videns Deum Divinæ voluntati perfecta affectione cohæret, ut extincta omni culparum cupiditate Deus & contineat eundem, & compleat. Hinc pueri non baptizati fruentes viſione Dei reapſe forent in Regno Dei, quod tamen negabant Pelagiani.

Cum D. Auguſtinus hoc argumentum non confecerit, ſed ſo-

solùm narraverit, quid Pelagiani de justis *glorificatis* sentirent; dicimus, si hoc argumentum Adversariorum ab ipsis factum contra Pelagianos facere volunt contra nos, qui docemus pueros sola cognitione, & solo amore naturali in Deum ferri, dicimus, inquam, nullum penitus esse, neque enim per cognitionem, & per amorem naturalem Deo perfectè cohæremus. Pelagius volebat pueros nasci innocentes, ideòque nulla pœna dignos esse, sed *vita æterna*. Si omnibus pueris *vitam æternam* spondebat, quia erant innocentes, cur debemus dicere per *vitam æternam* promissam baptizatis voluisse intelligere beatitudinem supernaturalem, promissam verò non baptizatis intellexisse beatitudinem naturalem? æquè beatos, utpotè æquè innocentes ab ipso creditos docuit esse; & ideò eisdem illis vocibus, *vita æterna*, usus est ad explicandam eorum omnium beatitudinem. Præterea Pelagius, & Pelagiani erant Philosophi, & de hoc gloriabantur; Ergo si solam beatitudinem naturalem non baptizatis promittebant, usi fuissent hisce vocibus *Beatitudinis Naturalis*, non illis, *Vita æterna*, quæ beatitudinem supernaturalem significant; sicut, quia differentiam ponebant de loco, locum promissum baptizatis *Regnum Cœlorum* vocabant; promissum verò non baptizatis *Tertium locum* appellabant.

34. Aliud genus Auctoritatum in medium producunt Adversarii, quæ quidem expresè non dicunt pueros pœnæ sensus castigari; significant tamen aliquid, quod cum hujusmodi pœna necessariò connecti videtur. Dicunt ergo in alia vita duo tantum loca reperiri, Cœlum scilicet, & Gehennam; Cœlum pro Beatis, Gehennam pro Reprobis. In cœlum certè pueri non baptizati non ibunt. Ergo ibunt in Gehennam; in Gehenna autem igne non torquebuntur? illud dictum variis Patrum testimoniis confirmant, quorum duo disp. 4. num. 31. innui. Cætera hìc affero, & habentur in D. August. serm. 14. de verb. Apost. nunc serm. 294. num. 6. Lib. 1. Oper. imperf. fin. lib. 2. de orig. Anim. c. 12. lib. 1. de pecc. merit. c. 18. ubi ait docentes pueros futuros in medio quodam loco esse *malè credentes*; & tract. 67. in Joan. hoc idem innuere videtur. Clarè etiam hic medius locus rejicitur ab Auctore Hypognosticon lib. 5. c. 5. dicit enim *Tertium penitus ignoramus; imò nec esse in Scripturis Sanctis invenimus*.

35. Dicebam disp. 4. num. 40. hæc quidem eos Recentiores convincere, qui cum paucis, & sine nomine Antiquis docent pueros post diem extremi Judicii habitaturos esse supra terram; vel etiam eos, qui volunt pueros futuros in Limbo, loco scilicet sub terra, ubi tamen ignis non sit, nos verò convincere

ne-

nequeunt, qui cum antiquis Theologiæ Principibus affirmamus in Gehenna futuros, nihil tamen ab igne passuros.

36. Verum Adversarii aut nolunt, aut satis intelligere nequeunt, quomodo extituri in igne sint, & quidem potentissimo, & nihil ab eo passuri. Num Providentia Divina, ait Jueninus c. 2. ignis actionem impediet? At hoc est fictitium; cum per quindecim sæcula priora nunquam in mentem Scriptorum interpretantium illud Matt. 25. *ite in ignem æternum* hujusmodi interpretamentum venerit; præsertim ajebat alter, cum pueri sint Dei inimici, sint filii iræ, & filii vindictæ, absurdum penitus est dicere Deum pro suis inimicis facere majus miraculum illo, quod in fornace Babylonensi pro Sanctis pueris effecit. Locus Inferni est locus, ubi justitia imperat, non misericordia.

Jam disp. 4. num. 40. ex D. Thom. & Bonav. diluimus hoc objectum. Juvat hic eadem repetere. Ait ergo Doctor Angelicus in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. ad 3. sed post mortem nihil aget (ignis) virtute naturæ, sed secundùm justitiæ Divinæ ordinem sive in Animam separatam, in quam constat, quod ignis naturaliter agere non potest; sive etiam in corpus post resurrectionem; quia tunc omnis actio naturalis cessabit cessante motu primi Mobilis, *qui est causa omnis motus, & alterationis corporalis*. Idem repetit q. 5. de Malo art. 2. ad 5. ex his constat non nos, sed Adversarios, ut suam opinionem tueantur, ad miracula debere confugere. Non est miraculum animas puerorum esse in igne, & non comburi; quia ignis, utpotè materialis, in Spiritum naturaliter agere nequit. Contrarium est miraculum, & miraculum ingens, quod Adversarii fieri docent, si suam opinionem tueri volunt. Non est miraculum corpora puerorum post resurrectionem extitura esse in igne, & non comburi; quia illo tempore primum Mobile quiescet, ideòque aliæ causæ quiescent. Hinc terra nec herbas, nec plantas gignet, nec Mare pisces producet, & immobile manebit. Ergo ut ignis corpora comburat, miraculum est necessarium. Præterea, cum pœna puerorum sit mitissima, ut ait D. August. Enchir. c. 93. debent etiam hoc magnum miraculum admittere, ignem scilicet longè minùs torquere pueros, quàm adultos, & quia fides docet etiam pueros duraturos esse per totam æternitatem, debent aliud ingens miraculum admittere, nimirum corpora puerorum comburi, & non destrui. Ergo, ut Adversarii opinionem suam defendant ad plura miracula confugere debent, nos verò nullum miraculum admittere cogimur, quia, ut dicebam, ignis, utpotè materialis, spiritus torquere non potest naturaliter; & post resurre-

ctio-

ctionem cessante motu primi Mobilis naturaliter nihil agere potest.

37. Cùm spatio quindecim priorum sęculorum vixerint Alen. & Albertus Magnus, qui interpretantes illud Matt. 25. ite in in ignem ęternum dixerunt pueros futuros in igne non ratione *ardoris*, *sed tenebrositatis*. Hoc eodem temporis spatio vixit Richardus de Media Villa, qui clarè scripsit *corpora parvulorum non erunt impassibilia ab exteriori virtute resistentis*, *quod spectat ad dotem impassibilitatis*, *sed per carentiam pœnam inferentis hoc Divina Providentia disponente*. Vixit etiam Scotus, & scripsit: Sicut corpora Damnatorum patientur ab æterno igne, sed non dissolventur; Ita isti (pueri) carebunt perpetua Visione Dei sine omni tali passione exteriori; ita quod illa corpora erunt ex dispositione Divina *impassibilia*, *licèt non ex dote impassibilitatis*. Vixit etiam Doctor Seraphicus, qui in solito loco, ubi Antiqui quæstionem nostram tractare solent, nimirum in 2. dist. 33. art. 3. quæst. 1. ad 5. docet *sicut adulti existentes in eodem igne non torquentur æqualiter*, *sed inæqualiter*; *& hæc tormenti inæqualitas non provenit ex virtute resistendi*, *quam habeant Damnati*, *sed ex ordine Divinæ Justitiæ*; ita parvulorum corpora, etiamsi in ipsis ignibus infernalibus volutentur, passionem non sentiunt, *& tamen non habent impassibilitatis dotem*. Ex his liquet, ut intelligamus, quinam, & quantum torqueantur, qui in igne Inferni sunt, non esse considerandas naturam, & leges ignis, sed solas regulas Divinæ Justitiæ in cujus virtute ignis agit, & cujus est instrumentum ignis ipse, ut certum est, & notat ipse Seraphicus Doctor. Hanc considerationem cum hìc, & in argumento conflato ex captivitate Dęmonis, quam pueri habent, Adversarii non servent, mirum non est, si à veritatis tramite aberrent. Ex his etiam liquet, qua vel minima veri specie Jueninus potuerit dicere per quindecim priora sæcula scriptores nunquam affirmasse Divinam Providentiam impedire actionem ignis, ne pueros torqueat.

38. Et hìc obiter notare placet, quantum fidere Juenino, & hujusce similibus liceat, dum vel non invenientes in Patribus, quos legunt, vel ex ipsis argumentando intelligere aliquid non volentes, absolutè, & veluti *ex tripode* dicunt: *Hoc est novum. Hoc est Patribus incognitum*. Num in aliis Patribus, quos non vidistis, reperiri non poterit? Num ex iisdem Patribus, quos legitis, argumentando cognoscere illud non poterunt, quod vos vel non potuistis, vel noluistis?

Quod verò Adversarii ultimo loco objiciunt in Inferno imperare

tare Justitiam, non Misericordiam; reponimus, ibi etiam Misericordiam suum munus exercere; nam communiter Theologi docent Deum citra condignum Damnatos punire; & omnes affirmamus pœnam parvulorum esse *mitissimam*; quin ipse Noris vult adeò esse mitem, ut ignis eos non comburat, ut adultos, sed solùm calefaciat.

39. Objiciunt iterum Adversarii. Pueri per peccatum Originale in mortem secundam incurrunt, ut clarè docet D. August. lib. 1. ad Bonifac. cap. 22. mors verò secunda consistit in pœna sensus, ut dilucidè affirmat D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 6. & D. August. Enchir. cap. 92. Lib. 13. de Civit. Dei cap. 8. & lib. 19. cap. 28. & colligitur ex Apoc. cap. 20. ubi dicitur *Infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.*

Respondemus vitam æternam consistere in Visione beata; ait enim Joan. cap. 17. 3. *dedit eis vitam æternam; hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ergo separatio à vita æterna erit mors; sicut, quia conjunctio corporis cum anima est vita, ejus separatio est mors; sicut autem separatio animæ à corpore est prima mors; ita separatio animæ à vita æterna erit mors secunda. Quando verò dicimus vitam æternam consistere in Visione beatifica, ita dicimus, ut Visio beata sit essentia, & Esse præcipuum Vitæ æternæ; cætera autem bona, quæ vitam æternam comitantur, sint qualitates, proprietates, & complementum Vitæ æternæ. Sic etiam, dum docemus mortem secundam consistere in privatione Visionis beatæ, hoc ita docemus, ut talis privatio sit essentia, & Esse præcipuum mortis secundæ; cætera verò mala, quæ talem privationem sequuntur, sint proprietates, qualitates, & complementum mortis secundæ. Hinc dicimus simpliciter, & absolutè pueros ob peccatum Originale in mortem secundam incidere, quia privatione visionis beatæ, in qua essentia, & Esse præcipuum mortis secundæ consistit, puniuntur; non puniuntur autem pœna sensus, quæ est proprietas, qualitas, & complementum mortis secundæ. Explicamus à pari. Si quis Animal Rationale evaderet, sed *risibile* non fieret; certè hic homo evaderet; quia essentiam hominis acquireret, licèt hominis proprietates non adipisceretur. Patres autem, & Scriptura ignem mortem secundam vocant; quia ignis est proprietas mortis secundæ. Sicut risibile vocamus hominem, quia risibile est proprietas hominis. Sic etiam Patres Carthaginenses anno 418. in quodam canone Regnum Cœlorum vocant Vitam æternam. Certè Regnum Cœlorum est quidam locus materialis; ergò non est vi-

ta. Est ergo locus ubi Beati vitam æternam degunt. Ex eo ergo quod sit proprietas vitæ æternæ, Patres illum Vitam æternam appellant. Quod verò potiùs privatio Visionis beatæ sit essentia mortis secundæ, quàm pœna sensus; hoc est evidens; cum mors consistat in privatione; non verò in aliquo Esse; hinc essentia mortis primæ consistit in privatione vitæ temporalis; ergo essentia mortis secundę consistit in privatione vitæ æternæ. Vultis responsionem ex Doctrina Antiquorum conflatam? Ipsi dicunt tria in igne consideranda esse, privationem nimirum vitæ æternæ, ardorem, & *tenebrositatem*. Privationem vitæ æternæ fatentur esse præcipuam pœnam. Ergò etiam ipsi dicerent mortem secundam consistere in Privatione Vitæ æternæ tanquam in essentia.

40. Ex eo quod pueri tot miserias ob peccatum originale in hoc mundo patiantur, quas latissimè D. August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 22. describit, Conantur Adversarii ostendere etiam pœnas sensibiles æternùm esse passuros, cum pœnæ hujusce Mundi ad satisfaciendum pro illo peccato non sufficiant. Noris Vindic. August. cap. 3 § 3. pag. 18. ait D. Augustinum lib. 6. Oper. Imperf. c. 23. dixisse hoc argumentum esse *sæpè dictum*, *sæpiusque dicendum*.

Hoc argumentum omnes Antiqui commemorant, & dissolvunt. Mihi maximè placet responsio illa, quia scilicet miseriæ hujusce vitę ex principiis naturalibus sequuntur; hinc si Deus homines condidisset in statu naturali, hasce easdem subiissent; est enim error quinquagesimusquintus Bai dicentis *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*; quandoquidem, ut definitur contra eundem Bajum num. 26. *Integritas primæ creationis fuit indebita naturæ humanæ exaltatio*. Hinc in statu innocentię hujusmodi defectibus homines immunes fuissent ex D. Thom. qu. 5. de Malo art. 4. *ob auxilium originalis Justitiæ*, quo per peccatum amisso ex ipsa natura hæ pœnę, & hi defectus proficiscuntur. Hinc homines ob peccatum originale pœnis sensibilibus hujusce vitæ castigari est homines ad statum naturalem detrudere, quod esse justum exemplo clarissimè ostenditur. Jubeat Rex hujusmodi legem. Dabo Petro in summa egestate constituto, ejusque filiis opulentam hanc Urbem, si mihi fidelis erit; si verò infidelis extiterit, ipsum, ejusque filios Urbe privabo, & ad pristinam mendicitatem redigam. Quis, quæso, ex illis filiis hujusmodi legem non laudaret? Quis Regi de tanta liberalitate gratias ingentes non redderet? Sed fac Regem talem conditionem addere. Si verò infidelis erit, & ipsum,

& suos

& suos filios acerbissimo, perpetuoque supplicio castigabo. Quis ex illis filiis tali discrimini approbando hujusmodi legem se vellet exponere? Quis negaret talem legem ingentem sævitiem præseferre? Ergo si Deus legem fecisset de dandis Paradiso terrestri, & cœlesti Adæ, & ejus posteris, si Adam sibi obediret; si verò esset infidelis, eos utroque Paradiso privaret, eosque ad naturalem pauperiem conjiceret; nemo, ut opinor, ex descendentibus Adæ de tali lege conqueri posset; cum ex una parte constitui potentem acquirendi utrumque Paradisum, Bona scilicet adeò ingentia, sit bonum ingens; ex altera verò parte posse conjici in naturalem pauperiem non sit malum sibi indebitum, & naturæ repugnans; jam hæc lex descendentibus Adæ multùm utilis esset, nec in statu illos deteriore poneret. V.num.59.

41. Quod si Deus hanc conditionem addidisset. *Si Adam preceptum meum violaverit*; ipsum, ejusque descendentes *ignis æterni sempiterno supplicio puniam*. Quis ex descendentibus Adæ hanc legem duram, severamque non judicaret? Quis si posset, ab ea lege non se eximeret, & potiùs non eligeret in sua naturali pauperie remanere, in qua infelicissimus certè non est, quàm velle acquirere quidem spem boni ingentissimi, ac simul in discrimen probabile conjici summi, sempiternique supplicii?

42. D. Bonaventura in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. ad 3. allato objecto respondet afferendo duplicem disparitatem inter penas sensibiles hujusce vitæ, & alterius. Prima est, quia Deus in omni punitione hæc duo *eleganter* conjungit, Justitiam nempè, & Misericordiam; hinc, ut dicebam, adultos damnatos citra condignum punit. Si autem Deus eodem genere pœnæ, quo peccatum actuale castigat, originale etiam castigaret, nullam misericordiam pueris ostenderet. Altera disparitas est; quia pœna sensibilis temporalis punit quidem; at simul ad virtutem excitat; hinc tali pœna etiam suos Amicos affligit, ut patet in Job, & Tobia. Contra verò pœna sensibilis æterna ad virtutem non provocat; sed solùm quàm acerbissimè torquet. Hanc secundam disparitatem dat etiam Richardus de Media Villa art. 3. q. 1. ad 2.

43. Dicet aliquis. Si ex detractione auxilii justitiæ originalis sequuntur pœnæ sensibiles in hac vita; cum hujusmodi auxilio æternùm cárituri sint pueri in alia vita, æternùm hujusmodi penam in alia vita patientur. Jam diximus cum D.Thoma, & D. Bonav. in alia vita causas effectus non producere secundùm vires naturales; sed sola virtute Divinæ justitiæ. Præterea quæstio nostra non est, an pueri in alia vita patiantur dolores V. G. ex

morbis, & aliis causis, quæ à principiis intrinsecis proveniunt, quique dolores licèt pueros affligant, eos tamen simul frui bonis naturalibus sinunt; & quos dolores, & quas pœnas etiam pueri subiissent, si in suo statu naturali procreati fuissent. Unde evidenter liquet in pueris hosce dolores nasci non ob miraculum Omnipotentiæ Divinæ, sed ex sola natura; in statu verò innocentiæ ideò orti non fuissent ob miraculũ Munificentiæ Divinæ, quæ ex mero suo beneplacito naturæ humanæ originalem justitiam, hoc est Donum supernaturale concesserat. Quæstio ergo solùm est, an pueri passuri sint dolores, & sempiternos cruciatus provenientes ab igni, qui ignis sit tantarum virium, ut & puros spiritus torquere, & torquere possit corpora, etiamsi primum Mobile quiescat. Hosce sempiternos dolores, hosce æternos cruciatus passuros nostros pueros penitus negamus; quia hujusmodi pœnæ ex mera detractione justitiæ originali per vires naturæ effici nequeunt; sed necesse est, ut Omnipotentia Divina hæc miracula efficiat. Necesse est, ut Omnipotentia Divina hasce potentissimas vires igni largiatur.

44. Adversarii pro peccatoribus actualia peccata habentibus, id est, pro peccatoribus nullam excusationem habentibus duo miracula à Misericordia Divinà fieri concedunt. Primum, ut ignis eos citra condignum puniat. Secundùm, ut æqualiter omnes peccatores non torqueat, ut faceret, si suum effectum viribus suæ naturæ præstaret. Contra verò pro pueris solùm peccatum originale habentibus, hoc est pro peccatoribus magnam excusationem habentibus; quia scilicet, ut ait D. Thomas in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. ad 2. peccatum originale habet *minimum de voluntario*; volunt Adversarii non Misericordiam, sed Justitiam Divinam duo miracula efficere; primum, ut causæ materiali vim tribuat puro spiritus torquendi; alterum, ut igni vim tribuat suum effectum præstandi, quamvis primum Mobile quiescat.

45. Si hæ miseriæ, objiciet alter, proficisci possunt à natura, quomodo D. Augustinus toties aggressus est probare peccatum originale ex ipsis miseriis? Quia scilicet D. Augustinus contra Pelagianos argumentabatur, qui Scripturam Sacram admittebant; in Scriptura autem Sacra clarè dicitur hominem fruiturum fuisse Paradiso terrestri, loco voluptatum plenissimo. Hinc dicimus ex ipsis miseriis solis peccatum originale probari non posse, atque ethnicis veritatem fidei de peccato originali evidenter ostendere. Verum quidem est D. Thomam lib. 4. contra Gentes affirmare miserias naturæ humanæ esse *signa probabilia peccati ori-*

originalis, ex quibus verbis Noris in Vindic. Auguſt. c. 3. §. 3. pag. 20. contendit conflare argumentum ad probandum miſerias hujus vitę naturaliter cum peccato originali connecti. At poſt illa verba hęc alia ſubdit. *Suppoſita Divinæ Providentiæ*, quę ſingulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit. Quod Deus ſuperiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur, *& ſi quod hujus dominii impedimentum ex natura contingeret*, *ejus ſpeciali*, *& ſupernaturali beneficio tolleretur*. Sic igitur ſecundùm doctrinam fidei ponimus hominem à principio taliter eſſe inſtitutum, quod quandiu ratio homini Deo eſset ſubjecta, & inferiores vires ei ſine impedimento deſervirent, & corpus ab ejus ſubjectione impediri non poſſet ob aliquod impedimentum corporale, *Deo*, *& ſua gratia ſupplente*, *quod ad hoc perficiendum natura minus habebat*. Et infrà: Sic natura humana fuit inſtituta in ſui primordio, quod inferiores vires perfectè rationi ſubjicerentur, Ratio Deo, & animæ corpus, *Deo per gratiam ſupplente id*, *quod ad hoc deerat per naturam*. *Hujuſmodi autem beneficium*, *quod à quibuſdam juſtitia originalis dicitur &c.* Ecce evidenter Miſerię quidem hujus vitę *ſigna probabilia peccati originalis ſunt ſuppoſita Providentia Divina*. Sed qua ſuppoſita Providentia Divina, Doctor Angelice? Naturaline? Audiamus. Suppoſita Providentia Divina, qua vult, ut *Natura ſuperior*, id eſt perfectior, *inferiori naturæ dominaretur*. At hoc dominium eſt ne naturale, id eſt à naturę viribus proveniens? Audiamus. *Et ſi quod hujus dominii impedimentum ex natura contingeret*, *ejus ſpeciali*, & ſupernaturali *beneficio tolleretur*. At reipſa natura hoc impedimentum pręſtabat, & reipſa ſpeciali, & ſupernaturali beneficio hoc impedimentum ablatum eſt? Audiamus. *Deo per gratiam ſupplente id*, *quod ad hoc deerat per naturam*. Poteſt Angelicus Doctor loqui clariùs?

46. Sicut autem hoc loci Doctor Angelicus clarè dixit per gratiam ſupernaturalem factum fuiſſe, ut in eſſe morali natura inferior naturę ſuperiori ſubjiceretur, & ſolùm ea appeteret, quę ſuperior volebat; Ita q. 5. de Malo art. 5. ait à Deo conſtitutum fuiſſe, ut corpus organicum natura ſua mortale, *auxilio ſupernaturali juſtitiæ originalis immortale evaderet*, ſicut erat Anima rationalis; ideòque etiam in eſſe phyſico natura inferior beneficio gratię ſupernaturalis ſimilis naturę ſuperiori evaderet.

47. Inſtat Jueninus inſtit. Theol. p. 7. diſs. 7. q. 1. c. 3. Dicere cauſam harum miſeriarum eſſe naturam quid eſt aliud, quàm ipſum Creatorem reprehendere; cum natura prout opifex eſt à Crea-

tore minimè distinguitur? illud dictum fuit Tullii apud Augustinum lib. 4. contra Julian. c. 12.

Respondemus, sicut opifex efficiens serram *frangibilem* reprehendi non potest ex eo quod ille defectus ab ipso opifice non venit, sed à materia; ita Deus reprehendi nequit, si facit hominem mortalem; ideòque tot miseriis naturaliter subjectum, quia hoc proveniret *propter necessitatem materiæ* ait D. Thomas ibidem. Voluit tamen, subdit S. D. Munificentia Divina hunc defectum auxilio supernaturali justitię originalis auferre, quo auxilio per peccatum originale ablato à natura natæ sunt pręsentes miseriæ. Hinc peccatum originale abstulit causam, quę impediebat, ne à natura tales miserię proficiscerentur.

48. Urgent Adversarii ex D. August. lib. 6. Oper. imperf. c. 37. habetur: *Restat, ut ista, quæ nunc est* (mors corporis) *ipsa novissima, hoc est, in fine destruatur, quando fiet resurrectio carnis;* ut non sit porrò inimica, quomodo esset, si naturalis ita esset, ut pœnalis non esset; *pœnalis autem sub justo, & omnipotente Deo Judice nullo pacto esset, nisi meritis peccati accidisset.* Notant Adversarii Pęnale hic ab Augustino accipi pro eo, quod dolorem, cruciatumque infert. Hinc argumentum conficiunt. Pœnale inferri nequit nisi merito culpę, inquit Augustinus, at mors semper est pęnalis; quia Anima separari nequit à corpore *nisi præviis morbis, & doloribus.* Ergo mors contingere nequit nisi ex merito culpæ.

Illud primum pronunciatum videtur contrarium regulis canonicis; dicitur enim cap. *sine culpa* de reg. jur. in 6. sine culpa, nisi subsit causa, *non est aliquis puniendus.* Secundum verò enuntiatum dicimus Aristoteli esse contrarium; ait siquidem lib. de Juvent. & Senect. c. 14. art. 1. num. 5. Quapropter, & sine dolore est, quę in senectute mors: nulla enim violenta ipsius passione contingente moriuntur; sed insensibilis animę absolutio fit omninò. Hęc Maurus interpretans ait. Secundò explicari potest *cur senibus accidere soleat mors sine dolore.* Ratio est, quia Senes moriuntur sine ulla passione violenta; imò sine sensu; siquidem defectus caloris solet causare quandam insensibilitatem. *Sed dolor causatur ex sensatione alicujus passionis violentæ: ergo &c.* Legat quis articulum illum, & cap. 10. n. 4. & sine dubio fatebitur mortem in senibus posse contingere sine violentia, sine contrario, & propter solam senectutem; ideòque *sine dolore.*

Sicut allatum argumentum ex miseriis hujusce vitę provenientibus ab intrinsecis principiis naturę humanę nullum prorsus esse confidenter affirmo; ita sequens ex captivitate Dęmonis, in quam natura humana ob peccatum originale incidit, conflatum

non

non nihil roboris habere non inficior. Recentior ergo in suis Vindic. August. c. 3. §. 5. pag. 34. ita inquit. Multę sunt aliæ miserię gravissimę, quas homo ex sua natura non patitur; etenim *plerumque pueri à Dęmone invaduntur, & ad mortem usque cruciantur; illa autem pœna non oritur ex conditione materiæ.*

49. Uti solemus adverbio *Plerumque*, quando significare volumus, quod majori ex parte evenire solet, & quod sępius contingit, quàm contrarium. Certè in hoc significatu Auctor ille dicere nequit *Patavii*, ubi anno 1673. in lucem emisit Vindicias illas Augustinianas, *Plerumque pueros à Dęmone invadi, & ad mortem usque cruciari.* Nam nos anno 1678. Patavium venimus, & nunquam audivimus horrendum hoc factum tàm frequens. Non nego mulierculas, virosque mulierum similes, nimis credulas identidem existimare infantes suos à Dęmone possideri. Sed quàm temeraria sit hujusmodi credulitas, Viri artis *exorcizandi* periti quotidie comperiunt. Ego certissimè credo in Urbe, etiam populo frequentissima, vix nonnullos à Dæmone possessos reperiri. Quàm rarissimè adverbium *Plerumque* etiam significare idem, ac adverbium *Non nunquam* potest. In hoc ergo significatu *Pueri plerumque*, id est interdum, nonnunquam, aliquando, *à Dęmone invaduntur.* At Auctor ille addere debebat, etiam *pueros baptizatos plerumque à Dęmone invadi;* si enim hoc addidisset, responsionem argumenti vidisset. Pueri baptizati, ac propterea nullum peccatum habentes, à Dæmone invaduntur. Ergo hæc pœna à peccato non proficiscitur. Ergo Auctor ille generaliter credere non debet pœnam à culpa provenire. Sed credere etiam debet, ut allata regula canonica nos docet, provenire etiam ab alia causa posse, *Non sine culpas, nisi causa subsit.* Inveniat ergo Auctor causam, quę non sit peccatum, qua pueri baptizati à Dęmone invaduntur, & nos dicemus propter eandem causam pueros non baptizatos invadi. Peccatum originale esse causam remotam hujusce pœnę inficias non ibo; si enim Adam non peccavisset, pueri huic pœnę subjecti non fuissent. Esse causam proximam negamus, & pernegamus. Nam causa proxima quàm rarissimè suum effectum producit? Ex his sequitur, cur pueri hìc aliquando pœna sensus torqueantur à Dęmone, in alia vita nunquam tali pœna ab eodem sint affligendi. Cum antiqui Theologi quęstionem nostram latè tractaverint, ipsique pueros invasos à Dęmone viderint, nec mentionem fecerint hujusce argumenti; dicendum venit eos argumētum hujusmodi nullum esse credidisse.

50. Verùm inquit Recentior ille: D. Augustinus lib. 6. contra

Julian. c. 10. num. 31. ex hac pœna pueris à Dæmone inflicta argumentabatur in pueris inesse peccatum originale. Ergo peccatum originale est causa proxima hujusce pœnæ.

Negamus consecutionem; sequitur enim solùm peccatum originale esse causam illius pœnæ; non verò causam proximam. Verissimum est pueros nullam pœnam passuros fuisse, si Adam non peccasset; Siquidem in statu innocentiæ nati fuissent. Sed non sequitur; ergo, cum pueri pœnam patiantur, peccatum originale esse causam proximam cujuscunque pœnæ. Cęcus ille Joan. 9. à nativitate hanc magnam pœnam subiit non in pœnam peccati originalis, sed *ut manifestentur opera Dei in illo*. Cur ergo nobis dicere non licebit, sicut Deus permittit pueros baptizatos aliquando à Dæmone invadi non in pœnam peccati originalis, quod ipsis penitus dimissum est per baptismum, sed ob aliam causam, ob alium finem *sed ut manifestentur Opera Dei in illis*; cur, inquam, nobis dicere non licebit, si aliquando pueri non baptizati à Dæmone affliguntur, non torqueri in pœnam peccati originalis, sed propter aliam causam, propter alium finem, *sed ut manifestentur Opera Dei in illis*?

51. Alio modo, & revera magis apparente, ex potestate, quam in pueros ob peccatum originale Dæmon habet, argumentum conficiunt. Dicunt ergo. Pueri sub Dæmonis potestate nascuntur. Hoc multis auctoritatibus D. Augustini magna eruditione demonstrant; Sanctus enim Doctor, cum deberet contra Pelagianos veritatem Catholicam de peccato originali ostendere, debebat etiam demonstrare pueros Dæmonis potestati subiici, cum per peccatum Dæmonis servus efficiatur. Id etiam probant ex Cœlestino Epist. ad Galliæ Episc. c. 12. Addunt hanc doctrinam probasse Ecclesiam universam in c. Sacerdotes de consecr. 4. dist. c. Parvuli c. sicut Nostis c. Dehinc; & Concilium Tridentinum sess. 5. de peccato originali definit, Adam incurrisse cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium. Et sess. 6. c. 1. clarè docet omnes homines in prævaricatione Adę factos fuisse servos peccati, & sub potestate Diaboli, & mortis &c. Hinc Augustinus lib. 6. Oper. imperf. c. 20. reprehendit Julianum ægrè ferentem Dominum, ac possessorem imagini Dei Diabolum imponi: *Nec tibi videatur indignum, quod subjecta est Diabolo imago Dei; hoc enim non fieret nisi judicio Dei. Nec removetur ista damnatio, nisi gratia Dei.* Hanc puerorum sub Dæmone captivitatem D. Cœlestinus, & D. Augustinus probant præsertim ex eo quod pueri in baptismo exsuplantur, & Dæmoni nuntium mittere jubentur *exsuplantur autem parvuli*, inquit August. lib. 3. Oper. Imperf. c. 199. *in exorcismo, priusquam baptizentur. Exsuplan-*

suplantur igitur vivæ imagines non Regis cujuscunque, sed Dei. Imò verò exsuplatur sed Diabolus, qui contagione peccati tenet procul dubio reum, ut illo foras mißo, parvulus trasferatur ad Christum. Exsupletur itaque Juliani amentia, ne majestatis rea in parvulorum mundatione, & exsuplatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur de potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus, quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non sinitur? Revera negari non potest, præsertim nostris temporibus, pueros Demonis captivos nasci; propter Concil. Trident. supra allatum sess. 6. c. 1. clarè docet *omnes homines in prævaricatione Adæ factos fuisse servos peccati, & sub potestate Diaboli, & mortis &c.*

52. Catharinus Opusc. de statu parvulorum ait, Pueros perpetuò non futuros sub Demonis potestate, quia & pro illis ejectus erit foras diabolus in die novissimo, ut nihil juris habeat ulteriùs in illos. Hoc responsum, inquit rectissimè Noris, à Viro Catholico defendi non potest; nam fides docet peccatum originale ab infantibus non tolli nisi baptismo. Ergo illud semper habebunt; Ergo Dæmon semper idem jus in eosdem habebit; hinc D. Augustinus lib. 1. de Nupt. & concupisc. c. 23. scribit. Hoc generi humano inflictum vulnus à Diabolo quidquid per illud nascitur, cogit esse sub Diabolo, tanquam de suo frutice fructum jure decerpit; non quod ab illo sit natura humana, quæ non est nisi à Deo. sed vitium, quod non est ex Deo; non enim propter seipsam, quæ laudabilis est, quia opus Dei est; sed propter damnabile vitium, quo vitiata est, natura humana damnatur; *& propter quod damnatur, & propter hoc & damnabili Diabolo subjugatur.*

53. Igitur debet esse certum pueros non baptizatos æternùm Diaboli mancipia futuros; cum à potestate Diaboli non eruantur, *nisi gratia Dei*, dicebat D. Augustinus relatus num. 51. hęc autem gratia non est nisi baptismus. Exaggerant hìc Adversarii Dæmonis vires, & dicunt esse illum *fortem virum* Luc. 11. *custodientem atrium suum*; & illum *Fortem* Marc. 3. 27. *quem si quis non alligaverit, domus ejus vasa non diripiet*. Et illum *Principem hujus mundi* Joan. 12. 31. *foras eiiciendum*. Addunt: cum pueri sint Vasa domus Diaboli, utpotè vasa iræ, & ignominiæ, & sint de familia ejus; nisi hic fortis vincatur, nisi hic Princeps ejiciatur, semper in Diaboli domo, & familia pueri infeliciter remanebunt. Hic autem fortis, & hic Princeps á solo Christo triumpatore in baptismo vincitur, & alligatur, ut ajebat Cęlestinus Papa supra citatus num. 51. Si autem cum Diabolo remanent in Inferno, utique *cremandi* remanent, inquit Noris. Cur hìc Noris *cremandos* fatetur, cum postea ob Augustinum docentem puerorum pœnam

esse *mitissimam* Enchir. cap. 93. fateatur esse solùm *cum dolore calefaciendos*, ut noto num. 18.

54. Confirmant argumentum. Si ponamus aliquem subditum non solùm exilio multari, & paterna hæreditate privari; sed etiam in captivitatem alicujus sævissimi Tyranni tradi; certè hæc captivitas esset alia pœna præter exilium, & exhæredationem. Taliter accidit pueris ob peccatum originale; nam & exilio, & privatione hæreditatis paternæ, & captivitate Dæmonis castigantur. Nonne Dæmon est Tyrannus sævior Phalaride? Dionysio? Nerone? Nunquam Tyrannus hic crudelissimus pueros cædet? Totas vires exeret in adultos, ut nihil virium habeat ad infantes torquendos? Præterea nec levis censenda est pœna carceris præcipuè *sub forti armato custodiente atrium suum*.

55. Hæc, brevitate qua potui, in medium produxi, quæ latissimè prosequitur Recentior; ex quo intelligere licet, quantùm huic argumento fidant, & fortè credant Adversarii. Ego quàm libentissimè ipsis concedo Dæmonem non solùm esse fortem illum, & illum Principem potentem, sed etiam esse quàm fortissimum, & quàm potentissimum. Quid tum? Num ex hoc sequitur potentissimè, fortissimèque, potenter, fortiterque pueros puniet? Minimè Gentium. Concedam esse Tyrannum non solùm Phalaride &c. immaniorem, crudeliorem, sævioremque; sed etiam immanissimum, crudelissimum, sævissimumque. Quid tum? Num ex hoc sequitur, immanissimè, crudelissimè, sævissimèque, immaniùs, crudeliùs, sæviùsque pueros torquebit? Minimè Gentium. *Mitissima* est eorum pœna, dicebam cum D. Augustino. Dicimus ergo cum D. Thoma q. 5. de Malo art. 2. ad 5 *ignem, & hujusmodi activa* (ergo etiam Dæmon) *non agere secundùm necessitatem naturæ*; (Nos dicamus secundùm pravam, perversamque suam voluntatem) sed magis secundùm ordinem justitiæ Divinæ, quia ille status est recipiendi pro meritis; unde cùm Divina justitia non exigat, quod pueris, qui cum solo originali peccato decedunt, pœna sensus debeatur, *nihil ab hujusmodi activis patientur*. Similia habet Doctor Seraphicus in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. ad 5. ubi notat ignem esse instrumentum Divinæ Justitiæ *secundum cujus regulam ignis* (Quidni & ipse Dæmon, qui pariter est Divinæ Justitiæ instrumentum?) *ignis infernalis agere debet. Unde sicut idem ignis* (Dæmon) *magis cruciat majorem peccatorem, quàm minorem. Sic & in eodem igne patiuntur corpora eorum, qui peccaverunt peccato actuali: Parvulorum verò corpora etiamsi in ipsis ignibus infernalibus volutentur*. (Etiamsi simul cum ipsis Dæmonibus versentur) *passionem non sentiunt*. Igitur in Inferno *ignis, & cætera agentia*,

tia, inquit etiam Biel in 2. dist. 33. dub. 2. litt. L. *sunt instrumenta Divinæ justitiæ*. Ergo Dæmon solùm torquet eos, quos imperat Divina justitia, eosque torquet, quantùm eadem imperat. Sic etiam in hoc Mundo eos Dæmon invadit, & tantùm invadit, quos, & quantùm imperat omnipotens. Ipsos porcos invadere nequivit, nisi postquam Jesus expressam veniam ei concessit Marc. 5. 13. Luc. 8. 32. ergo ex Dæmonis sævitie, ejusque viribus argumentari non licet quinam sint ab ipso torquendi, quantùmque torquendi. Ergo in vanum, & voluntario labore tantùm vires, immanitatemque Dæmonis Adversarii exaggerant. Voluntate sævissimus, crudelissimusque est, nec Dionysius, nec Nero, cæterique hujusce mundi Tyranni sunt cum eo comparandi. Ipso verò facto justissimus est, & servantissimus æqui; nec Reges justissimi hujus Mundi cum eo conferendi sunt; est enim exactissimus, & perfectissimus executor justitiæ Divinæ. Restat ergo Adversariis probandum Divinam Justitiam velle, ut Dæmones reipsa pueros torqueant, sicut voluntate appetunt. Sicut etiam voluntate omnes damnatos æqualiter torquere vellent. Parcit ergo Dæmon pueris, neque eos unquam flagris percutit non ex bona erga eos voluntate, sed ex Divina Justitia, quæ eos solùm pœna sensus punit, qui propria actione, non contagione peccaverunt; ut dixi ex D. Thoma, & dicam mox, & num. 63.

56. Ad confirmationem dicimus, si ille ita traderetur in potestatem Tyranni, ut Tyrannus faceret de eo, prout sibi placeret. Certè hæc captivitas esset nova, & gravissima pœna, quia illum Tyrannus multiplici supplicio afficere posset; si verò ita tradatur, ut solùm in ejus Regno subsistere posset; hæc captivitas non esset alia pœna præter exilium, & paternæ hæreditatis exhæredationem. Hoc modo pueri in potestatem Dæmonis traduntur. Dicet eis Christus. *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo*. Ergo pueri à Patria cœlesti exultabunt. Quia verò solùm in Patria Cœlesti bonis cœlestibus frui licet; ideò pueri etiam bonis supernaturalibus privabuntur. Cum verò pueris justissimus Judex exprobare non possit *esurivi, & non dedistis mihi manducare &c* ęquũ est, ne pueri patiantur cęteras pœnas, quas experiuntur ii, quibus ea Judex ęquissimus ęquissimè exprobat. Sicut enim originale peccatum, ut ait D. August. lib. 6. contra Julian. c. 10. num. 28. *non est proprium proprietate actionis, sed contagione propaginis*; Id est nos non contrahimus peccatum originale per actionem à nobis elicitam, sed per generationem à Patre factam. Ita pœna peccati originalis consistere non debet in passione proveniente ab hac persona, sed in privatione habita per generationem; generatio enim na-

naturam justitia originali privatam nobis largitur; privationi autem justitię originalis correspondet pro pœna privatio Visionis beatificę; & licèt det etiam nobis concupiscentiam; quia tamen, ut notat D. Thomas q. 5. de Malo art. 2. ex D Aug. concupiscentia pueros non facit concupiscentes, *sed habiles ad concupiscendum*, & nemo punitur, ut notat etiam D. Angelicus, quia peccare possit; ideò per peccatum originale in pueris non nascitur nisi debitum ad pœnam privationis Visionis beatę. Hinc egregiè D. Thomas in 2. dist. 33. q. 2. art. 1. conclusit: *Unde sicut culpa non fuit per operationem ejus*; (personę particularis) *ita nec pœna per passionem ejus eße debet*.

57. Credideram ego semper per peccatum actuale magis propriè hominem fieri Dęmonis servum, quàm per peccatum originale; si enim servi ejus efficimur, cui obedimus ad Rom. 6. 16. & peccando Diabolo obedimus; & peccatum actuale sit majus peccatum, quàm originale; hinc dicebat D. Thom. 2. dist. 33. q. 2. art. 1. ad 2. peccatum originale esse *minimum inter omnia peccata*, eo quod minimum habet de voluntario; sequitur habentem peccatum actuale esse magis servum Diaboli, quàm habentem peccatum originale. Recentior ille velle videtur per peccatum actuale Dęmonis mancipium non fieri eo, quod habentes peccatum actuale, exorcismis non exsuflantur. At non absolvuntur à peccatis illis verbis. *Absolvo te à peccatis*? Nonne peccata actualia sunt vincula, quibus peccatores sibi vinctos Dæmon retinet? cur mihi dicere non licebit per illa verba solvi servitutem, & captivitatem contractam cum Dęmone?

58. Fortiùs videtur argumentum illud, quod facit idem Recentior pag. 35. in Vindic. August. Pueri, inquit, prędestinati ex meritis Christi habebunt in alia vita bona corporis, quę *dotes* à Theologis nuncupantur. Ergo pueri *reprobi* patientur in alia vita mala corporis ex demeritis Adę. Simile argumentum ponitur ab August. lib. 6. contra Julian. c. 10. num. 29. ubi paritatem negantes *importunos* vocat. *Vide ergo quàm* importunè *nolis parvulum de alieno peccato reportare malum*, *& velis enim de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecumque, sed Regnum Dei; alienum quippè opus est, cum credit per alterum; sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero*. Ita ad verbum Auctor.

Respondet D. Thomas huic argumento tum 2. dist. 33. q. 2. art. 2. ad 4. tum q. 5. de Malo art. 3. ad 2. Respondet, inquam, Doctor Angelicus. Quod bonum Christi excedit peccatum Adę, ut ad Rom. 5. 5. dicitur. Unde non oportet, quod pueri non baptizati tantum habeant de Malo, quantum baptizati habent de bo-

bono. Ita in primo loco; in secundo verò clariùs id explicat; Sicut Apostolus dicit Rom. 5. 5. majus est donum Christi, quàm peccatum Adę; & ideò non oportet, si pueri baptizati gaudent propter meritum Christi, quod non baptizati doleant propter peccatum Adę. Ecce argumentum D. Thomę. Majus est donum Christi, quàm peccatum Adę Rom. 5. 5. ergo pueri baptizati propter meritum Christi gaudebunt de aliquo, de quo pueri non baptizati non dolebunt. Petrus donat Paulo domum, non verò Francisco. Quia Paulus de dono gaudet; tristabitur Franciscus, quia ipse tali doni particeps non est? Si Franciscus sit sapiens, ait Doctor Angelicus, non tristabitur.

59. Argumentum D. Augustini est optimum. Per factum alienum bonum pueri bonum reportant. Ergo pueri per factum malum alienum malum reportant. Sic etiam lib. 3 Oper. imperf. c. 199. argumentabatur: sicut pueri per alios credentes, & baptisma recipientes salvi fiunt. Ita non credentes, nec baptisma recipientes condemnandi sunt. Rectè S. D. paritatem negantes *importunos* vocat, quia revera pueri sicut per factum alienum beatitudinem supernaturalem assequuntur; ita per factum alienum æternam condemnationem adipiscuntur; Bonum per factum alienum acquirunt; Malum per factum alienum consequuntur. Paritas negari non potest. Per factum alienum corporis dotes, cœlum empyreum, Visionem beatam sibi comparant. Per factum alienum privationem illarum dotium, cœli empyrei, & Visionis beatæ infeliciter subeunt, & in infernum truduntur. Per factum alienum rectissimè Malum maximum non reportant? Si D. Augustinus in consecutione argumenti dixisset, sicut Adversarii faciunt: ergo pueri per factum alienum æternam combustionem, ęternumque dolorem subibunt, non *importunè*, sed *oportunissimè* Pelagiani cum D. Thoma, & cęteris antiquis Theologis, quin etiam cum D. Paulo Rom. 5. 5. paritatem negassent; quandoquidem ex primis principiis moralibus evidentissimè intelligimus Bonum nobis posse conferri *à quibuslibet*, *sub quibuslibet etiam difficillimis conditionibus*. Si Petrus diceret; *Dabo tibi hanc domum, si Turca Christianus fiet*. Nonne hoc mihi esset bonum, quamvis à difficillima conditione pendeat? Nonne gratias agerem Petro ob bonum hujusmodi, quamvis tam difficiliter obtinendum? ergo etiam laudandus est Deus, ipsique maximè gratiæ agendę, quod mihi tum paradisum terrestrem, tum cœlestem conferre voluerat, quamvis difficillima illa conditione de facto alieno. *At Malum* potest ne mihi inferri à quibuslibet *sub quibuslibet conditionibus*? Potest ne idem Petrus dicere. Si Turca Christianus non fiet au-

auferam à te Bona tua? *Te flagris cædam*? Rex mihi bona sua donare potest sub quibuslibet conditionibus; non tamen sub quibuslibet conditionibus auferre mihi potest bona mea, & multò minùs flagris me cędere. Ergo etiam Deus poterat quidem mihi bona sua, Paradisum terrestrem, Paradisum cœlestem, dotes corporis, dotes animi, & cętera immensa bona supernaturalia sub illa difficili conditione de obedientia Adæ conferre; hinc maximę propter hoc Deo agendæ gratiæ erant. At non poterat, hoc est, ęquum non erat, ut Deus sub illa difficili conditione de facto alieno conferret mihi maximum malum illud, nimirum auferre mihi mea bona, naturaliter mihi debita, & multò minus ęterna ustione castigare. V. num. 40.

60. Aliis vocibus instaurat argumentum Recentior ille, & dicit: Pueri non baptizati sunt de familia Dęmonis, sicut pueri baptizati sunt de familia Christi. Ergo sicut hi bona omnia familię Christi adipiscuntur; ita illi mala omnia familię Dæmonis consequentur. D. Thomas eandem disparitatem afferret. Pręterea non omnes, qui sunt ejusdem familię eisdem bonis fruuntur; ex eo quod diversis capitibus ad eandem familiam pertinent. Quin sępissimè, quamvis omnes filii eodem capite attineant ad eandem familiam, iisdem bonis non fruuntur; ut patet in familiis Principum; quod jam Deus in lege veteri constituerat.

61. Aliud argumentum conficit idem Recentior, quod sibi videtur valdè efficax. Deus, ait, odio habet pueros solo peccato originali infectos ex Joan. 3. 36. *qui autem incredulus est Filio Dei, non videbit vitam; sed ira Dei manet super eum*; hanc autem sententiam D. Augustinus pueris non credentibus applicat lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 20. ubi affirmat regulam Ecclesiasticam pueros baptizatos inter fideles computare, non baptizatos inter incredulos; *atque adeò, si hujus inanes gratiæ de corpore exierint, sequitur, quod dictum est, non habebunt vitam, sed ira Dei maneat super illos*. Idem etiam colligitur ex Epist. ad Eph. 2. 3. ubi vocamur natura filii irę. Ex his sequitur Deum posse exercere contra pueros actum justitię vindicativæ, prout hæc est inflictiva pœnæ sensibilis. Consequentiam verò acutè deducit Augustinus tract. 44. in Joan. inquiens Apostolus natus in gente prophetarum dicit *Fuimus & nos aliquando filii iræ, sicut & cæteri*. Si filii iræ, *filii vindictæ, filii pœnæ, filii Gehennæ*. Hanc auctoritatem observat Auctor comprobari à Breviario Romano feria quarta Dominicæ quartæ Quadragesimæ, in lectionibus tertii Nocturni. Addit, *si condemnantur ad Gehennam, hìc sunt Flamma, Fletus, & stridor dentium*. Hæc ibi cum fide catholica esse fatemur; sed cum

D. Tho-

D. Thoma, & cæteris Antiquis dicimus esse pro habentibus peccatum actuale, non pro habentibus originale; ad quos flamma solùm spectant ratione *tenebrositatis, non ardoris.* Fletus verò, & stridor dentium ex sex locis D. Matthæi, & unico loco D. Lucæ, ubi de hisce fit mentio, videntur spectare ad solos peccatores adultos. Dum verò Deus ob peccatum originale pueros Cœlo empyreo, Visione beata, & dotibus Gloriæ Cœlestis privat, non exercet actum justitiæ scelera Vindicantis?

62. Hoc responsum ut refutet Recentior, ita prosequitur, pueri sunt Rei ejusdem omninò peccati, quod commisit Adam; ita ut crimen, quod in Adamo fuit actuale, evaserit in Posteris originale. Ergo, sicut Adam punitus fuit pœna sensus, eadem pœna Posteri castigari poterunt. Uti pestis non tantùm illi nocet, in cujus corpore primùm nascitur; verùm etiam aliis, qui eadem peste per contactum inficiuntur. Ita pueros paterni peccati contagione mori dixit Augustinus lib. 6. contra Julian. c. 4. Hinc D. Thomas 1. 2. q. 81. art. 2. ad 1. inquit: *Pœna corporali interdum judicio Divino, vel humano puniuntur pro parentibus, in quantum filius est aliquid Patris secundùm corpus;* Deus enim sustulit è vita filium David, ut Patris adulterium puniret; & tamen puerulus *non erat reus paterni delicti*. Hinc Exod. 20. 5. dicitur Deus visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Quo ergo potiori jure Deus poterit punire sensibili pœna pueros, qui reapse contrahunt maculam primorum parentum?

63. Sed contra, nam tunc pestis tum primum, tum cæteros occidit, quando in omnibus actum suum exerit. Si verò in primo sit actus, in aliis verò solùm sit habitus, tunc primum occidit, non alios. Hinc homines venientes à loco pestilenti, quamvis benè se habeant, ita ut nullum effectum morbi experiantur; nihilominus per quadraginta dies probantur; timent enim habere pestem *in habitu*. Minus ergo pestis in habitu consistens nocet, & magis nocet consistens in actu. Idem dicimus de peccato. Nonne Adam per suum peccatum, quod fuit actus, ideòque maximè, & perfectè voluntarius, longè magis, ac magis sibi nocuit, quàm Posteris, in quibus est solùm habitus, quem generatione contrahunt, quique ipsis est minimè voluntarius, ut ait D. Thomas. Audiamus Sanctum Doctorem 2. dist. 33. q. 2. art. 1. ad 4. ita dicentem. Dolor sensibilis respondet delectationi sensibili, quæ est in conversione actualis peccati; *concupiscentia autem habitualis, quæ est in originali peccato, delectationem non habet, ideò dolor sensibilis non respondet sibi pro pœna*. Hinc in ipsa quæstione dicebat aliquem non puniri quia furari possit; sed solùm, quia furatur. Clariùs loqui-

quitur in q. 5. de Malo art. 4. *Ad illud unum peccatum non omne eodem modo se habent.* Pertinet illud peccatum ad Adam per propriam voluntatem, & est ejus actuale peccatum; & ideò ei pro hujusmodi peccato pœna actualis peccati debebatur. *Sed ad alios pertinet per originem, & non per actualem voluntatem; & ideo aliis pro hujusmodi peccato non debetur pœna sensus.*

64. Cum Recentior sequatur hìc auctoritatem D. Thomæ, dicimus S. D. concedere Filios propter peccatum Patris, homines propter peccatum Adæ, & subditos propter peccatum Regis puniri pœna sensibili hujus Mundi, pœna scilicet brevissima, parvissimaq; negare verò aliquem posse puniri pœna sensibili gravissima, sempiternaque alterius vitæ propter peccatum originale, *quod minimum habet de voluntario; ideòque est minimum inter peccata*; & quod nullam delectationem pueris affert, *nec afferat concupiscentiam actualẽ, sed solum habitualem.* Ceterum quæ paritas inter pęnam mortis inflictam filio David propter adulterium Davidis, & pœnam æternam sensibilem illatam propter peccatum Adæ? illam consecuta est lus æterna illius pueri; hinc pœna illa est conjuncta cum maxima, & ingentissima misericordia, & justitia, *quæ duo*, inquit Seraphicus Doctor 2. dist. 33. art. 3. q. 1. ad 3. *eleganter reperiri debent in omni punitione Dei, & remuneratione.* Sic autem non contingeret in pœna æterna reperiri; *hoc enim parum esset de rigore justitiæ, si animas parvulorum ignis Gehennalis supplicio cruciaret.*

65. Jueninus par. 7. instit. Theol. dissert. 7. q. 5. c. 2. pag. 531. contra nos affert Conc. Florent. in litt. *Sanctæ Unionis* ubi hæc habentur: illorum autem Animas, qui in actuali mortali, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere *pœnis tamen disparibus puniendos.* Quibus verbis, ait Juenin, patet Florentino Concilio persuasum fuisse infantes sine baptismo mortuos detrudendos esse in inferos, & in inferis puniri, & denique pœnas, quas patiuntur, secundùm gradum dispares quidem esse ab iis, *quas adulti reprobi patiuntur*, sed ejusdem esse speciei, cum in eundem locum, in eundem ignem detrudantur.

Prima duo libenter concedimus; notemus tamen Concilium non loqui de infantibus post diem Judicii extremi, quo tempore nonnulli tum Antiqui tum Recentes affirmant pueros terræ superficiem habitaturos, sed loqui de infantibus statim ac moriuntur. Tertium penitus negamus, & Jueninus id nullo modo probat; ubi enim Concilium vel levissimè insinuat eos, qui disparibus pœnis puniuntur, *eadem pœnæ specie puniri, solo gradu diversa*? Adjectivum *Dispar* sive monumenta Ecclesiastica consideremus, sive sæcularia, significare plura specie differentia certum existimo.

Eccle-

Ecclesia in *Sequentia* Missę Corporis Christi ita cum Doctore Angelico disertissimè canit. *Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ, vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide paris sumptionis, quàm sit Dispar exitus.* Cum Malorum exitus sit mors, Bonorum verò sit Vita; & Mors, & Vita plusquam specie differant, & hosce exitus plusquam specie differentes adjectivum *Dispar* significet; fit consequens adjectivum *Dispar* habere vim significandi ea, quæ specie differunt.

66. Sic etiam D. Bernardus serm. secundo de S. Vict. dixit; ò Venerandam etiam ipsis Angelis Sanctitatem, quàm pari studio, *& si dispari voluntate, & Mali fugitant, & frequentant Boni.* Num Mali, & Boni actu ejusdem speciei, sed diversi *gradus*; & fugitant, & frequentant Sancti Victoris Sanctitatem? Cicero lib. 2. de fin. loquitur de *Disparibus coloribus*. Num solùm loqui voluit de minùs, & magis intensa *albedine* V. G. & non de *albedine, & nigredine*? Sic etiam dum lib. de Amic. scripsit. *Dispares mores disparia studia sequuntur*, intelligi voluit solùm de moribus, & studiis ejusdem speciei, & *solo gradu differentibus*?

67. Nunc respondendum cuidam querimoniæ, quàm de Scholasticis quibusdam facit Noris Vindic. August. c. 3. §. 5. Recitaverat auctoritatem D. August. ex tract. 67. in Joan. quæ ita se habet: Proindè respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideò dictum multas esse mansiones, quia extra Regnum Cœlorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt; quia sine illo in Regnum Cœlorum intrare non potuerunt. *Hæc fides non est Fides, quia non est vera, & Catholica Fides.* Recitaverat, inquam, hanc auctoritatem, mox hæc subdit: & tamen videmus plures Scholasticos beatitudinem naturalem perfectissimam citra dolores, & tristitiam parvulis promittere extra Regnum Dei, *quorum sententia minùs tollerari potest*, quàm illam Pelagianorum; quia isti contendebant infantes esse innocentes, & nulla culpa conquinatos; unde non adeò videbatur absurdum quandam eisdem felicitatem præparare; cum tamen scholastici *non ignobiles* asserant cum Ecclesia Catholica pueros esse originali labe infectos, sub potestate Dæmonis, filios iræ, nec postea dubitent eisdem beatam quandam vitam promittere.

68. Si Auctor hæc in nos jactat, qui dicimus pueros revera nullo dolore, nullaque tristitia affici, *imò magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de Divina bonitate, & perfectionibus naturalibus; & quamvis sint separati à Deo quantum ad illam conjunctionem, quæ est per Gloriam; non tamen ab eo pœnibus sunt separati;*

ti; imò sibi conjunguntur per participationem bonorum naturalium; & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione. Dicimus tamen futuros in igne inferni simul cum Dæmonibus, quamvis ab hisce causis nihil sint passuri; quia, cum hæ causæ ibi naturali virtute non agant, sed Divina, hæc vult ipsos punire solùm *mitissima pœna*, ut ait D. Augustinus, & pœna conjuncta cum Misericordia, ut ait D. Bonaventura; ac propterea privātur quidem Visione beatifica in anima,& in corpore quatuor Dotibus, nulla tamen alia pœna afficiuntur. Si Auctor,inquam, in nos jactat, sine dubio parvam modestè loquitur; cum hæc opinio sit D. Thomæ, D. Bonav. & cæterorum Antiquorum, de quibus num. 1. Contra verò ejus opinio est revera multorum; sed solùm tradi cæpit anno 1543. à Joanne Driedone; licèt fatear Ariminensem anno 1350. visum fuisse voluisse eam docere; sed ausus non est deterritus à nostra opinione, quàm cognovit opinionem *Magistrorum* fuisse. Hinc patet opinionem nostram non fuisse vocandam à Noris Opinionem *Scholasticorum non ignobilium*, sed dicendam opinionem *Omnium Principum Theologiæ*, & Theologorum antiquorum, qui à tempore Magistri,hoc est anno 1140. ad annum 1543. hanc quæstionem tractaverunt, unico, ut dixi, excepto Ariminensi, qui quidem contrariam non docuit, sed solùm de ea dubitavit, ut constat ex disp. 4. num. 35.

69. Urget ipse. Si pueri amant Deum ut Auctorem naturæ, Ergo & Deus eosdem amat. Quomodo ergo ira manet super illos, ut dicitur Joan. 3. 36.? Quia secundùm D. Thomam pueri nostri *multum participabunt de bonitate Divina,& perfectionibus naturalibus*. Deus secundùm S. D. ut auctor naturæ nostros pueros amat; quia verò *à Deo sunt separati quantum ad illā conjunctionem, quæ est per Gloriam*, & hinc privantur Visione beatifica, quatuor Dotibus, splendidissimo cœli empyrei loco, societate Beatorum, & in infernum detruduntur; hinc dicimus *iram Dei super illos manere*, & ut Gratiæ auctorem pueris esse iratum, & perquam iratum, dum eos tantis malis onerat.

70. Divus Augustinus lib. 21. de civit. Dei c. 11. notat octo genera pœnarum à Legibus fuisse inventa, id est Damnum, Vincula, Verbera, Talionem, Ignominiam, Exilium, Mortem, Servitutem. Noris vult hæc omnia pati pueros nostros; cum verò Vincula, Ignominia, & Verbera videantur esse pœnæ sensibiles. Ergo pueri pœnam sensus patiuntur. De pœna damni, Exilii, Mortis, & Servitutis constat ex dictis non esse pœnas sensibiles. Sed nec pœna ignominiæ est pœna sensibilis; consistit enim in eo, quod amissa nobilissima, & supernaturali forma Visionis

sionis beatæ, qua constituti fuissent splendidissima Vasa Gloriæ in nobilissimo Cœli empyrei loco collocanda, induunt vilissimam formam naturæ à deformissima peccati originalis forma deturpatam; hinc Vasa quàm vilissima ignominiæ in vilissimo inferni loco ponenda constituuntur. Pœnam carceris patiuntur; quia in inferno clauduntur. Vincula etiam; quia per quodlibet peccatum homo Dæmoni alligatur. Cum pœna Verberum solùm per metaphoram sit in damnatis, & ad metaphoram quælibet similitudo sufficiat; facilè quilibet in pœnis spiritualibus, quas pueri patiuntur, hanc similitudinem inveniet; & hinc dicere poterimus sine pœna sensibili pueros pœnam verberum subire. Adamum pœnæ Talionis obnoxium redditum fuisse per suum peccatum ostendit auctoritas D. Augustini ab ipso Noris allata; non proindè tamen idem dices de posteris. Sicut licèt Adam per quam voluntariè illud peccatum commiserit, & ipsi fuerit peccatum actuale, & actu ad creaturam conversus fuerit; non propterea hæc de pueris dici poterunt; nam peccatum originale non est peccatum actuale, sed habituale; non est per quam voluntarium, sed *minimum habet de voluntario*, inquit Doctor Angelicus. Per ipsum pueri non constituuntur *concupiscentes*, inquit cum Divo Augustino idem Doctor Angelicus, sed solùm redduntur *habiles ad concupiscendum*. Ergo, quia Adam concupivit creaturam, pœnam sensus promerentur? Qui furatur, morte dignus est; qui habilis redditur ad furandum, etiam ipse morte dignus erit? certè Leges humanæ tam severæ non sunt; quæ quidem bonis paternis, ut notat Durandus, filios ob delictum Patris privant; non tamen eos, ut patrem, morte multant.

71. Sed jam Adversarii congerere argumenta incipiunt ad probandum pueros tristitia, & dolore affici ex eo quod visione beatifica, & cæteris ingentibus supernaturalibus bonis per peccatum originale privati sunt. Ea ergo audiamus, videamusque, an sint nova, nec per doctrinam Antiquorum dilui possint; atque ita jure ab opinione Antiquorum Theologorum discedere potuerint. Argumentantur ergo cum D. August. serm. 14. de Verb. Apost. nunc serm. 294. c.6. & lib. 6. contra Julian. c. 10. num. 32. Vel pueri Patriam Cœlestem desiderabunt, vel non desiderabunt. Si desiderabunt; magna tristitia, & dolore afficientur, dum eam consequi non poterunt. Si non desiderabunt; peccabunt, *& pœna erit de perversitate*. Addit hìc Noris: *Quid his* D. *August. reponeret, dum in Scholis audiret pueros non modò non amare, sed ne cognoscere quidem regnum Dei?* Olim quosdam Antiquos docuisse pueros regnum Dei non esse cognoscituros referunt D. Thomas, &

Bonaventura. Ego unicum Durandum id docentem vidi. An hoc in Scholis nunc tradatur, nec affirmare, nec negare possum.

72. Nos fatemur cum D. Thoma Suppl. q. 89. art. 5. ad 3. pueros præsentes futuros judicio extremo. Hoc certum credimus. Subdit S. D. *Non quidem, ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis.* Cum ergo visuri sint gloriam Judicis, videbunt etiam gloriam electorum, & damnationem Reproborum; cum verò habituri sint non solùm oculos apertos, sed etiam aures; ergo audient sententiam Judicis, quam & in Reprobos; & ideò etiam in seipsos; & in electos proferet æquissimus Judex. Ergo audient illa Christi verba. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione Mundi.* Ex eo autem, quod cognoscent se Regno Dei privari, non tristabuntur, quia ut ait D. Thomas 2. dist. 33. q. 2. art. 2. Qui potuerunt per gratiam se preparare ad vitam æternam consequendam, si hoc non præstiterint, maximum dolorem percipient; Quia illud amittunt, quod suum esse potuit; *pueri autem* nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod *vitam æternam haberent.* Nec potest dici, quod fuerunt proportionati ad vitam æternam consequendam non per actionem suam, sed aliorum; quia potuerunt ab aliis baptizari; sicut alii baptizati consecuti sunt beatitudinem æternam. Nam hoc fuit ex gratia; unde defectus talis gratiæ non magis tristitiam parit decedentibus non baptizatis, quàm in sapientibus hoc, quod in eis multæ gratiæ non fiunt, quæ in aliis similibus factæ sunt.

73. Confirmamus. Destinati fuimus tum ad Regnum Dei, tum ad Paradisum terrestrem. Quin Paradisi terrestris possessionem reipsa in Adamo adepti fuimus. Hinc in hac vita verè privati sumus Paradiso terrestri. Quis nostrum, quia per peccatum Adæ nunc est privatus Paradiso terrestri, dolet? Quis tristatur? Ergo etiam pueri dolere, & tristari non debebunt, quia per peccatum Adæ privabuntur Regno Dei. Quod enim Regnum Dei sit longè nobilius, quàm Paradisus terrestris, non facit, ut pueri dolere debeant; sed solùm, ut magis dolere debeant. Nec valet, si dicas pueros posse per alium acquirere Regnum Dei, nos verò non posse adipisci Paradisum terrestrem; nam & si per alium possemus paradisum terrestrem acquirere, non propterea doleremus, & tristaremur, si illum non acquireremus; nam ut ait D. Thomas, nemo sapiens tristatur, si sibi gratia non detur aliis concessa. Præterea nemo nostrum tristatur, quia Adam nobis Paradisum terrestrem perdidit. Ergo nemo ex pueris tristabitur, quia alius ipsis Regnum Dei non acquisierit.

74. Instat Recentior ille; Si filii ob crimen læsæ Majestatis Pa-

tris amittant bona ſibi à Principe donata, nonne toties ingenti triſtitia corripientur, quoties præſentem pauperiem cum amiſſa bonorum affluentia comparabunt? Quod autem aliena culpa in talem ſtatum deciderint, pudorem quidem id minuet, non dolorem; ſed augebit.

Cur Recentior ille non triſtatur quoties præſentem infeliciſſimā pauperiem cum amiſſa ob peccatum Adæ bonorum Paradiſi terreſtris affluentia comparat? Dicimus ergo, ſi bona illa reipſa ſunt donata filiis, ita ut filii in poſſeſſionem illorum miſſi fuerint, ſi illa perdant etiam ob culpam alienam, revera dolebunt, & triſtabuntur; ſecus verò, ſi poſſeſſionem illorum bonorum nondum acquiſierint, ſed acquiſituri fuiſſent. Hinc D. Thomas 2. diſt. 33. q. 2. art. 2. ad 3. ajebat privationem proprii patrimonii profectam etiam à culpa aliena afferre dolorem, & triſtitiam, non verò privationem patrimonii, quod nondum ſuum fuerat, ſed futurum erat, ſi hæc accidat ob culpam alienam, & revera nunc non dolemus de amiſſione Paradiſi terreſtris, qui futurus erat noſter; non aliam ob cauſam, niſi quia ille reipſa noſter non fuit, & illum amiſimus ob culpam alienam. V. num. 72.

75. Sed quid reſpondebimus dilemmati D. Auguſtini allato num. 71.? Dicimus revera opprimere Pelagianos; qui cum negarent peccatum originale, volebant pueros naſci innocentes; ex eo autem, quod eſſent innocentes, contendebat Sanctus Doctor ipſis eſſe debitum Regnum cœlorum, & ad ipſum amandum teneri; hinc in loco citato contra Julianum dicebat: *Si autem amabunt, & tantum amabunt quantum innocentes amare debent regnum eius, à quo ad ipſius imaginem creantur.* Quę etiam negari non poterant Pelagiani ex eo capite, quod docebant naturam habere ſufficientes vires ad facienda omnia opera bona. Ergo illi pueri per Pelagianos poterant, & ideò tenebantur ad amandum Regnum Cælorum. Contra verò de pueris peccato originali infectis, de quibus nos loquimur, D. Auguſtinus non loquebatur, nec allatum argumentum ullam vim habet. Nam hujuſmodi pueri omni gratia privati ſunt; ideòque ſunt impotentes ad objecta ſupernaturalia appetenda, & amanda; hinc D. Thomas 2. diſt. 33. q. 2. art. 2. ad 2. quem ſequitur Richardus de Media Villa, fatetur noſtros pueros per quandam *velleitatem* ex 3. Eth c. 2. poſſe *impoſſibilia* appetere, ideòque etiam beatitudinem ſupernaturalem tali modo; poſtea ſubdit voluntatem tunc triſtari, ſi non aſſequitur id, quod conſequi poterat; non verò, ſi non aſſequitur, quod conſequi non poterat. Hoc probat exemplis de homine deſiderante volare, & de ruſtico deſiderante eſſe Imperatorem. Hac D. Thomæ do-

ctrina respondetur multis auctoritatibus D. Augustini dicentis voluntatem tristari, si non assequitur, quod appetit. Hinc etiam patet, quàm falsò dixerit Jueninus pueros *ingenti*, *& summo desiderio Regni cœlestis teneri.*

76. Ex eo quod Fides Catholica doceat pueros mori peccato originali fœdatos, ait Recentior eos dolorem debere concipere, & tristitiam; magna enim illorum esset iniquitas; si de illo peccato non dolerent, ac suppliciis gravioribus addicendi essent. Si autem status peccati dolorem ingerit, necesse est eos tristari; tristitia enim est dolor de iis, quæ nobis nolentibus accidit; Pueros autem nolle esse in statu peccati certum puto, ait ipse, quod tamen, quamvis nolentibus, æternùm illis adhærebit. Subdit se credere Auctores negantes pueros non tristari in alia vita *ne cogitare quidem de macula peccati.*

Sed si hujusmodi Recentior Antiquos legisset, vidisset eos, & cogitasse de macula peccati, & hoc objectum sibi fecisse, & optime diluisse. D. Thomas art. citato in §. *sed contra* ita scribit pueri aut dolebunt de culpa, aut de pœna. Si de culpa; cum à culpa illa ulteriùs emundari non possint, *dolor ille erit in desperationem inducens*. Sed talis dolor in damnatis est vermis conscientiæ. Ergo pueri vermem conscientiæ habebunt; & sic eorum pœna non esset *mitissima*, ut in Litera (ubi refertur D. August. Enchir. c. 93.) Si autem dolerent de pœna; ergo, cum pœna eorum justè à Deo sit, voluntas eorum Divinæ Justitiæ obviaret; & sic actualiter deformis esset, *quod non conceditur*. D. Bonaventura in §. pariter *sed contra* Scribit. aut dolebunt de culpa, aut de damno. Si de culpa. *Ergo erunt justi*. Si de damno. Cum pœna sit justa, & qui dolet de justo sit injustus, videtur, quod in animabus decedentibus cum originali non tantum culpa originalis sit, sed etiam actualis, *quod videtur impossibile*. Idem dicunt Richard. de Media Villa, Durandus, & Scotus, qui id probat Eccles. c. 11. 3. & contrarium vocant absurdum, & irrationabile.

D. Thom. Supplem. q. 2. art. 2. concedit de peccato originali haberi posse dolorem, non verò contritionem. Ex hoc, & ex dictis num. 75. dicere possumus pueros habituros non dolorem efficacem, sed solùm inefficacem de originali; sicut tali modo Paradisum terrestrem amisisse dolemus. Ex hoc dolore nulla pœna sequitur in nobis. V. num. 73.

77. Tam communiter antiquis Doctoribus insederat credulitas illa, quod pueri, qui in hac vita peccatum actuale nec commiserunt, nec committere potuerunt, in alia vita pariter commissuri non essent peccatum actuale, ut Auctor, & inventor opinionis de

de pœna ſenſibili, Joannes Driedo, auſus non fuerit dicere eos peccaturos, ſed expreſsè fatetur tom. 3. lib. 1. de Grat. & lib. arbitr. c. 2. part. 5. pag. 123. parvulos ſenſibili quadam moleſtia, ſeu afflictione ab igne, & igne torqueri; ſed non tam acerba, quin ſic malint vivere, quàm omninò perire; *neque Deum actu odientes, neque actu peccantes, neque contra ordinem Divinæ Juſtitiæ indignantes, ſed permanentes ſolùm averſi à Deo habituali quadam averſione cæci*. Adultos morientes in peccato mortali actuali eſſe odio habituros Deum &c. nihil mirum eſt; nam in alia vita Pœnitentiæ locus non eſt. Ergo perſeverant in peccato actuali; hinc, ut notat Scotus Eccleſiaſtes c. 11. 3. dicebat in quocunque loco ceciderit; ibi erit. Ergo peccator moriens in ſolo peccato habituali, ut moriuntur parvuli non baptizati, ibi erit, nec ad aliud peccatum committendum pergent. Michael Bajus num. 49. hanc damnatam theſim docuit. *Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando rationis uſum conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet*. Video Adverſarium dicturum hìc non damnari theſim categoricam *Pueri in alia vita peccabunt*; ſed damnari dicentes pueros peccaturos ex vi Voluntatis habitualis. Sed cur dicere non poſſumus etiam damnari theſim illam *categoricam* tanquam temerariam, cum à nullo antè defenſa fuerit?

78. Idem Recentior urget: Pueri, cum ſint peccatores, habent voluntatem difformem Divinæ voluntati: ſunt averſi à Deo, & ad creaturam converſi.

Reſpondemus voluntatem puerorum eſſe difformem per peccatum originale, ut fides docet; peccatum autem originale non eſt actus, ſed habitus. Ergo pueri ſolo habitu, non actu ſunt difformes voluntati Divinæ, ſunt à Deo averſi, & ad creaturam converſi.

79. Jueninus part. 7. inſtit. Theolog. diſſer. 7. q. 5. c. 1. pag. 623. ait ingenti dolore, ſummaque triſtitia pueros affici non ſolùm ob excluſionem à Regno Cœlorum, ſed etiam ob exilium, quo multantur; Ob tenebricoſum carcerem, in quo includuntur; ob ſervitutem Dæmonis, à qua opprimuntur æternùm. Tandem ob concupiſcentiam, quæ infantibus illis in perpetuum dominabitur, tuncque, ut ait Auguſtinus lib. 6. contra Julian. c. 16. num. 50. fin. *non ad delectamentum excitabitur, ſed vertetur in tormentum*.

De excluſione à Regno Cœlorum, à Patria Cœleſti, & de ſervitute Dæmonis, ſupra ſatis diſſeruimus. De carcere, qui tenebricoſus certè erit, hoc dicere poſſumus, vocari revera carcerem, quia ex illo æternùm non

egredientur; cum tamen Infernus non sit locus tam parvus; propterea infelices pueri dolorem, & tristitiam non sentient, quam nos experimur, dum carcere claudimur. Quod verò sit tenebricosus, non ideò dolore, & tristitia eos afficiet; ego enim credo damnatos mutuò se videre, ut ex hac visione eorum tormenta augeantur. Ergo pueri mutuò se, & adultos damnatos videbunt. Videndo adultos damnatos lætari poterunt se in tàm horrenda supplicia non incidisse; videndo seipsos videbunt quidem se esse separatos à conjunctione Dei, quæ est per *Gloriam*; esse tamen *conjunctos Deo per participationem naturalium bonum; & ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione, & dilectione*. Ita D. Thomas toties citatus 2. dist. 33. q. 2. art. 2. ad 5. D. Bonaventura ait pueros puniri privatione Visionis beatæ, & *Luminis*; & supra vidimus secundum Alen. & Albertum Magnum pueros futuros in igne non ratione ardoris, sed *tenebrositatis*.

80. Quod attinet ad Concupiscentiam, sicut, ut dicebam, hæc in præsenti vita nullum in ipsis actum excitavit, nec excitare potuit; ita dicimus futurum in alia vita. Qui enim hìc nec peccavit, nec peccare potuit; ita se habebit in alia vita. Nec D. August. est nobis contrarius, ait enim, *Tunc non in delectamenta excitabitur, sed in tormenta*. Ergo loquitur, de iis, quibus concupiscentia oblectamento fuit; ideòque de adultis, ut notant PP. Benedictini novi D. Augustini editores. Ratio est, quia Apoc. 20. tantum tormentorum impiis infligendum est, quantum in delitiis fuerunt; hi autem impii, ut dicunt antiqui Theologi, sunt adulti, non pueri; quia hi nullam delectationem habuerunt; ideòque nec ullum dolorem habebunt ex D. Thoma.

81. Nunc videndum remanet, an Adversarii ita respondeant probationibus, quas ex ipsis antiquis Theologis nos depromimus, ut per doctrinam eorundem Antiquorum hasce responsiones diluere nequeamus. Prima probatio est Auctoritas Antiquorum, qui ab anno 1140. ad annum 1543. scripserunt. Quantum ponderis hæc probatio sit, patet ex iis, quæ num. 5. expendimus. Huic probationi aliud reponere non possunt nisi se meliùs Patres intellexisse, quàm Theologiæ Principes D. Thomam, D. Bonaventuram, Scotum &c. quod & per seipsum apparet absurdum, & hac disputatione refutatum est.

82. Secunda probatio fit ex c. *majores* de bapt. ubi hæc habentur: Præterea pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis verò pœna peccati est Gehennæ perpetuæ cruciatus; unde si dimitteretur alicui primum altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, *& cruciaretur in Gehenna*

henna perpetuò propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam incompassibilia se se minimè patiuntur, imò sibi mutuò adversantur. Ita sacer codex. Si pœna peccati originalis est etiam pœna cruciatus Gehennæ, certè hic, cui solùm peccatum originale dimittitur, non puniretur cruciatu Gehennæ, quia dimisso peccato originali dimittitur ejus pœna. Et tamen Pontifex expressè fatetur illum puniendum pœna Gehennæ, cui solùm peccatum originale dimittitur. Ergo, si opinio Adversariorum est vera, sequitur argumentum Pontificis esse nullum. Utitur dicta auctoritate D. Thomas in quæst. citata de Malo.

83. Recentior ille cum Glossa non erubuit affirmare hoc argumentum revera esse *superficiale*. Sic loquitur Vir ille, qui si talia aliquando de aliqua ratione D. Augustini nos diceremus, immensos clamores ederet, & strepitus ad Cœlum tolleret, nosque reos de contempta Sancti Doctoris auctoritate traduceret. Num pluris æstimandus est D. Augustinus, quàm Innocentius? Num pluris facienda sunt scripta alicujus Patris, quàm Canones Ecclesiastici? Majore cura usus est D. Augustinus in conficiendis tot Opusculis, quàm Innocentius in brevi Epistola componenda? Nec excusandus est Recentior auctoritate Glossæ; nam etiamsi concederemus auctoritatem Glossæ esse tantam, quantam imaginatus est Fagnanus; in re tamen nostra prorsus nulla est; quoniam, cum sit ipse Theologus, scire debet, Canonistis licere solùm interpretari jus Ecclesiasticum, non verò Divinum ex D. Thoma Quodl. 9. art. 13. cum ergo constitutio Pontificis tractet de jure Divino, & jure Divino valdè difficili; ad Glossam, & Canonistas non attinet de hac materia tractare. Addit Recentior videri Rationem allatam non esse à Pontifice assertam, sed ab aliquo secretario non satis docto additam. Hæc etiam responsio parvam reverentiam Sedi Apostolicæ præsefert, & vult majorem fidem exhibendam esse Exscriptoribus v.g. D. Aug. quàm Secretariis Pontificis. Quis nesciat, quàm grave sit crimen falsare rescripta Principum, & quantò gravius constitutionem Ecclesiasticam?

84. Dices ex Juenino. Privatio visionis Dei non excludit cruciatum Gehennæ. Ergo licèt Pontifex dicat pœnam peccati originalis esse Privationem Visionis Dei, ex hoc non sequitur cruciatum Gehennæ non esse pœnam peccati originalis.

Sed contra; Siquidem nos non argumentamur cruciatum Gehennæ non esse pœnam peccati originalis ex illo capite; quia revera privatio Visionis Dei non est contrarium Cruciatui Gehennæ; sed ex modo argumentandi, quo utitur Pontifex de privatione Visionis Dei, ut expendens illud argumentum ostendo nu. 82.

 85. Di-

85. Dices iterum. Ex eo quod Pontifex dicat cruciatum Gehennæ esse pœnam peccati originalis non sequitur privationem Visionis Dei non esse pœnam peccati actualis; ergo etiamsi Pontifex dicat privationem visionis Dei esse pœnam peccati originalis, non sequitur cruciatū Gehennę non esse pœnam peccati originalis.

Respondeo primùm me non ita argumentari, sed alio modo; ut mox dicebam. Respondeo iterum: Fieri non potest, ut quis æternùm pœna sensus crucietur, & sit beatus; fieri tamen potest ut quis privetur Visione Dei, & tamen non torqueatur æterna pœna sensus; cum hujusmodi pœna proficiscatur ab aliis principiis, & causa, ac ipsa privatio Visionis Dei.

86. Tertia probatio est hujusmodi; quia pœna sensus non est consentanea peccato originali; nam peccatum originale non est commissum per actionem hujusce personæ, sed trahitur per contagionem naturæ habitæ per generationem, ut toties dictum est; *Est suum* inquit D. August lib. 6. contram Julian. c. 10. num. 28. *contagione originis, alienum proprietate actionis*. Pœna autem sensus consistit in passione hujus personæ. Utitur hac ratione D. Thomas tum in loco Sententiarum, tum in quæstione ex disputatis. Ea etiam utitur Durandus in 2. dist. 33. q. 1. Hujusce argumenti fundamentum videtur esse Scriptura Sacra, quæ quoties meminit pœnæ sensibilis alterius vitæ, toties etiam meminit peccatorum actualium. Hoc patet Matt. 25. ubi dicitur: *Ite in ignem æternum esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Patet etiam Apoc. 20. 21. Hic ita scribitur: & vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt; *& alius liber apertus est, qui est vitæ*. Et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris *secundùm opera ipsorum*. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant; & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant. *Et judicatum est de singulis secundùm opera ipsorum*. Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda. *Et qui non inventus est in Libro vitæ, missus est in stagnum ignis.*

87. Notandum est ante thronum Dei & apertos fuisse *Libros*, & apertum fuisse *Librum vitæ*. Præterea mortui, qui scripti erant in illis *Libris* judicati sunt *secundùm opera ipsorum* Sic etiam mortui, quos Mors, & Infernus dederunt, judicati sunt *secundùm opera ipsorum*. Illud etiam est notandum infernum, & mortem missos fuisse *in stagnum ignis*, & hoc stagnum dicitur *Mors secunda*. Ecce judicati *secundùm opera ipsorum* mittuntur in stagnum ignis, quod est *mors secunda*. Qui sunt autem, qui judicantur *secundùm opera ipsorum*, nisi Adulti? Ergo peccatores habentes

pecca-

peccata actualia mittuntur in stagnum ignis, quod est *mors secunda*. Sed maximè notandum est missos etiam fuisse *in stagnum ignis* eos, *qui inventi non sunt in Libro vitæ*. Notandæ sunt differentiæ, quæ intersunt inter primos, & secundos, qui in stagnum ignis projecti sunt; Primi enim judicantur, & judicantur secundùm *Opera ipsorum*. Mittuntur in stagnum, & mittuntur in stagnum, quod est mors *mors secunda*. Secundi non judicantur *secundùm opera ipsorum*; sed ex eo solùm, quod non sunt scripti *in Libro vitæ*, mittuntur in *stagnum ignis*, hoc verò stagnum non dicitur *mors secunda*, sed solùm vocatur *stagnum ignis*.

Qui sunt hi, qui judicantur secundùm eorum actiones, sed solùm *non sunt scripti in Libro Vitæ*? Certè est gravissima, & quàm maxima differentia inter mitti in stagnum ignis propter judicium, & judicium *secundùm opera ipsorum*, ac mitti in stagnum ignis propter merum, & solum non scribi in libro Vitæ. Hæc gravissima, & quàm maxima differentia non est solùm *secundùm gradus*, ut loquar cum Theologis; sed est differentia plus quam *generica*. Mitti in stagnum ignis propter opera magis, & minùs prava est differentia *secundùm gradus*. Si ergo causæ mittendi in stagnum ignis sunt genere diversæ, pœnæ Missorum erunt genere diversæ. Sicut causæ mittendi illos in stagnum ignis sunt *judicium*, & *ipsorum opera*, quæ omnia sunt quid *positivum*. Ita par est, ut eorum pœna sit quid *positivum*. Causa verò hos mittendi in stagnum ignis est merum, & solum *non inveniri in Libro Vitæ*. Ergo ejus pœna debet esse quid negativum. Hæc diversitas pœnarum colligitur etiam ex verbis Sacræ Scripturæ significantibus pœnas eorum, qui in stagnum ignis mittuntur. Primi mittuntur in stagnum ignis. *Hæc est mors secunda*. Per mortem secundam communiter pœnam sensus intelligunt, Dolorem, tristitiamque; secundi mittuntur *in stagnum ignis*, nec subditur, *Hæc est mors secunda*. Ergo secundi mittendi sunt *in stagnum ignis*; sicut autem Scriptura Sacra non vocat hoc stagnum *mortem secundam*; ita nec nos debemus dicere eos, qui mittuntur in stagnum propterea quod non sunt inventi *in libro vitæ*, mortem secundam subire, id est, pœnam sensus, *dolorem* nimirum, tristitiamque. Erunt ergo in igne ratione *tenebrositatis*, *non ardoris*, ut ajunt Alen. & Albertus. Erunt in igne prout importat privationem Visionis Dei, non prout habet vim urendi; ut docent communiter antiqui Theologiæ Principes. Hosce denique secundos missos in stagnum ignis solùm ex eo quod *non sunt inventi in Libro Vitæ* esse pueros morientes sine baptismo, nemo, ut opinor, inficiabitur. Notandum me hìc contraria non doce-

re

re iis, quæ num. 39. habeo; ibi enim solùm affirmo pueros subire quidem mortem secundam, prout mors secunda suam essentiam, & Esse præcipuum implicat, quodque in privatione Visionis Dei consistit; hìc verò solùm nego pueros subire mortem secundam, prout mors secunda pœnam sensus importat; pœnam autem sensus ibi ostendo esse qualitatem, proprietatem, & complementum mortis secundæ, non ejus essentiam.

88. Hanc explicationem colligo ex ipsa Apoc. 21. 8. ubi hæc habentur: Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti, & sulphure, quod est mors secunda. Cornelius à Lapide illud verbum *Pars* accipit pro *Sorte;* Verbum verò *incredulis* accipit pro illis, qui fidem firmam, & fortem non habent Divinis promissionibus. Ecce, qui sunt *in stagno ardenti, & sulphure, quod est mors secunda*, sunt timidi, increduli, execrati, homicidæ, fornicatores, venefici, idololatræ, & Mendaces. Certè hi omnes sunt impii habentes peccata actualia: ergo in hoc loco Scriptura Sacra mortem secundam, id est, pœnam sensibilem dat peccatoribus adultis. Quod si velimus illud verbum *Pars* significare non omnes alicujus numeri, sed tantùm aliquos, quo significato frequentiùs uti solemus Verbo, *Pars;* tunc nostrum argumentum est potentiùs; si enim pars illorum peccatorum mortem secundam subibit, id est pœnam sensibilem; pars verò non subibit; jam homicidæ fornicatores &c. tali pœna punientur; increduli verò, id est, qui non crediderunt, ut sunt infantes secundùm Divum Augustinum, tali pœna non castigabuntur.

89. Quarta probatio depromitur ex eo, quod nemo videtur puniendus pœna sensibili ob id, propter quod nec reprehendi, nec vituperari potest; propter peccatum autem originale nemo vituperari potest; ergo nec puniri pœna sensus. Prima propositio patet, quia pœnæ sensibiles vim quandam increpationis habent; secunda verò constat ex Arist. 3. Eth. c. 1. ubi ait nullum esse vituperatione dignum, nisi faciat ea, quę ita facit, ut facere non possit. Quis increpat cæcum à nativitate? increpat verò cæcum ex ebrietate.

Respondent Pelagianos doctrina Aristotelis conatos fuisse peccatum originale de medio tollere; hinc August. lib. 6. contra Julian. c. 66. dicebat: Ad hoc redacta est hæresis vestra, ut gemant Sectatores vestri *non inveniri Dialecticos judices in Ecclesia de Scholis Peripateticorum, ac Stoicorum, à quibus possitis absolvi*. Hinc subdit Noris, si principia Aristotelis consideranda essent, pecca-

tum

tum originale negandum esset; si enim per Aristotelem homo nascitur tanquam tabula rasa; jam maculam originalis peccati non habet; cum generatio opus naturæ sit, non voluntatis, cujus est posse peccare. Subdit argumentum dissolutum fuisse à D. August. de corrept. & Grat. c. 6. dicente: *An verò ideò pravitas ista corripienda non est; quia non ejus propria, qui corripitur, sed communis est omnibus?* Imò verò corripiatur & in singulis, quod est omnium.... *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.*

90. Sed revera verissimum est pronunciatum illud Philosophi, neminem esse corripiendum de eo, quod spontè non facit. Quis, ut dicebam, cæcum à nativitate corripit? Nec detrahendum est Philosopho; quia Pelagiani ejus auctoritate suam hæresim tueri conabantur; sicut nec Scripturæ Sacræ detrahendum est, quia Pelagiani, & alii Hæretici, præsertim nostri temporis, Sacra Scriptura ad confirmandas suas hæreses utantur, seu potiùs abutantur. Nec per illam doctrinam Aristotelis peccatum originale exploditur; cum ibi Philosophus de esse physico loquatur, dicatque in mente humana nihil esse depictum, id est, nullam habere speciem, nullam cognitionem. Quo quid veriùs? Hæc verò evidentissima veritas nullo modo repugnat veritati fidei de peccato originali.

91. Nec argumentum nostrū dissolutum est ab Augustino. Hinc iterum dicimus nos non esse corripiendos de eo, quod inviti recipimus; sed solùm de eo, quod à nostra voluntate dependet. Corripiendus est noster Sanctus Andreas Avellinus, qui amore Amici ductus *mendaciolum officiosum* protulit. At hoc tam leve peccatum tam severè, tamque acerbè castigavit, corripuitque; ut quinquaginta annorum spatio severissimam pœnitentiam subjerit. At corripiendus non fuit, quòd peccatum originale contraxerit, ob quod nec se unquam vel levissimè castigasse legitur. Si finis correptionis est correctio, & emendatio, ut docere videtur August. Epist. 153. alias 54. num. 2. dum ait *Veniabiliora peccata videri, cum is, qui reus est, correctionem promittit*; sequitur manifestè hominem ob peccatum originale corripiendum non esse; cum correctionem de eo promittere nequeat, quod committere nequit. Ergo duo in peccato originali consideranda sunt. Contrahere ipsum, & illud retinere. Primum est nobis necessarium, secundum est voluntarium. Ergo corripiendi sumus, si illud retinemus, non quia illud contraximus. Hinc optimè D. August. dixit esse corripiendum peccatum originale, ut ex dolore correptionis *voluntas regenerationis oriatur*. Id est, ut baptismum velimus suscipere,

pere, quo ipsum peccatũ destruatur. Ergo per D. Augustinum non est corripiendum peccatum originale secundùm quod est nobis necessarium, & est ipsum contrahere; sed secundùm quod est nobis voluntarium, & est ipsum retinere. Sed pœnæ sensibiles, ut dicebam, habent quandã increpationis vim. Ergo nemo est puniendus pœna sensibili, quia peccatum originale contraxerit; utique verò, si illud spontè retinuerit. Sed infelicissimi nostri pueri peccatum quidem originale necessariò contraxere, sed illud nunquam voluntariè retinuere; ergo pueri nostri pœna sensibili puniendi non sunt.

92. D. Thomas q. 4. de Malo art. 1. ad 4. allatam objectionem ita diluit. *Ei, quod est per originem contractum*, non debetur pœna, & increpatio, si referatur ad personam; *quia sic non habet rationem voluntarii;* sed si referatur ad naturam, *Sic habet rationem voluntarii, ut dictum est; & hoc modo debetur pæna, & increpatio*. Addo ego: Pœnam sensibilem percipimus per passionem hujusce Personæ, ut per se patet, & docet D. Thomas 2. dist. 33. q. 2. art. 1. non verò per generationem naturæ; Ergo, si huic personæ propter peccatum originale secundùm D. Thomam non debetur pœna, & increpatio; huic personæ ob peccatum originale non debetur pœna sensibilis.

93. Instat Recentior: Dicere peccatum originale non esse vituperatione dignum est ipsissima Juliani objectio ex D. August. lib. 5. Oper. imperf. c. 52. Hìc hæreticus ait: Hujus vituperatio ad necessaria non recurrit; quia, quicquid ad necessarium pervenerit, *ipsum pulsat auctorem*. Respondet D. Augustinus. Numquid hoc malum hominis, ubi dicit, quod nolo malum, hoc ago, *ipsum hominis pulsat auctorem?* Et tamen eum, qui sic agit malum, satis apparet ad necessarium pervenisse; *necessitate quippè agit, quod non agit voluntate*.

Respondemus, & iterum dicimus ob ea, quæ necessariò in nobis sunt, nos non esse vituperatione dignos, sed misericordia; hinc D. Thomas 3. par. q. 1. art. 4. affirmat Christum venisse in mundum, ut à peccato originali, & actualibus genus humanum redimeret, sed *principaliùs à peccato originali;* hinc plurimi Theologi docent, si fuissent peccata actualia, non originale, Christum in Mundum non venturũ. Hinc, quia peccatum originale in nobis nascitur necessariò; ideò propter hoc non sumus vituperatione digni, ut supra ostendi; sed misericordia. Hoc porrò peccatum nobis necessarium *ejusdem peccati auctorem rectissimè pulsat.* Hinc quia, non Deus fuit causa hujus peccati, sed solus Adam; ideo non Deus, sed solus Adam justissimè vituperatione dignus est. Sic etiam illud Malum, quod nolens D. Paulus agebat, non

Deum,

Deum, sed Adamum tanquam auctorem pulsabat. Hìc verò notanda est Thesis damnata Baii num. 50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto *Non concupisces*. Similia docet num. 74. 75. Hoc ergo Malum, quod nolens Rom. 7. 19. D. Paulus agebat, non erat verè, & propriè peccatum. Erat ergo Malum, quia à peccato oriebatur, & ad peccatum inclinabat. Hoc malum erant motus concupiscentiæ, quos idem Apostolus 2.Cor. 12.7. orabat à se auferri, quod tamen Deus eidem concedere noluit. Hos ipsos motus concupiscentiæ D. August. de Nupt. & concupisc.c.23. ait vocari peccatum, *quia à peccato sunt, & si vicerint, peccatum faciunt*. Idem docet D. Thom. q. 4. de Malo art. 2. quod tandem tanquam fidei veritatem definit Concilium Tridentinum sess. 5. Can. 5. Hoc ergo malum, hi concupiscentię motus profecto suum pulsant auctorem, Adamum nimirum, qui suo peccato,& se, & suos justitia originali privavit, per quam motus concupiscentiæ coercebantur, & rationi subdebantur, ut cum D. Thoma non semel notavimus. Notandum verò est D. Augustinum solùm negasse illud malum, quod invitus D. Paulus agebat, pulsare *auctorem hominis*. hominis auctorem dixit, id est Deum; non Mali hujusce, id est Adamum.

94. Urget idem Recentior: D. August. lib. 1. Oper. imperf.c. 47. ait tria esse distinguenda, quorum tertium erat *aliquod esse peccatum, & pœnam peccati*. & ad hoc tertium pertinere tum peccatum originale, tum cęcitatem cordis, tum illud *Quod nolo malum, hoc ago*. Quod verò hoc tertium genus peccati sit arguendum docet, inquit Recentior, D. August. his verbis: Tertium verò genus, ubi peccatum ipsum est, & pœna peccati, potest intelligi in eo, qui dicit. *Quod nolo malum, hoc ago*. Ad hoc pertinent etiam omnia, quę per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala;vel etiam putantur bona; cęcitas enim cordis,si peccatum non esset, injustè argueretur, arguitur autem justè, ubi dicitur Pharisæe cęce, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis.

Respondemus, & concedimus originale, peccatum, & cæcitatem cordis ad hoc tertium genus pertinere; concedimus cęcitatem cordis pharisaici esse propriè, & verè peccatum, & verè esse arguendam; si enim illam Christus tam asperè redarguit, quis negabit esse redarguendam? Hinc jure D. Augustinus dixit hanc cordis cęcitatem justè redargui. At non dixit alia, quæ ad hoc tertium genus spectant, hoc est, originale peccatum, & *quod nolo malum, hoc ago*; non dixit, inquam, esse arguenda. Nec potest argumentari ex cæcitate cordis pharisaici ad hæc alia duo.

Num

Num aliqua paritas reperiri potest inter impiissimorum Pharisæorum corda pravissima, ac Sanctissimi Pauli Apostoli cor purissimum? Arguitur cæcitas cordis pharisaici, quæ erat peccatum gravissimum actuale; ac proindè erat actio libera, quam propterea Pharisæi omittere poterant; ergo arguentur etiam motus illi concupiscentiæ quos invitus patiebatur Apostolus, ad quos repellendos tam enixè à Deo opem postulavit, & non obtinuit, quique motus nullum erant peccatum? Addo nec esse arguendam cordis cæcitatem contractam ob peccatum originale, & ob quam Patres aliquando, & non tam rarò Theologi inter se diffident in rebus sacris; hinc aliqui decipiuntur. Nam *hæc deceptio*, ait D. Bonav. 2. dist. 15. expos. litt. dub. 3. *potiùs est pœna, quàm culpa, à qua vix aliquis tractatorum Catholicus immunis fuit*. Hìc obiter noto me vehementer suspicari ob allatam D. Augustini auctoritatem malè intellectam motũ fuisse Bajum ad docendas 39. 66. 67. Jansenium tertiam, Jansenii que asseclas primã thesim ex damnatis ab Alex. VIII. in quibus omnibus intendebant docere ad peccandum sufficere libertatem, quæ cum necessitate componi possit. De quo videndus est Pater Vivas in primam thesim damnatam ab Alex. VIII. ubi satis ostendit, quàm meritò proscriptus fuerit hujusmodi error.

95. Quinta probatio ita conflatur: Durum videtur, nec divinæ Bonitati consentaneum, ut pueri, qui aliena voluntate pecpeccaverunt, pœna æterna sensus torqueantur. Quis crudelem illum Principem non vocet, qui decerneret esse occidendos filios ob delictum Patris? Revera, ut notat Durandus, si Pater pro culpa sua cruciatur, mutilatur, vel *fustigatur*, nil horum pati debet filius adultus, vel parvulus. Ergo, si ob culpam suam mortem secundam, id est, pœnam sensibilem, subire debebat Adamus, eadem hac pœna ejus filii puniendi non erant.

96. Respondet Recentior. Si ratiocinationes humanas sequi liceret, pravum desiderium, quod brevissimo tempore durat, nullamque delectationem affert, æterna pœna non esset puniendum.

Hujusce objectî meminit D. Bonav. ut refero num. 3. Ratiocinatio humana non computat pœnam peccati ex tempore, quo peccatum durat, ut docet D. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 3. ad 1. aliter homicidium, quod parum durat, sicut & cætera gravissima delicta longa triremium pœna, & mortis supplicio castigare non possent Leges humanæ. Capita, quibus peccatum mortale, etsi breviter durans, sit puniendum, videnda sunt apud D. Thomam ibidem; cur verò sit puniendum pœna sensus, videndus idem S. D. q. 5. de Malo art. 2.

97. No-

97. Noris in Vindic. August. cap. 3. §. 5. pag. 39. affert D. August. lib. 5. oper. imperf. cap. 3. tanquam respondentem allato argumento. *Si autem*, ait S. D. *Crudele esse arbitramini damnari parvulos*, quos originale peccatum trahere non putatis; crudele vobis videatur non rapi ex hac vita parvulos secundùm vos nullum habentes peccatum omninò, quos Deus utique novit in multis, magnisque peccatis sine ulla in melius mutatione morituros; nam secundùm ratiocinationes humanas crudelius videtur liberare cum possit nullis inquinatum parvis, magnisque peccatis, quàm damnare progeniem peccatoris. Portò cum illud justum esse qua potestis voce clamatis, & hoc esse injustum, qua fronte contenditis?

Quorsum hæc? Nos non dicimus crudele esse pueros ob peccatum originale damnari. Hoc fide credimus. Damnari dicimus ad privationem bonorum, quæ Deus Adæ, & nobis tam munificè promiserat. Sic crudele non est ob delictum Patris filios privari bonis, quæ Princeps Patri fideli, & ejus filiis spoponderat. Crudele dicimus pueros damnari ad pœnas sensus ob peccatum originale; sicut crudele esset, si Princeps ob delictum patris, sicut cruciat, mutilat, & Patrem fuste cædit; cruciaret, mutilaret, & fuste filios cæderet.

98. Bellarminus tom. 4. controv. 2. lib. 6. cap. 4. inter plures rationes tertio loco hanc affert: Quia hominibus baptizandis, etiam adultis, nulla satisfactio pœnalis imponitur, nec jubentur propter illud peccatum ullam animi tristitiam, doloremque concipere; ergo credibile est nullam pœnam sensibilem in sæculo futuro ipsi respondere.

Dices ex illo Recentiore: Catechumenus docendus est se ab ortu in peccato esse, inimicum Deo, sub Dæmonis potestate, quæ audiens statim dolore corripitur. Audiatur sanctus August. lib. 1. de pecc. merit. cap. 19. Dicet aliquis: Quomodo ergo & ipsi (pueri) vocantur in pœnitentiam, numquid tantillus potest aliquid pœnitere? Huic respondetur; si propterea pœnitentes dicendi non sunt; quia sensum pœnitendi non habent; nec fideles dicendi sunt; quia similiter sensum credendi non habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem *per verba Gestantium* quodammodo profitentur. Cur non priùs etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem verba gestantium Diabolo, & huic sæculo renuntiare monstrantur? Subdit Recentior. Igitur si pœnitentiam pueris de facto S. Doctor asserit; adulti ad baptismum accedentes eandem non habebunt? Tunc ergo dolet ipsos peccati originalis, quando ex Augustino renunciare se Diabolo dicunt.

99. Sed contra. Certè fides, & pœnitentia habita *per corda, & ora Gestantium* non sunt necessaria ad salutem pueri, ut ostendi disp.4. num.29. & 56. hinc illa professio fidei in necessitate relinquitur, sicut & protestatio renunciandi diabolo. Revera auctoritas illa Mar. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. de adultis explicanda est, non de pueris; ut expresse definitur in c. *majores* de bapt. §. *Cæterum ex vi*; dicuntur autem pueri *Fideles*, quia suscipiunt baptisma, quod Fidei Sacramentum dicitur à Trid. sess.6. cap.7. quodque in ipsis habitum Fidei, Spei, & Charitatis producit, ut definitur Clemen. *Fideli* de sum. Trinit. & fid. Cathol. & Trident. ibidem, & antea docuerant Theologi cum D. Th. d. par. q.69. art.6. ubi notat ex D. August epist.98. 10. alias 23. Baptisma dici Sacramentum fidei, *quod causat habitum fidei*, quodque *parvulum fidelem facit*. Quod attinet ad adultum, revera *admonendus est, ut peccatorum suorum pæniteat*, ut expresse dicitur à Rituali Romano, & traditum fuerat à Tridentino sess.6.cap. 6. At his locis non dicitur pœnitentiam hujusmodi esse necessariam ad remissionem peccati originalis. Vasq. 3 par. disp.158. cap.1. *Secundùm omnes* docet nullum actum doloris, seu pœnitentiæ esse necessarium. Ita etiam Suar. 3.par. q. 69. disp.28. cap.1. concl.2. Filliuc. tract.2. de bapt. cap. 5. q.7. Bonac. de bapt. disp. 2. q. 2. punct.6. num.27. dicitque esse communem opinionem, & affert Nugn. & Henriq. Ita etiam Castrop. tract. 19. punct.7. n.4. Quid sentiat D. Thomas, dixi num.76.

Ex his constat nullum Auctorem docere ad remittendum peccatum originale necessarium esse dolorem de ipso. Insuper certum est non esse necessariũ, ut aliqua satisfactio imponatur pro eodem peccato; sicut nec est necessariũ, ut baptizandus habeat voluntatem fortiter ferendi miserias hujus mundi pro eodem peccato; cum ipsum suscipere baptismum implicet perfectam ejusdem peccati remissionem, *ita ut nihil prorsus eos remoretur ab ingressu cœli*, ut expresse definit Trident. sess.5. can. 5. Si ergo nec animi dolor, nec satisfactio pœnalis sunt necessaria ad remissionem peccati originalis; credibile est, ut argumentabatur Bellarminus, nullam pœnam sensibilem in sæculo futuro ipsi respondere.

Aliqui Recentiores citant D. Greg. Nazian. orat. in Sanctũ Lavacrũ, ubi secundùm versionem Nicetæ ait in alia vita ex hominibus alios cœlestis regni voluptates sentire; alios æternis suppliciis cruciari; alios esse *Medios*, qui nec cœlestis regni voluptates sentiunt, nec pœnis ullis torquentur, *in quo & pueruli, qui baptismo perfusi non sunt ...constituentur*. Videtur clarius S. D. loqui non posse.

F I N I S.

DI-

DIFESA
DEL PADRE DON GABRIELLO GUALDO.
AL SIG. GRISOFANO CARDIECLETTI.
OPERETTA
DI ANGELO CUPEZOLI.

Esce in questo punto alla luce un'Opuscolo con tale titolo. *Giunta al primo tomo del Giornale de' Letterati d' Italia di Grisofano Cardiecletti stesa dal medesimo in una Pistola Sofaleteloica, &c. nel* 1712. Per quella parola, *Giunta*, credeva, che l'Opuscolo aggiungesse qualche Autore non riferito nel primo tomo dal Giornale, o pure accrescesse la relazione degli Autori allegati dallo stesso Giornale in quel tomo. Così mi credeva; perche per verità la parola, *Giunta*, appò al Vocabolario significa *accrescimento fatto a qualche cosa*; ma aperto il libro, e lettolo, vedo, che l'Autore in quello impugna i Giornalisti; ma molto più gli Autori riferiti, e lodati da Giornalisti. Quindi, se non erro, dovea il libretto intitolarsi, *Correzzione del Giornale*.

2. Ma chiamisi dal Signor Grisofano il suo Opuscolo, come vuol' egli; io non mi son mai presa briga de' nomi; nè mai sono stato della setta de Nominali. Delle cose ho sempre fatto stima, e di esse ho proccurato acquistarne la cognizione. Dunque di ciò, che scrive il medesimo Autore, quì prendo l'impresa di discorrere; ma nè meno d'ogni cosa, di cui egli parla, voglio trattare. Tratterò solo di quanto scrive contro del Padre D. Gabriello Gualdo, e ne prenderò brieve difesa, come di mio conoscente, & Amico; e benchè, come Probabilista, potrei forse servirmi di qualche puntura per corrispondere all'ingiurie gravissime, e strapazzi disonestissimi, che spessissimo il Cardiecletti, tuttoche Probabiliorista, scaglia contro del Padre Gualdo; però io voglio rispondere con ogni civiltà, con onore, e con Carità Cristiana, come hanno fatto i Santi Padri, e Dottori antichi, quando hanno risposto a personaggi Cattolici.

3. Eccomi a capo. Al foglio 12. dice il Signor Grisofano, che il Padre Gualdo viene *sopra modo lodato da Giornalisti come favoreggiatore della Probabiltà, della libertà. Vien' egli sul principio*

tipio Canonizato per Santo , intento a provvedere alla Salute eterna di tanti . Viene stimato nel fine dell' Epilogo Teologo di buon gusto , e che studia sollevarsi dall'essere di semplice , e mero Scolastico . Vien commendato il suo libro , il cui titolo si è : Tractatus Probabilitatis ex principiis Antiquorum Compositus .

4. Si vede , Signor mio , che voi non avete letto il Giornale ; o se l'avete letto , l'avete fatto senza una minima riflessione . I Giornalisti dicono solamente , che il Padre Gualdo è l'Autore del libro , il cui titolo si è *Tractatus Probabilitatis* , *&c.* E le lodi , che gli danno , sono per il solo Opuscolo *de Baptismo puerorum in utero* , e di questo solo ne riferiscono compendiosamente la Dottrina . Con qual dunque specie di verità dite , che i Giornalisti sopra modo lodino il Padre Gualdo *come favoreggiatore della Probabilità , della libertà* ? Affermano solo , che il Padre è l'Autore del libro , il cui titolo si è *Tractatus Probabilitatis* , *&c.* Come si poteva narrar tal fatto senza dargli una minima lode , e non raccontarlo in quel modo , che hanno fatto i Giornalisti ?

5. Ma il Signor Cardiecletti non si può dar'ad intendere questo fatto . Non può persuadersi , che il Trattato della Probabilità sii stato dato alla luce dal Padre Gualdo , *Padre di Congregazione sì costumata , e sì Santa , Chent'* (parola Boccaciana antiquata) *è quella de Chierici Regolari , e poi in una Repubblica , ove risplende al Sommo la pietà Cristiana , e luogo non hanno le vituperose gherminelle de Frati* . A che servono le congietture , quando abbiamo testimoni presenti al fatto ? I Giornalisti non sono vicinissimi al luogo , ove si è stampato il libro ? Di più , il Padre Gualdo medesimo nelle prime parole del suo Opuscolo *de Baptismo* non si dichiara l'Autore del detto Trattato ? Cosa potete replicare ? Avete impugnato quell'Opusculo , e non avete letto nè meno le prime parole ? Cosa meritareste per quella Contumelia gravissima contro Regolari espressa in quelle parole . *E luogo non hanno le vituperose gherminelle de Frati* ?

6. Per altro vi spiace forse , che il Padre Gualdo abbi avuto per fine delle sue fatiche la salute dell'Anime ? E forse fine cattivo , e non fine d'un'Eroica Carità ? Ma non vorrei , che ingannaste i leggitori del vostro Opuscolo . I Giornalisti attribuiscono con verità quel fine al Padre Gualdo per l'Opuscolo del Battesimo , e pare , che Voi diciate aver lui avuto tal fine anche a riguardo del Trattato della Probabilità . Scrivete chiaro . Dunque il Gualdo secondo la relazione , e secondo la verità , nel comporre l'Opera del Battesimo si è prefisso per fine quel nobilissimo di salvare tanti meschinelli bambini , quali si lasciavano irreparabilmen-

te

te dannarsi da Teologi per un fondamento, ò evidentemente falso, ò che non isciogliéva adeguatamente la materia. Dicevano i Teologi antichi non potersi battezzare i bambini nell' Utero, *perchè non potevano bagnarsi; perchè non soggiacevano alle operazioni umane; perchè non erano noti alla Chiesa*. Ora il Gualdo studiando i Medici, e Chirurgi, e conoscendo chiaramente, che que' bambini si potevano bagnare, si potevano toccare, si potevano voltare; e così erano noti agli huomini, & alla Chiesa; perche non dovea cavar' una conseguenza contraria, e sostenere, che si potevano battezzare, & il tutto palesare al Mondo, & insegnargli verità tanto necessaria alla salute di tanti bambinelli? Perchè la miglior parte de Filosofi, e molti Santi hanno negati gli Antipodi, per questo il gran Colombo, ch' era stato colà, e gli avea veduti, non dovea pubblicar' al nostro Mondo quel Mondo novello?

7. Se poi a Voi non piace quella lode data al Padre Gualdo da Giornalisti, che sii *Teologo di buon gusto*, &c. Come forse esorbitante; egli vi dice, che, siccome è obbligato à quelli, perche tanto l'onorano, così vi lascia la libertà, che l' onoriate, come vi piace. Vi raccorda solo quel detto: Che l'Onore è più dell' Onorante, che dell' Onorato.

8. Il Padre vi priega ancora a non chiamarlo *Sant'uomo*, perche si conosce lontanissimo da meritar' una lode sì grande; e si contentarebbe, che non lo caricaste di sì orribili strapazzi, come fate alla pag. 13. Tralascio di riferirgli per non iscandalezare i miei leggitori. Sappiate però, che Egli il tutto di cuore vi perdona, e vuole, che scriviate argomentando, non scagliando ingiurie, contumelie, &c. perche *ad rem non pertinent*.

9. Ma non vi puole perdonare ciò, che soggiungete dicendo, che Egli abbi confessato d'aver battezzato un bambino nell'Utero. Leggete l' Opuscolo al num. 48. pag. 18. Ivi racconta, che mentre assisteva ad una Donna gravida *Animam agenti, quia parere nequibat*, e l'esortava à raccomandarsi à Dio, e rimettersi al suo Santo volere, la levatrice gridò, che il bambino tentava l'uscita; ma per l'angustia dell'Orificio non poterne venir' à capo. Commise all'ora il Padre alla Donna, che bagnata un poco di tela nell'acqua battezzasse la Creatura, ma sotto condizione, il che dalla Donna fù felicemente eseguito. Ecco il Padre solo dispone la moribonda al passaggio dell'altra vita, e la levatrice battezza il bambino nell'Utero. Perche dunque con somma calunnia dite aver il Padre Gualdo Confessato d'aver battezzato un bambino nell'Utero? Tra tanto ditemi in cortesia. Secondo il

 Rituale

Rituale Romano si può battezzare il bambino nell'Utero, se però apparisca la testa? Cosa di grazia fareste Voi, se vi trovaste presente à tal caso? Forse per un'immaginaria onestà ommettereste di battezzare quel meschinello lasciando in tal guisa eternamente perire quell'infelice, che potreste fare Cittadino del Cielo?

10. Dite il vero. Il Padre Gualdo non si è mai curato di perder'il tempo nell'investigare il flusso, e riflusso del l'Aria, il flusso, e riflusso del sangue, & il movimento de'fluidi. Questo studio è stimato poco da lui, perche niente giova alla salute dell'Anime. Ha bene si con istudio indefesso letto i più celebri Medici tanto antichi, quanto moderni; come ho detto di sopra, per sapere, se il bambino nell'Utero potesse bagnarsi; e se così avessero fatto i buoni antichi Teologi, averebbero parlato meglio in tal materia; & in tanto ha voluto sapere questa fisica verità per decidere rettamente la quistione morale, se i bambini nell'utero siino capaci del Battesimo. Questo è stato il fine unico del Padre Gualdo in tal materia, ne in ciò vi è sozzura alcuna, e solo nella vostra immaginazione, e dicacità può ritrovarsi.

11. Ora, giacche à Voi così piace, passiamo al Trattato *Celebre*, secondo Voi, della Probabilità, che chiamate con più bel vocabolo, *Probabiltà*; Dite, e Dite il vero, che il Gualdo al cap. 1. biasima que' tali, che nelle loro dissertazioni procedono con ingiurie, e calunnie; e dovevate soggiungere con esso tali Autori essere solo i Probabilioristi, non per verità tutti, ma molti, quali, poiche non possono con sodi argomenti impugnare la Probabilità e Probabilisti, si sforzano con improperi contro ogni Civiltà, e Carità, e contro l'espresso diviero d'Innocenzo Undecimo, di vituperargli. Voi come Probabiliorista perfetto avete voluto immitar quì le pedate di que'tali, anzi di gran lunga gli avete superati. Dite, che il Padre Gualdo *nel suo libro per tutto altro non fa, che pigliarlasi co' Santi Padri perseguitandogli con vari gavilli, ed infamandogli come Predicatori della sua libertà*. Signor mio, qual legge v'insegna di caricar' un Religioso di tanta iniquità senza una minima pruova? Forse il vostro testimonio, ciò è, d'un Avversario dichiarato, sarà bastevole, e convincente? Consigliatevi col vostro Illustrissimo Avvocato de Avitabile, che vi dirà esser cotesto vostro procedere contro ogni dovere.

12. Vi perdona ancora, che diciate il di lui libro essere poco Cattolico. Vi perdona, che lo compariate con gli errori del Petrucci, e quello, ch'è peggio, del Molinos. Vi sfida però, che ritroviate in esso una sola proposizione, che sii poco Cattolica.

13. Non

13. Non sa cosa dire de vostri abbagli, che prendete nell'asserire, che egli al cap. 1. pag. 5. al cap. 36. pag. 472. difenda quella proposizione da Alessandro VII. al nu. 27. condannata: *si liber sit alicujus Junioris &c.* Di grazia leggete que' capi, quelle pagine, e vedrete, che egli ne meno dice una parola di tal materia. Parla di essa al cap. 3. pag. 15. num. 11. pag. 30. num. 70. e spiega, come si debba intendere quella propositione meritamente condannata. Leggete ivi il tutto; e se quella spiegazione non vi gradisse, scrivetegli contro, ma con maniera civile, e caritatevole. Che se egli non saprà rispondere alle vostre ragioni, allora giustamente ne canterete il trionfo.

14. Avea portato il Padre Gualdo al cap. 21. pag. 241. il cap. *Inspicimus*, nel quale dicesi: *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius*, vel *quod plerunque fieri consuevit*, e l'avea allegato per provare contro i Sicuristi, che per regolare i costumi bastasse una regola fallibile, e non si richiedesse la certezza, come vogliono da qualche anno in quà alcuni molto Scrupolosi. Ora il nostro Censore alla pag. 14. ha voluto servirsi di questo testo contro lo stesso Padre provando doversi seguire la Probabiliore. Signor mio, il Padre Gualdo ha veduto tale obbiezione avanti di Voi, & ha sciolto i testi ancora e de Sacri Canoni, e de Santi Padri citati da vostri Probabilioristi, & ha fatto vedere non aver forza alcuna. Scioglie il presente testo al cap. 38. num. 48. pag. 509. ge dice non intendersi in materia di iure, ma di Fatto, nella quale materia sostiene la Probabiliore con Probabilioristi. Pruova questo per quelle parole del testo: *Vel quod plerunque fieri consuevit*. Lo conferma con l'esemplo, & autorità della Glossa. Leggete quanto ivi dice, e ne rimarrete persuaso.

15. Vi avverto, che per argomentare contro un'Autore non basta il legger solo ò qualche capo, ò qualche quistione; perchè ne rimarreste ingannato, come vi è successo nel fatto presente. Se un'Autore volesse spiegare in ogni luogo la proposizione secondo tutti i sensi, ne' quali può intendersi, tediarebbe i Leggitori, & allungarebbe la disputa souverchiamente. San Tomaso ha delle proposizioni, che per ispiegarle bisogna alle volte leggere altri Trattati; perchè non potrà così scrivere un'altro Autore?

16. Dispiace tanto al nostro rigido Censore, che il Padre asserisca al cap. 36 poter'il Confessoro seguir l'opinione men probabile del Penitente, e gli dispiace tanto tale Dottrina, che la stima affatto improbabile, credendola soggiacere alla seconda proposizione delle Condannate da Innocenzo Undecimo. *Probabi-*

liter existimo judicem posse judicare juxta Opinionem minùs probabilem. Il Padre Tirzo Gonzalez acerrimo Probabiliorista rigetta bene l'opinion del Padre Gualdo; perche il Giudice deve giudicar secondo la probabiliore; ma ne meno si sogna di dire essere proposizione condannata. Il Padre Cardenas, il Padre Viva, Il Padre Pisani spiegando quella proposizione non l'estendono al Confessoro, e dà quanto dicono, pare, che la restringano al solo Giudice Esterno. Il Padre Didaco della Fuente Hurtado nella sua Teologia Riformata nella Differt. 2. c. 5. espressamente afferma il Confessoro non contenersi sotto la proposizione proscritta. Il nostro Censore vuol vedere più di quelli huomini famosi; quindi alla pag. 15. contro il Padre esclama. *Dio immortale, se ciò si nega à Giudici di cose temporanee, perchè poi si concede à Giudici di cose eterne, à Confessori?* Permettetemi, che io adopri la vostra esclamatione, e dica: Dio immortale un Censore potrà a suo Capriccio condannare l'opinioni altrui senza ne meno leggere i fondamenti di quelle? Se aveste letto la quistione del Gualdo, avereste veduto lo scioglimento di cotesto vostro nerboruto argomento portato già dal Padre Natale Alessandri, e sciolto dal nostro Padre al d. cap. 36. n. 82. pag. 478. In sostanza vi dice, che giusta gli Antichi il Confessoro deve giudicar secondo il giudicio della Chiesa, quale non avendo condannata l'opinione del Penitente, non deve ne meno egli condannarla, e rigettare per ciò dall'assoluzione il penitente. Aggiunge assomigliarsi il Confessoro al Giudice Criminalista, che non può condannare un Reo, se non è convinto *apertissimis documentis*, & indiciis luce clarioribus *l. sciant cuncti*. C. de probat. can. *sciant cuncti*, 2. q. 8. Quindi non avendo l'opinion probabiliore del Confessoro questi apertissimi documenti, & indicii più chiari della luce non può lo stesso Confessoro per ciò condannar' il penitente, e rigittarlo dall'assoluzione. Il Padre Frà Lorenzo Pisani spiegando la detta condannata propositione nel lib. intitolato *Gladius Gedeonis* al num. 8. vuole, che il Giudice Criminalista giudichi secondo la probabiliore, se la quistion sii in jure, non così nella quistion di Fatto. Ma io non vedo, come il Giudice possa porsi in pericolo di condannar' un' innocente à morte. E meno male lasciar' impunito un Reo, che condannar' un' innocente. Un Principe alle volte può perdonare ad uno scelerato; ma non può mai condannare un giusto.

17. Cotesto vostro argomento è simile a quell'altro, che tanto essaggerano i Probabilioristi, & è preso dall'esemplo del Medico. Il Medico Corporale non può medicare seguendo la meno

proba-

probabile. Dunque ne meno il Medico Spirituale, il Confessoro. Il Padre Gualdo al num: 83. scioglie ancora tal'argomento, è vi dimostra la disparità tanto chiara, che credo da quì avanti non siano per servirsene più i Probabilioristi. Se un Medico invincibilmente credesse un rimedio esser' ottimo, e che tale non fosse in se stesso, guarirà forse l'ammalato? Signori nò certamente. Un Tomista, Uno Scotista invincibilmente crede la sua opinione esser vera. Guarirà il suo ammalato Spirituale? Signori si certamente. Perche di grazia tanta diversità? Una opinion falsa guarisce un'ammalato Spirituale, e non un' ammalato Corporale? La ragione si è, perchè la virtù Corporale non dipende dall'opinione del Medico; e la virtù Spirituale dipende dall'opinione dell' Operante. Dunque un'opinione falsa creduta vera dallo Scotista, dallo Tomista guarisce la piaga Spirituale, benche grande; e l'opinion falsa creduta vera dallo stesso Hippocrate non sana una ferita, benche leggera.

18. Per grazia leggete la dissertazione del Padre Gualdo, e dal vedera, che quanti Antichi l'hanno fatta, sono per esso; risolvetevi di seguirla di lui opinione. Non so, come ricevereste à bene, se voi essendo Tomista il Confessoro Scotista non vi volesse assolvere, se non opraste secondo l'opinioni di Scoto credute da lui probabiliori. Vi avviso, che il Padre Andrea Zuccheri nelle sue Decisioni *de restit.* fatte dal numerosissimo Clero Padovano al Mese di Settembre num. 51. pag. 175. sostiene con la maggior parte del Clero l'opinione del Gualdo. Se non lo sapete, ve lo dico, che questo Clero consta di più di cinquecento Decisori, che tutti sono Confessori, de quali buona parte è di Dottori, ò di Teologia, ò di Legge. Ha del verisimile, che niuno di tanti abbi veduto ciò, che Voi dite di vedere, se fosse vero?

19. A mio credere vi piace poco la verità, e sincerità. In qual luogo il Padre Gualdo restringe la proposizione 31. fulminata da Innocenzo Undecimo, in cui si dice: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*, restringe, dico, in maniera, che *si possa uccidere l'invasore per una qualche cosa di più, come sarebbe per esempio due scudi*? Dove è il luogo? Dove la pagina? Il Padre al cap. 45. num. 5. pag. 589. asserisce bene, che la roba, che vuol rubare il ladro, sii di gran momento, *magni momenti*, e soggiunge, *sed me non restringo vel ad quatuor, vel ad centum, vel ad mille aureos*. Se dunque il Padre Gualdo espressamente si protesta parlare di quantità grande di denari, e di più, che non si restringe ne à quattro, ne à cento, ne à mille, con qual Civiltà, con qual Sincerità gli addossate,

ſate, che ſoſtenga poterſi ammazzare un'invaſore di due Scudi?

20. Se malamente tacciate il Padre, peggio provate coteſta taccia. Voglio concedervi ſenza alcuna limitazione, che la roba ſuperflua ſii del famelico, del nudo, &c. da ciò però niente potete concludere à favor voſtro. Leggete il d. cap.45. num.29. dove con autorità di Sant' Antonino pruova poterſi difendere con l' uccisione dell' invaſore le robe, che abbiamo in depoſito, & ad impreſtito. Ma ſe vi replicaſſi le robe ſuperflue eſſere del ricco in quanto al dominio, del povero in quanto all'uſo, della quale quiſtione leggete Tambur. lib.8. in Decal. tract. 2.c.6. §.2. n.2. coſa riſpondereſte? Potrei aggiungere altre coſe per dimoſtrare la debolezza del voſtro argomento, ma il detto baſti. Leggete quelle poche parole, che dice il Gualdo al d. c.45. num.56. di quelli, che condannano la ſua opinione, e ſpero, che mutarete il voſtro procedere.

21. Seguita il Signor Griſofano à morder' il Padre Gualdo, e così la diſcorre: Nel foglio 608. *va egli uguagliando* (Il Padre Gualdo) *il puttaneggio coll' aſsaſſinamento, per indi dedurre le Conſequenze à Capriccio, non curando avvertire, che l'aſsaſſinamento ſia contro la giuſtizia, chiamata da Teologi Commutativa, non il puttaneggio. Ne penſa, (credendo forſe di ragionar colle papare del ſalvatico romitello,) che quando ſi tratta di una tal giuſtizia, ſiamo ſempre in obbligo di ſodisfarla, e che altrimenti addiviene parlandoſi del puttaneggio.* Così il Cenſore, che con ſua lode poteva ommetter quella parenteſi: *Credendoſi forſe di ragionare, &c.*

22. Il Padre Gualdo non ſolo non tralaſcia d'auvertire, come Voi falſamente gli addoſſate, ma eſpreſſamente nota l'aſſaſſinamento eſſer contro della Giuſtizia, non così la fornicazione. Leggete il cap.46. e ne reſtarete convinto. Il punto ſta, Signor mio, che il Padre Gualdo dice l'aſſaſſinamento eſſer bensì un'ingiuſtizia contro la perſona aſſaſſinata, e ſuoi congiunti, ma non contro la perſona, che comanda l'aſſaſſinamento. Quindi ſoggiunge eſſer tenuto il ſiccario à ſoddisfare all'ucciſo, e congiunti, ma non alla perſona, che commanda l'aſſaſſinamento. Deve ſoddisfar à queſti tutti i danni, che patiſcono per l'aſſaſſinamento; ma non gli deve il prezzo, che ha ricevuto per far l'omicidio bruttale; mentre il dominio di quel ſoldo è ſtato trasferito dal padrone nel Siccario, non in altre perſone. Ne lo deve reſtituire allo ſteſſo padrone, perchè egli, ò per donazione, ò per altro contratto ſe n'è privato del dominio. In due parole ecco la parità, che fa il Padre Gualdo dell'aſſaſſinio con la fornicazione. La fornicazione non è atto d'ingiuſtizia contro quello, che da il prezzo della fornica-

zione.

zione. L'assassinio non è male d'ingiustizia contro quello, che dà il prezzo dell'assassinio. Potete negare tal parità? Ecco la disparità. La fornicazione non è peccato d'ingiustizia contro alcuna persona. Dunque à niuno il fornicante deve fare, ò restituzione, ò dare soddisfazione. L'asassinamento è un'ingiustizia contro l'asassinato, perchè gli toglie la vita; contro la moglie, e figli, perchè gli toglie gli alimenti. Dunque il Siccario deve soddisfare all'asassinato, alla moglie, & a figli, e rifargli de'loro danni. La difficoltà è, se il Siccario può ritenere il prezzo ricevuto per l'asassinio: Il Padre Gualdo risponde di sì. Il Censore con molti Probabilioristi risponde di nò, e condanna l'opinione del Padre, perchè l'asassinio è peccato d'ingiustizia commutativa. Bene. Ma il ritener'il prezzo è peccato d'ingiustizia? Questa è la difficoltà. Se rispondete di sì; spiegate contro di chi sii tale ingiustizia. Ha ricevuto quel soldo dal legitimo padrone con un contratto volontario d'amendue le parti. Perche quel prezzo non è trasferito nel Siccario? Poteva per mera liberalità Pietro donare quel soldo à Paolo; non potrà donarglielo, perche ha fatto quell'asassinio à di lui riguardo? Sclamano i Probabilioristi, che da ciò ne siegue, che i facinorosi si eccitano à fare degli asassinii: Risponde il Padre Gualdo al num. 2. il lasciare il prezzo alla meretrice forse l'eccitera à far del bene? ò pure non la spingerà à seguitar quella vita sì santa? In fatti i Probabilioristi fissi nelle loro rigidità non vogliono vedere i conseguenti irragionevoli, che da quelle se ne deducono. Cosa dite, Signor mio? Vi pare, che le conseguenze del Padre Gualdo siano à Capriccio, come vi ha piacciuto di scrivere, ò pure ineluttabili, e necesarie, come veramente sono?

23. Se aveste allegato il luogo, dal quale avete preso il testo di Sant' Agostino, vi potrei spiegare, in qual senso si debba intendere; mà portandolo senza la dovuta citazione, vi si può dire, che, siccome fallate nell'allegare il Padre Gualdo, così falliate nel citare Sant'Agostino; perche ben'averete imparato dal vostro Illustrissimo de Avitabile da fatti pasati argomentarsi à presenti c. *Scribam* de præsumpt. Però vi soggiungo, che il detto testo, se non lo restringete, prova troppo; posciache certamente in jure è approvato l'argomentare con similitudini, come lo nota il Gualdo al cap. 48. num. 11. Contro il Padre Gonzalez, e di ciò potete vedere Barbosa V. *Loca Communia* n. 101. In tanto rispondete, se potete, alle ragioni, & all' autorità, che porta il Padre Gualdo per la sua opinione; e se non potete, tralasciate di condannarlo.

24. Ma ecco che una volta il Censore si accorda col nostro Padre,

dre, e si accorda nell'Equivoco in un Caso. Anzi tiene questa Dottrina come certamente permessa, anzi come certissima; quindi soggiunge: *Se egli* (il Padre Gualdo) *addimandato n'avesse alcuno de miei Scolai, questi risposto avrebbe con ispeditezza, e senza tanti inviluppi, che lecito sia nel supposto avvenimento l'Equivoco, come meno male; anzi stò per dire, come buono nella considerata contingenza.*

25. Se Voi state per dire esser buono l'Equivoco nel caso assegnato, il Gualdo senza tante ambiguità con le autorità di moltissimi Antichi attualmente dice esser buono. Dunque in tal materia il Padre Gualdo ne sa più, e di Voi, e de vostri Scolai. A che dunque lo mandate à medesimi? E poi à che proposito dite, che i vostri Scolai con ispeditezza, e senza inviluppi avrebbero risposto? Forse il Gualdo parla con inviluppi? Voi non sete certo, che sii buona la di lui Dottrina. Egli è certo, è chiaramente l'afferma. Dunque egli discorre quì con più chiarezza di Voi, e poi forse le autorità dal medesimo allegate non sono con ischietezza? Bisogna dire, che scriviate à caso, e non abbiate letto il Padre. Porterò quì solo il testo di San Raimondo, acciò conosciate, se dico il vero. Ecco le precise parole del Santo riferite dal Padre al cap.47. num 33. pag.626. *Vel respondeat verbum aliquod æquivocum, ut puta, non est hic, idest non comedit hic.* Può portarsi un testo più chiaro, più schietto, e che significa la stessa Conclusione del Padre?

26. Ora datemi licenza di dirvi senza inviluppi, e con ischiettezza aver Voi insegnato malamente à vostri Scolai. Se, perchè trà due mali si deve eleggere il minore, (qual'assioma intendesi de' mali di pena, non di colpa propriamente parlando) ne siegue, che in concorrenza dell'Equivoco con l'omicidio *l'Equivoco non si stima malo, anzi buono*; quindi si può dire un'Equivoco, perchè non succeda un'omicidio. Dunque per la stessa regola uno dovrà dir'una bugia, perchè non succeda un'omicidio. Certo non potete negare questa Conseguenza. Ma ditemi per verità, si può ammettere tal conseguente? Si può dir' una bugia, perchè altri non facci un' omicidio, *cum Scriptura prohibeat pro alterius vita mentiri*, vi dice espressamente Innocenzo Terzo *c. super eo* de Usuris.

27. Se Voi dimanderete à Scolai del Padre Gualdo, vi diranno senza inviluppi, ma con ischietezza, che niuno deve fare un peccato, benche veniale, perchè altri schivi un mortale, benche gravissimo. Vi erano però de buoni antichi, che seguivano il contrario; come nota il Padre Gualdo al cap. 19. num. 8. c. 12. num.

33.

33. c.47. num.33. Dunque niuno deve dir'una bugia, perchè altri non facci un'omicidio. Dunque, se l'Equivoco fosse condannato in quelle proposizioni da Innocenzo Undecimo, non si potrebbe dir'un'Equivoco, perchè altri non facesse un'omicidio. Di più vi servireste, Signor mio, ne nostri tempi della restrizzione mentale, perchè altri non comettesse un omicidio? Dunque, se Voi col Padre Gualdo ammettete l'Equivoco per salvar la vita ad un'altro. Con lo stesso Padre dovete dire *non esser l'Equivoco per se fulminato dal Sovrano Soglio di Pietro*.

28. Ma come dite, che l'Equivoco ammesso in quel Caso dal Padre Gualdo venga certamente permesso? Egli al cap.47. num. 1. riferisce, che il Padre Natale Alessandri universalmente condanna gli Equivoci, e crede essere proscritti da Innocenzo Undecimo. Ora Innocenzo al num. 27. non condanna il potersi servire *His amphibologiis*, quando sono necessarie alla salute del corpo: Se dunque per tali amfibologie s'intendono anche gli Equivoci, non si potrà equivocare per salvare il corpo. Dunque pera più tosto il Corpo, se l'Equivoco è condannato da Innocenzo. Leggete ancora il Padre Pisani alla proposizione 27.pag.154.che tiene, e probabilmente essere condannati gli Equivoci da Innocenzo, e probabilmente non essere condannati; & imparate non essere tanto certamente permesso l'Equivoco per salvare il prossimo dalla morte, e Corporale, e Spirituale, come scrivete.

29. Alla fine della pag.16.e princ.della 17. Scrive del Padre il Censore in tal guisa: *Egli, l'Autore del menzionato libro cotanto lodato dagli Oracoli della Letteratura, fa una fatica di schiena, ed altro non sa che ammucchiar' autorità de Dottori per lo più sospetti, ed in vero à sol fine di vanità, non di verità.*

30. Con qual fondamento, Signor mio, dite, che il Padre Gualdo ammucchi que' testi à sol fine *di vanità*, e non di verità? Veramente egli fa un continuo riferire di autorità degli Antichi, e cotesto è quello, che egli nel titolo del libro prometto, e da tali testi egli ne cava essere la Probabilità vissuta ne' beatissimi tempi antichi. Condannate Voi tale fatica, come fatica di schiena, che in buon linguaggio vuol dire, non esser fatica d'intelletto; e così doversi poco stimare? Il Padre Gualdo vuole, che il suo libro sii stimato da tutti, come ad essi piace. A lui è piacciuto d'imprendere tal fatica, qual' ella si sia, & à ciò fare è stato spinto, perchè i Probabilioristi, e l'Illustrissimo Clero Gallicano hanno detto la Probabilità esser *inventum prostremi sæculi*. Di questo il Padre se ne dichiara nella prefazione del Libro. Ora per vedere se questo fatto fosse reale, come dovea fare, se non leggete i Dottori, che

visser o

vissero ne templ antichi? Potete Voi sapere, chi viveva trecento anni fà senza leggere gli Autori di quel tempo? Dunque, se il Padre Gualdo volea disingãnare i Probabilioristi di quella loro credenza, che la Probabilità non fosse antica, dovea per necessità leggere, e riferire i testi degli Antichi.

31. Voi dite, che egli allega *per lo più Dottori sospetti*. Signor mio, vi rispondo con le vostre proprie parole. *Additi di grazia la pagina, il luogo; & il Leggitore vi crederà. Non basta il dire, necessario è il provare.* Additate di grazia, quai siino cotesti Dottori sospetti. Additatene un solo, acciò si possa vedere la verità. Mi potreste forse dire esser questi Villelmo Rodonense, Glossatore di San Raimondo. Per verità i Raccoglitori de' Scrittori antichi Sisto Senense, Antonio Possevino, il Bellarmino, Filippo Labbè, Casimiro Oudin, Natale Alessandri, & altri, che ho letti, non fanno menzione alcuna di Villelmo Rodonense. I Dottori pure Moderni, benche spesso alleghino Antichi, non citano il nostro Rodonense. Il peggio si è, che essendo due volte stata impressa la Somma di San Raimondo con le Glosse, si attribuiscono tali Glosse à Giovanni di Friburgo. Da tutto ciò potrebbe il nostro Censore argomentare, che il Rodenense sì frequentemente allegato dal Padre Gualdo sia Autore sospetto, come Autore sconosciuto.

32. Già il Padre nel suo Trattato della Probabilità sotto l'Indice degli Autori dimostra Villelmo esser stato allegato da Summisti, e Canonisti per due secoli fino à Silvestro; e con ragioni evidenti dimostra lui essere il vero Glossatore di San Raimondo; e quindi si doveranno correggere quelle Edizioni Romane, come vuole il Padre Gualdo; & aggiungere à que' Raccoglitori il famoso Rodonense; & i Summisti Moderni, massime Probabilisti, doveranno allegarlo per non mostrarsi ingrati ad uno de' più Antichi, che ha scritto de Casi morali, e che sovra tutti è benigno.

33. Da quanto ho scritto fino à quì, Voi potete conoscere quanto irragionevolmente abbiate tacciato il Padre Gualdo, e con quanta verità finiate di scrivere contro lui, che *da uno di questi abbagli si potrà arguire quel, che addentro si trova.* Vi rispondo, che dal veder' esser verissimo ciò, che Voi scrivete esser falsissimo, si potrà conoscere la sodezza della Dottrina del Gualdo, che per tutto il suo libro insegna, e pruova con chiari testi di Antichi famosi. Si potrà, dico, vedere la fermezza della di lui Dottrina. mentre Voi non avete ardito d'attaccarla, avendone per altro una voglia *Lunga*; come vi dichiarate in quel vostro verso. *Il tempo è breve, e la mia voglia è lunga*. Vi faccio buona quella scusa: *il tempo è breve*. Sii anco brevissimo. Per attaccar' in parte principale

tipale la Dottrina del Padre Gualdo nel libro della Probabilità rispondete à que'due argomenti, che egli frequentementè fa contro Probabilioristi, che ne otterrete l'intento, Ecco il primo. *La Dottrina, dalla quale ne derivano proposizioni assurde, &c. è la Probabilità. Anticamente eravi tal Dottrina; dunque anticamente vi era la probabilità.* La Maggiore è Dottrina de' vostri Probabilioristi, quali in ogni pagina de' loro libri sclamano fino al Cielo *la Probabilità essere la cagione, la fonte d'ogni rilasciatezza*. La Minore proposizione è provata sì chiaramente dal Gualdo al cap. 10. 11. 12. & altrove, che basta avere studiata la Grammatica per intendere la pruova, tanto è chiara, & intelligibile; & io per me credo, che i Probabilioristi per l'avvenire lascieranno di perseguitare la gloriosa Probabilità per questo capo.

34. Nè diciate, come pare alla pag. 54. intender'i Probabilioristi per tempo antico quello, in cui vivevano i Santi Padri; posciache i Probabilioristi espressamente asseriscono esser la Probabilità incominciata al tempo di Bartolameo Medina; e l'Illustrissimo Clero Gallicano nell'anno 1700. chiaramente decise esser *inventum postremi sæculi*. Di più con tale risposta si concede la Probabilità esser vissuta per molti secoli; quindi i Probabilisti diranno la Dottrina insegnata per tanto tempo doversi venerare, non vituperare; e chi parla con essa, non parli da *Ebbro*, nè da *Mentecatto*, come credete Voi alla pag. 54.

35. Ecco il secondo argomento: *La Dottrina, dalla quale nascono le proposizioni proscritte da Sommi Pontifici, è la Probabilità secondo i Probabilioristi, che non hanno altro in bocca. Anticamente vi era tal Dottrina; come dimostra il Padre Gualdo al cap. 42. & altrove. Dunque anticamente vi era la Probabilità.*

36. In quanto à quelle opinioni particolari del Duello, del Confessoro, del turpe lucro, &c. sono sostenute dal Gualdo più per onore de buoni Antichi, che le difesero, che perche siino necessarie allo stabilimento della Probabilità. Onde, se mai venissero condannate dalla Sede Apostolica, da tal condanna egli confermarebbe la Dottrina della Probabilità col fare il suo secondo argomento poco fa riferito.

37. Il nostro Censore alla pag. 26. racconta, che ad un tal Sarconio (Probabilista) spiaceva il Catalogo delle proposizioni condannate, & assorde, come che tal' Indice fosse *la publicazione delle vergogne de Probabilisti*. Non vorrei, che egli credesse dispiacere ancora al Padre Gualdo quella Raccolta. In niun modo gli dispiace tal'Indice, perchè crede fermamente la condanna di tali proposizioni non pregiudicare, nè a quanto ha scrittò della Pro-

babilità,

babilità, come or'ora diceva; ne alla Probabilità in se stessa. La ragione si è, perchè molte di quelle proposizioni sono insegnate dagli Antichi, come ha fatto vedere il Padre Gualdo, & io hò riferito di sopra. Dunque ò anticamente vi era la Probabilità; ò quelle proposizioni non nascono dalla Probabilità. Una di queste Conseguenze non si può negare, Signor mio. Eleggete, quale vi piace; sempre sarete convinto evidentemente. Di più, i Probabilisti insegnavano quelle proposizioni come probabiliori; quindi se n'insegnavano alcuna come probabile, lo dicevano espressamente, come apparisce dalla 40. condannata da Alessandro Settimo, e dalla 2.6.35. 44.e 57. fulminate da Innocenzo Undecimo. Dunque l'Indice delle proposizioni condannate deve dispiacere à Probabilioristi, à Moderni, & Antichi, mentre tutti tra quelle ne vedono alcune da essi insegnate.

38. Finito lo Scritto, vedo il Padre Gualdo tutto in collera, & interrogatolo della cagione; perchè, mi disse, sempre leggo perseguitarsi ingiustamente da Probabilioristi la povera Probabilità, come sii l'origine d'infinite rilasciatezze. Leggete quì, quanto scrive questo Opuscolo intitolato *Clericus Belga* al c.2. §. 13. pag. 376. *Moralem doctrinam universam everti per recentiores, ac laxiores Casuistas*, Probabilismi auctores, *nulli hodie dubium est*. Si possono leggere questi concetti senza stomaco? Vuol darci ad intender, e certamente, creder tutti ruinarsi da Probabilisti tutta la Dottrina morale? A proposta simile. S. Tomaso opusc. 22. c. 5. rispose queste poche, ma calzanti parole: *Sed quomodo potest de omnibus testimonium perhibere, qui omnes non vidit?* Voglio creder' intender lui di tutti sì; ma soli, suoi Lovaniensi, de'quali, per conversare con loro, può saperne i sentimenti; ma non di tutti, Italiani in particolare, trà molti de'quali vive ancora il Probabilismo, & i Probabilioristi essendo di Spirito Italiano, cioè pacifico, e mite, sono lontanissimi dallo Spirito fervido di questo Chierico Belga, che condanna, e denuntia à Roma, & al Mondo ciò, che non gli gradisce; quindi eglino seguono bene la Probabiliorità, e fanno bene, ma non condannano la Probabilità, principalmente come se fosse la cagione di rilasciatezze, e lasciano vivere in pace i Probabilisti. Mi soggiunse. Amico, se rispondete al Sig. Grisofano, sfidatelo da mia parte al Duello, di cui ve ne parlai, giorni sono. Ciò detto partissi non meno in fretta, che in collera.

39. Voi vedete, Signor mio, esser' in obbligo di dinunciarvi, il duello letterario da parte del Padre Gualdo. Eccovelo in poche parole. *Incominciando dal Secolo Decimo sino al principio del Probabilismo,*

babilismo, *cioè*, giusta il computo de Probabilioristi *al fine del secolo decimosesto i costumi de' Cristiani sono stati più rilasciati; quindi la Probabilità non ha potuto introdurre la dissolutezza ne' costumi. Questa minore rilasciatezza si deve riconoscere dalle Santissime Leggi del Concilio di Trento fatte osservare dalla vigilanza de Zelanti Pontefici, e Vescovi con l'assistenza de' nostri Principi migliori de' passati; & in quelle Provincie vi sono minori rilasciatezze, quali hanno intieramente abbracciato il detto Concilio. Si può dire aver cooperato ancora à ciò la Probabilità, che ha interpretato in maniera le nuove leggi; onde i Popoli non sentendosi troppo aggravati volontariamente si sono soggetati alla Riforma*. Questa è la sfida, Signor mio, del Padre Gualdo.

40. Se voleste, vi dassi una Sparuta, e succinta abbozzatura delle sue ragioni; Subito vi servo. Vuol prima portare il testo del Baronio all'anno 900. di cui dice *quod sui asperitate, ac boni sterilitate ferreum*, malumque exundantis deformitate *plumbeum*, *atque inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum*. Indi vuol' aggiungere, quanto scrive il Bernini nel tom.2. dell'Eresie secolo nono cap.15. con altri Scrittori, quali unanimi chiamano l'infelicissimo Decimo Secolo il Secolo dell'Ignoranza, e delle sceleratezze. Soggiungerà come Ottone Magno, detto Santissimo, con il Re d'Italia, e tutti li suoi magnati per togliere l'abuso de' spergiuri comunemente introdotto ne' Tribunali, levò la legge del Giuramento lodata da S. Paolo Hebr. c.6. 16. & invece promulgò la legge del Duello. Non inorridite, Signor mio, all'udire tanta barbarie? Quì non dico cosa alcuna sopra tal legge, avendone scritto lungamente lo stesso Padre Gualdo nel Trattato della Probabilità al cap.43. e ne parlerà più diffuso, se vorrete duellare. Soggiungo solo non eser possibile, che in Italia si osservassero i rigorosi Canoni penitenziali, come vuole il Morino. Come? osservanza di Canoni severissimi con un'infinita moltitudine di spergiuri?

41. Circa il Secolo Undecimo tra molti argomenti porterà il testo di Gregorio Settimo, nel quale si lamenta *Ordinem Christianæ Religionis multis temporibus fuisse labefactatum*, *& principales*, *ac proprias causas lucrandarum Animarum suadente Diabolo fuisse conculcatas*. Ecco i fondamenti della Cristiana Religione ruinati! Ecco dunque, Signor mio, sete sforzato a confessare essere stata nel secolo undecimo la rilasciatezza de costumi, che volete darci ad intendere essere nata ne' nostri tempi, e nata dalla Probabilità. Non siamo tanto creduli, nò. Sappiamo distinguere le lucciole dalle lanterne. Gregorio parla del suo secolo,

e come

e come testimonio presente, e di suprema autorità, ci testifica l'orribile sconvoglimento della Cristianità del suo secolo, e sarebbe una mera simplicità il volerlo fare parlare de'nostri tempi.

42. Ma cosa diremo delle fazioni barbare, bestiali, inumane de'Guelfi, e Gibellini, che ne seguenti secoli lacerarono la nostra Italia, che se ne dovea vergognare; se fosse stata anche pagana? Non voglio farne parola, e tralasciare ancora moltissime altre Storie, che porterà à tempo il Padre Gualdo. Dirò solo qualche cosa del secolo quintodecimo. Sfortunatissimo tempo! Scostumatissimo secolo! Secolo deturpato dalla grandissima scisma nel suo principio, e nel mezzo da un'Antipapa creato da una raunanza di Ecclesiastici, la quale, anche ne'nostri tempi vi sono Teologi, che vorrebbero, non chiamassimo Conciliabolo. Secolo governato nel fine da.... tacciamo il nome per non arrosirsi. Ora seguitino i Probabilioristi à perseguitare la Probabilità come cagione di rilasciatezze, se possono; & aggiungano per biasimarla compitamente, esser'ella cagione di tanta varietà di pareri. Cosa risponderanno, quando gli gettaremo in faccia la divisione de Padri, i Padri divisi, e divisi sotto diversi Capi? E per compire la mostruosità, il Concilio Pisano, che lo venerano per Generale, per togliere via la scisma orribile, l'accrebbe aggiungendo il terzo Papa. Ecco le glorie della Probabiliorità, Signor Grisofano, i Padri della Chiesa probabiliormente divisi sotto tre Papi. Division mostruosa, nè mai più accaduta nella Chiesa. Division massima, della quale non possono deturpare i Probabilioristi la odiata Probabilità. Che Campo vastissimo quì mi si aprirebbe di difendere la Probabilità! Ma lascierò il tutto à ponderarsi dal Padre Gualdo.

43. Signor Grisofano mio, sono al fine. Se volete accettare il Duello, ò pure rispondere à me, fatelo, che ve n'esorto. Il Padre Gualdo, & io ne goderemo. Ma fatelo con Civiltà, con Carità, con Urbanità: senza strappazzi, senza ingiurie, e senza dicacità.

I L F I N E.



